





4:6.

D. IO. ERN. HEBENSTREIT
In Vniversitate Lipsiensi Therapiae Prof. Publ.
Facultatis Medicae Decani Vrbis Physici

ANTHROPOLOGIA FORENSIS

SISTENS

MEDICI CIRCA REMPVBLICAM CAVSASQVE DICENDAS

OFFICIVM

CVM

Rerum Anatomicarum ac Physicarum quae illud attinent expositionibus.

LIPS
Sumtibus HAEREDVM
CIↃ IↃ

PLATO

de Republica Libr. III.

Τῆς δὲ κακῆς καὶ αἰσχρᾶς παιδείας ἐν πόλει ἆρα μή τι μείζον ἔξεις λαβεῖν τεκμήριον, ἢ, τὸ, δεῖσθαι ἰατρῶν καὶ δικαστῶν ἄκρων.

Malæ & indecoræ morum culturæ, in urbe, nullum maius habere poteris argumentum, quam, indigere medicis iudicibusque ſummis.

VIRO

EXCELLENTISSIMO

CONSVLTISSIMO

DOMINO

BENIAMIN GOTTLIEB BOSSECK

SCABINORVM

QVI LIPSIAE IVS DICVNT

SENIORI EMERITO

GRAVISSIMO

SOCERO SVO VENERABILI

SALVTEM



7442

VEGETAM SENECTVTEM

FORTVNAM STABILEM

VIVACEM SOBOLEM

CLAROS NEPOTES

apprecatur

AVTOR.



94931

II

PATER

PATER OPTVME.

Poſtquam me beneficiis TVVM feciſti, meque pari cum illis, quos genuiſti, amore amplecteris, patere, ut hac compellatione, in qua omnium, honoris ac reverentiæ, titulorum ſumma eſt, TE, nominem. Tam enim illi, a quo vitam, quam TIBI, a quo beatam vitam, CariſſumæConjugis meæ, TVAE TIBI ſimillimæ Filiæ, id eſt Optumæ conſortio, obtinui, me debeo; Ille mihi, natura, TV, optione, Pater es;

Illum oportuit me habere filium, TV poteras me nolle, eoque majus hoc beneficium mihi eſt, quo damnoſius TIBI illud eſſe poterat, niſi TVAE expectationi ea fide reſpondiſſem, qua me adoptaſti. Igitur aliquod gratitudinis meæ documentum publicum exiſtere volui, TIBIque opuſculum hoc inſcribo, quod, plus una de cauſa, TVVM eſt. Fieri enim aliter haud poterat, quam quo, cum argumentum ſcriberem TIBI familiare, quodque millies TVA cenſura perpolitum eſt, erga TE, ſententiarum, quæ ſcientiæ meæ argumentis conficiuntur, arbi-

arbitrum, intentum ſemper haberem animum. Deinde, ad TE, Soceri TVI Beati IOANNIS BOHNII, Viri vere illuſtris, Medici ſummi, hæredem, revertuntur, quæ Bohnii ſunt, Medicinæ ſcilicet legalis præcepta, quæ, ex ſcriptis ejus hauſta, hoc libello reſtitui, quæque, poſt illum, a nemine tradita fuerunt luculentius. Permitte quæſo, quo TIBI Præceptoris mei Genero, ego gener TVVS, Bohnii ſucceſſor & Neptidis ejus maritus, votivas has conſecrem paginas, quæ TIBI, dum Bohnii nomen paſſim leges, jucundiſſimam illorum temporum me-

moriam revocare poterunt, cum ab illo TVAM felicitatem, ex qua mea nata eſt, acciperes. Ea denique, ut ita facerem, & frontem libelli mei TVO Venerabili ornarem Nomine, me induxit ratio, quod voluerim, nos, uti nunc ſumus, etiam poſt fata noſtra, ſi tamen quædam hujus meæ ſcriptionis ſcholaſticæ futura eſt memoria, eſſe conjunctiſſimos. Accipe adeóque hoc amoris erga TE mei teſtimonium, hanc grati animi teſſeram, eo animo, quo Ornatiſſimæ Sobolis TVAE ſignificationes amorum quotidie accipis, id eſt, liberali atque indul-

indulgente. Noli a me, Eruditionis, Celebritatis, quam ampliſſimis TIBI comparaſti itineribus, &, quæ primo loco nominanda fuerat, Probitatis TVAE, a me nunc expectare præconia, quamvis fatua videri multis poterat ſine collaudationibus inſcriptio. Si filius eſſe nollem, cujus eſt, Parentum virtutes plus admirari quam extollere, haberem ſane uberrimam meritorum TVORVM ergaRempublicam, quam triginta atque octo annis conſiliis juvaſti, ſupellectilem. Hanc ab oblivione vindicare debebam. Oportebat etiam me illud facere, atque TIBI, poſtquam,

quam, quod Dei beneficium eſt, vivens, & pro ope TVIS ferenda ſatis valens, ſoli Reipublicæ defunctus es, parentare: Sed novi iſthanc TVAM modeſtiam, qua, in ſola vitæ bene ac laudabiliter actæ conſcientia gloriam quærendam eſſe, exiſtimas. Deus TE, niſi publicis, humanis tamen rebus intereſſe porro ſinat, meque ac laudatiſſimam prolem tuam, TVA, quæ noſtra eſt, valetudine, exhilaret.

PROOE-



PROOEMIVM

IDEAM MEDICI FORENSIS SISTENS.

Nihil quidquam cauſæ eſt, quo me ad ſcribendum adduci paſſus ſum, quam Auditorum, qui iuris interpretationes, ex artis principiis, publicis Lectionibus a me accipiunt, utilitas, quibus ſchedas ſcriptas tradere, quo docentem aſſequi poſſint, longum, opportunius autem viſum fuit, libellum exhibere, qui medicinæ legalis fundamenta, cognitioni hominis, *ſani*, *ægroti*, *vario modo afflicti*, *mortui etiam*, ſuperſtructa, contineret. Cum enim ſine principiorum medicorum, ex Anatome omnique artis ambitu deſumptorum, declarationi-

bus, Iurisprudentiam medicam efficaciter utiliterque doceri haud posse compertus fuerim sæpissime, opusculum, de primis artis lineis, quantum illarum ad decisiones forenses satis est, conscripseram, privatis collegiorum usibus hactenus destinatum, in quo hominis ad forum spectantis imago sistitur. Hoc Typis exscribendum curare eo minus sum veritus, quo minus in animo est, præter illos, qui me audiunt, erudire velle alios; oportet enim Doctores suam docendi rationem auditoribus confidenter exponere, nec metuere exteros, si domi prodesse possunt. Ita autem in isto progrediar negotio, ut hominem ante omnia sistam, uti civis est, magistratuum cura ac providentia, consulente medico, regendus, ut & valere possit & convalescere; Est enim illud haud ultimum medici forensis officium, causas omnes in societate humana obvias, quibus sanitas *plurium* turbari possit, caute prospicere, & securitatem publicam, omnibus, quibus id fieri potest, modis, procurare. Deinde hominem exhibebo, qui coram iudice versatur, vel

vel *excuſandum* vel *damnandum*, vel *vindicandum*, veluti momenta iuris ad cognitionem medici revertuntur, quem iudices, ſuper rebus artis ſuæ, conſulunt, nec inhoneſtum ſibi hoc eſſe putant, ſuis obtemperare Conſiliariis. *Qui bene imperat*, ait CICERO, de Leg. *paruerit aliquando, neceſſe eſt, & qui modeſte paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus eſſe.* Sapienter adeoque & ad Rempublicam utiliter factum eſt, inſtitutos fuiſſe ſalutis civium cuſtodes, legumque, quæ hominis corpus attinent, interpretes, medicos. Hæc eſt illa amica Imperantium atque medentium conſpiratio, qua effectum eſt, ut, aliquo veluti connubio, Medicina ac Iurisprudentia inter ſe jungerentur, doceaturque nunc in academiis, ambigua quædam & dubia, jurisne doctoribus an medicis tribuenda ſit, diſciplina, quam *Medicinam legalem*, *Jurisprudentiam medicam* ac *Medicinam forenſem*, appellant, in qua doctrina Celeberrimi Viri jam ita laudabiliter tantoque cum ſtudio verſati ſunt, ut, ſi a methodo docendi receſſero, deſperandum ſit penitus, afferri a me quidquam poſſe, quod non ſcriptum ante fuerit. Super-

eſt tamen fiducia, me, veſtigia illorum legentem, aliquo ſpicilegio & meſſe quadam ſecundaria, non omnino nihil inventurum eſſe, quod, niſi novum, foro tamen, ejusque recenti uſui, accommodatum videri poſſit. Quod, anteaquam agendum ſuſcipiam, *Medici Forenſis* brevis Idea ſiſtenda eſt, ut habeant, qui me audiunt, ad quam metiri ſeſe & ad cujus normam res ſuo tempore in foro recte gerendas æſtimare poſſint, imaginem:

Cum ſalus populi ſuprema lex ſit, nihil eorum, quibus felicitas civium obfirmari poſſit, intermiſerunt Legislatores, ut vel *Corporibus* a quacunvis injuria immunitatem, vel *Bonis* ac *Famæ* ſubditorum ſecuritatem, præſtarent. Id quod ut conſequi poſſint, tutelam Reipublicæ partiti ſunt cum medentibus, & aliquam ſuæ Autoritatis partem, in Viros tranſtulerunt, quos, cognitione corporum, cauſarum, quibus illa mutari ſolent ac poſſunt, ſcientia, hinc rerum ſalubrium cognitione, claros eſſe perſpexerunt. Hos, quandoquidem eos naturæ operum peritos eſſe decet, Phyſicos nunc appellant, perſonas ſcilicet, eruditione & fi-

de

de valentes, ut ab illorum conſiliis ſtare, & ſecundum illorum ſententias decernere & quod decretum eſt exequi, imperantes poſſint, quod quando faciunt, ut medicos, in quæſtionibus ad rempublicam & judicium ſpectantibus, audiant, nihil quidquam ſtatuunt, quod antiquiſſimis retro temporibus conſtitutum a ſummis Imperatoribus haud fuerit. Non enim tantum in cauſa civili fidem medicis habendam eſſe, Imperator voluit, quando de Septimeſtri partu, legitimo, contenditur, ſed publica illa medicorum autoritas, qua juſſum eſt, ut ad illorum arbitrium, ſanitatis cauſa, urbs regeretur, Romæ, uti illa ſub Imperatoribus Chriſtianis fuit, coæva eſt. Erant enim *Archiatri*, quique horum vices gererent, Exarchiatri & Archiatrorum comites, quibus datum fuit, ut contra graſſantium morborum, qui Romam non ſemel devaſtarunt, invaſiones matura ferrent conſilia. Tot, quot Regiones urbis erant, Archiatros quoque Romæ fuiſſe, per *L. 9. Codicis Juſtin. de Med. & Profeſſ.* itidemque *L. 8. Cod. Theodoſ. de Med. & Profeſſoribus;* Præfectos e medicis quosdam fuiſſe Legionibus ac

ſingulis Provinciis *per Cod. L.* 10. nec minus Collegii ſanitatis Septemviratum aliquem conſtitutum fuiſſe *per L. 9. Cod. Theod.* & l. 10. Cod. Juſtin. liquet. (a) Nunc etiam Reges ac Principes officium aliquod publicum inſtituerunt, a medicis artis ſuæ gnaris gerendum, quo urbium ac provinciarum magiſtratus, quodſi obvenerint quæſtiones ex hominis corporeis conditionibus explicandæ, habeant, quorum conſiliis uti poſſint, id quod ita fieri oportere, NEMESIS CAROLINIANA imperat. Sciant autem, qui ad ejusmodi munera ſuo tempore obeunda ſeſe accingunt, Artis filii, non leve illud eſſe, quod agendum in ſe ſuſcepturi ſunt, negotium: Vix enini definienda eſt, caſuum, qui medico in foro verſanti obveniunt, varietas, ſive enim *alterum* illud, quod *politicum* eſt, & ad rempublicam ſpectat, ſive illud *alterum*, quod *Juridicum*, & cauſas reſpicit, ad ſcientiæ & conſcientiæ normam gerere quis velit officium,

(a) De his omnibus quam curioſiſſime ſcripſit HENRICVS LAMPE Diſſertatione juridica, de honore, privilegiis & juribus ſingularibus medicorum, *Groningæ* 1736. 4

cium, utrinque inveniet, in quo, magna cum laude, ſi recte egerit, ſummo autem cum opprobrio, ſi oſcitanter, verſari poſſit. Quod enim rempublicam attinet, tradita ſibi & pignoris loco data habet civium capita, pro quibus fidem ſpondet & animam devovet. Naſciturus proſpicit, naſcentium curam gerit, cauſas generales quæ hominem ambiunt atque intrant, perſpicit, easque vel averruncat vel corrigit earundemque effectus, quantum per artem licet, impedit atque coërcet. Feras iſtas beſtias, quibus ſocietati humanæ nihil eſſe poteſt nocentius, fumivendulos, impoſtores, circumforaneos, inſectatur, eorundemque nefandas fraudes detegit, media convaleſcendi ordinat, hominum atque brutorum populares morbos ſalutaribus, quantum in arte eſt, conſiliis, futuros avertere, graſſantes profligare, annititur, in quibus omnibus, ne imperare velle videatur, conſuluiſſe magiſtratibus & ſuper bono in victu & moribus civium ordine ſervando monuiſſe, ſatis eſt. Quæ negotia, reipublicæ cauſa a medicis gerenda, licet dignitate, quando quidem felici-

tatem civium uno ſocietatis vinculo detentorum attinent, præcedant, effectu etiam difficiliora ſint, tanta tamen, ſi numerum agendorum & admirabilem eorum varietatem ſpectes, non ſunt, quanta ſunt, quæ medico, circa cauſas verſanti, quotidie obveniunt. Vbicunque enim quæſtio, circa vitam, ſanitatem, morbum, mortem, afflictiones, facultates animi, a corporeis conditionibus dependentes, mota eſt, medicorum poſtulatur officium, ſilentque leges ſine illorum interpretationibus, artis ſecuro alicui fundamento ſuperſtructis. Si cauſas civiles, quæ jura partium & ſingulorum privilegia concernunt, conſideres, a medicorum arbitrio, uti caſus id ſecum affert, nativitatis jura, ætatum privilegia, hæreditatum ſequelæ, bonorum poſſeſſiones, fruitiones, adminiſtrationes, ultimæ voluntatis validæ ſignificationes, teſtimoniorum valores, officiorum geſtiones aut ab illis excuſationes, comparitiones in foro, & ejusmodi variæ quæſtionum tricæ plures aliæ, dependent ſæpiſſime. Si cauſas criminales intueris, ut arguen-

arguendus, explorandus, excuſandus, puniendusve, qui deliquit, vindicandus autem ſit, qui offenſus eſt, inconſultis ſane medicis, quotiescunque momentum juris in aliqua corporis humani conditione poſitum eſt, nihil quidquam decerni poteſt efficaciter. Sanctiora denique, quæ Canonica dicuntur, jura præterire medicos nequeunt, illique audiendi ſunt, quodſi, circa conjugiorum valorem, circa naſcentium formas ab humanitate abludentes, circa ſepulturæ honores avtochiris denegandos, & ſi quid aliud hujus argumenti eſt, quæſtio oritur. Etiamſi enim non deſint inter Judices atque cauſarum Patronos, qui hominis indolem recte perſpiciunt, quandoquidem, cum in academiis viverent, doctrinam de homine didicerunt, poſſintque illi, inconſultis medicis, varios juris nodos ſolvere, uti etiam ſæpe fit, quo illi hoc ſibi arrogent ſuisque ſe ſatis oculis videre, arbitrentur. Ita tamen æquiſſimi ſententiarum arbitri ubique ſtatuunt, audiendos in quæſtionibus artis ſuæ eſſe medicos, cum, qui totus & unicus in aliqua ſcientia haud eſt, vitam in illa docenda ac facienda

cienda haud transegit,ac ejus principia penitus perſpexit, de ejus ſententiis pronuntiare confidenter haud poſſit: *Ad ea eligenda* ait CICERO de officiis Libr. I. *quæ dubitationem afferunt, adhibere homines doctos debemus, vel etiam uſu peritos, &, quid illis de unoquoque officii genere placeat, exquirere.* Quæ cum ita ſint, ut a medicorum deciſionibus, varia utriusque juris æſtimentur pondera, æquum ſane eſt, eos, qui medici publici officium geſturi ſunt, omni ſcientiarum ad medicinam forenſem criticam pertinentium apparatu inſtructiſſimos ad rempublicam accedere. Veluti enim medicus forenſis, ſi ſapiens, & in perquirendis dubiarum quæſtionum offendiculis providus & perſpicax eſt, hominemque penitus novit, magno beneficio, judices juriumque arbitros, ac ipſas, quæ aguntur, cauſas, afficit, quando diſerta aliqua elocutione vel ſcriptione, facti indolem, cauſarumque nexus exponit, ſimilitudines autem veri falſa ſpecie ludentes, diſcutit, & media ſuggerit, quibus veritatem porro eruere, hinc ad concipiendam ultimam ſententiam pervenire ſuperiores poſſint; Ita ab illis, qui illotis, quod

ajunt,

ajunt, manibus ad ſacra accedunt juſtitiæ, propter inſcitiam ac temeritatem, cauſæ vulnerantur ac perturbantur miſerrime, quando phænomenorum ac ſignorum valores explicare & cardines, circa quos ſingulæ quæſtiones vertuntur, explicare neſciunt, faciuntque hac ſua, qua nihil, vel obſcure, vel falſe vident, hebetudine, quo nocentes homines impunes abeant, ſeverius autem animadvertatur in illos, qui mala ſua fortuna in ſuſpicionem, ſe dolo quidquam perpetraſſe, adducuntur, quod fortaſſe culpa, ac ſine mente, ab illis commiſſum fuit. Opus propterea eſt, ut, qui utiliter laudabiliterque in foro verſaturus aliquando eſt, omnes ex univerſo naturæ ambitu diſciplinas, ſi quæ illarum hominem attinent, vel omnino perſpectas habeat, vel penitus haud ignoret. Vſus propterea aliqua opuſculi hujus inſcriptione ſui, quæ diſciplinas omnes ad uſum fori accommodatas, ſignificatu ſuo, amplecteretur. Non enim ſola ſufficit anatome, licet illa, inter partes medicinæ ad interpretationem juris facientes, ſit primicera, nec ſatis ſit, ſanitatis morborumque leges cum auxiliis ad convaleſcendum neceſſariis,

mente

mente tenere, ſed quæſtiones experimentis ex omni phyſica deſumendis enodandæ obveniant ſæpiſſime. Hæc omnia mature in Academiis diſci oportet, nec tantum recte agendi ſtudio adductos illud agere fas eſt, ſed obſequii erga ſummum Imperantem debito compulſum, unumquemque, qui intra hos cancellos aliquando decurrere ſecum conſtituit, vitam academicam inter optima ſtudia, quæ medicum forenſem vel faciunt vel ornant, ita tranſigere oportet, ut, quod ſuæ fortunæ ſtabilimentum aliquando futurum eſt, intimis animi medullis concipiat: Ita enim, Mandato ad omnes ſpectante, die XXIX. Julii Anni MDCCL. Rex potentiſſimus juſſit. P. P. So befinden wir

Da aus denen Sections-Berichten gar vieler Phyſicorum deren Ungeſchicklichkeit, Wiſſenſchafts-Mangel und Inadvertenz in Beurtheilung derer Todes-Arten nach denen ächten Kennzeichen und Sicherſtellung derer Corporum delicti ſich hervorgethan, dadurch aber die Sententionantes oftmahls irre und zweifelhaft gemacht, auch ein langwieriger koſtbarer

barer Aufenthalt derer Criminal-Processe verursachet worden, der unvermeidlichen Nothwendigkeit zu seyn, vermittelst dieser unserer ins Land ergehenden General-Verordnung, die Vorkehrung zu treffen, daß fürohin bey unsern Aemtern oder von denen Stadt-Magistraten und andern Städtischen Gerichts-Obrigkeiten kein Medicus zum Amts- und Land- oder Stadt-Physico anzunehmen und zu bestellen, welcher nicht durch beygebrachte hinlängliche Attestate erweißlich gemacht, daß er den Cursum anatomicum und Cursum operationum chirurgicarum, ingleichen die Medicinam forensem, Chymie, Physic und Pharmacie auf Academien mit unausgesetztem Fleiß gehöret und absolviret ꝛc:

Veluti ergo omnes, quotquot in hac liberalium artium atque scientiarum universitate, salutaris disciplinæ præcepta tradimus, nihil studiorum omittimus quæ ad utrumque medici officium, clinicum æque ac forense suo tempore recte laudabiliterque gerendum requiruntur, dum artem maxime, cadavera clare atque perspicue secandi, tradunt publici doctores

æque

æque ac privati, utpote ſine qua nec in medicina utiliter exercenda, nec in forenſibus rerum geſtionibus, quidquam, mente concipi, dici, ſcribi, efficique poteſt curioſius; Ita aliquam illius negotii partem mihi quoque datam eſſe intellexi, ut univerſæ medicinæ legalis fundamenta, ad naturæ humanæ leges exponerem publice, quo habeant, qui iſtam medicinæ partem ſibi familiarem reddere cupiunt, aliquam diſcendi faciendique regulam, recentioribus fori uſibus & principiis, rationi & experientiæ ſuperſtructis, obfirmatam. Et præmittenda omnino huic opellæ eorum eſt excuſatio, quæ, ob doctrinæ ambitum, & libelli tenuitatem, brevius ſcribi oportuit, fortaſſe etiam ob immenſam caſuum varietatem, vel levius tacta vel omiſſa fuerint. Confido tamen, me artis fundamenta, ad uſum ſufficienter, traditurum, neque enim ultra diſciplinæ meæ limites excedendum mihi fuit. Sunt unicuique ſcientiæ certi quidem fines, intra quos ſubſiſtendum omnino eſt. Nemo, ſive judex ſit, ſive ſententiarum arbiter, a medico, præter, quam quod ex artis legibus cognoſci decernique poteſt, poſtu-

poſtulat, nec ſententiæ, ſed ſententiarum fundamenta exiguntur a medentibus. Intra hos terminos ſeſe continere debent, qui de Profeſſionis ſuæ argumentis coram judice exponunt. Eſt quoque ſingularis in relationibus medicis obſervanda prudentia, ne vel amoris, vel odii, ſtudiive partium, vel arbitrariæ cujusdam ſententiæ intercurrat ſuſpicio, ne altam ſapientiam, cum obſcuritate, ſcriptio ſpiret, ne laconica brevitate pumila ſit ac diſtorta, nec ampla recenſione luxuriet. Ipſum autem medicum, qui tanti momenti negotia, a quibus hominum vita, fama, fortuna ſæpe pendent, in ſe ſuſcepturus eſt, omnes iſtas virtutes, quas HIPPOCRATES *de decoro* Libello poſtulat, aſſequi oportet.

Ἀφιλαργυρίην, ἐντροπὴν, ἐρυθρίησιν, κατασολὴν, δόξαν, κρίσιν, ἡσυχίαν, ἀπάντησιν, καθαριότητα, γνωμολογίαν, ἀπεμπόλησιν, ἀδεισιδαιμονίαν, ὑπεροχὴν θεῖαν.

Avaritiæ abſentiam, reverentiam, verecundiam, patientiam, autoritatem, judicium, pacis ſtudium, familiaritatem, puritatem, facundiam in ſententiis ferendis, mercenariæ artis odium, ſuperſtitionis defectum, cultum divinum.

Felicem me, ſi artis filios ita erudire potero, ut ex illis habeant ſacræ Themidos antiſtites, quorum conſiliis uti ad tuendam

)( )(ſecuri-

ſecuritatem publicam, jusque tribuendum, poſſint. Eſt autem quædam inter bonas artes veluti conſpiratio, qua illæ ſeſe, diſpari etiam vitæ genere utentibus liberaliter communicant. Patent omnibus medicorum ſcholæ, dummodo ſint, qui ſciant doctrinis ſalutaris artis recte uti, quapropter nec invidemus Legum ſtudioſis illam, qua in Academiis frui poſſunt, res artis noſtræ foro utiles diſcendi, opportunitatem. Etiamſi enim metuendum forte eſt, ne illi, ſuæ aliquando freti ſcientiæ, quod medicorum eſt, agere, ſibique judicium de cauſis ex lege machinæ humanæ definiendis, arrogare velint: Nihil tamen impedit, imo refert, illos, qui aliquando judicum, eorumve vices gerentium, juris arbitrorum, cauſæ Patronorum, officia geſturi ſunt, medicinam legalem audire ac diſcere, ne ignorent ſuper quo argumento audiendi conſulendique ſint medici. Si qui enim illorum fuerint, qui, ſuperhabito artis peritorum conſilio, de arduis rebus ubi ſemel peſſumdatæ ſunt non reſtituendis, decernere velint præcipitantius, ſuo illi hoc faciant periculo. Quo ordine autem expoſiturus ſim, declarabo.

CONSPE-

CONSPECTVS TITVLORVM

SECTIONIS PRIMAE

De Medico ſecuritatem publicam curante.

Cap. I. De naſcentium cura.
Cap. II. De ordinandis cauſis ſanitatis generalibus.
Cap. III. De ordinandis convaleſcendi mediis.
Cap. IV. De præcavendis curandisque morbis popularibus.
Cap. V. De cura mortuorum.

SECTIONIS SECVNDAE

De Medico legum interprete.

MEMBRI PRIMI

De quæſtionibus juris civilis.

Cap. I. De privilegiis uteri.
Cap. II. De partu legitimo.
Cap. III. De ætatum privilegiis.
Cap. IV. De dubio animæ & corporis ſtatu.
Cap. V. De ſoſtris.

MEMBRI SECVNDI

De quæſtionibus juris criminalis.

Cap. I. De certitudine facti medica.
Cap. II. De læſionibus, mortis vel morborum cauſis.
Cap. III. De mediis eruendæ veritatis.
Cap. IV. De pœnis afflictivis corporum.
Cap. V. De momentis defenſionum medicis.

MEMBRI TERTII

De quæſtionibus juris eccleſiaſtici.

Cap. I. De matrimonii invalidi cauſis.
Cap. II. De dubio formæ humanæ & ſexus ſtatu.

Scripto-

Scriptores, qui de Medicina Legali exposuerunt generaliter.

PAVLI AMMANNI Medicina critica, ſ. Deciſoria, Centuria caſuum medicinalium in Concilio Facult. Med Lipſ. antehac reſolutorum, comprehenſa, Erf. 670. 4 Th.

— — Latinitati donata, opera Chr. Franc. Paulini, L. 693

FORTVNATI FIDELIS de Relationibus Medicorum Libri IV. ſtudio Pauli Ammanni, L. 674. 8.

THOMAE REINESII Schola ICtorum medica, Relationum libris aliquot comprehenſa, L. 679 8.

PAVLI AMMANNI Irenicum NumæPompilii, cum Hippocrate, quo veterum Medd. & Philoſophorum hypotheſes in Corpus Iuris civilis pariter ac Canonici, hactenus transſumtæ, a præconceptis opinionibus vindicantur, Frf. & L. 689. 8

IOH. BOHNII Specimina III. Medicinæ forenſis, Lipſiæ 690. 4

EIVSD. de officio Medici duplici, Clinici & forenſis, L. 704. 4

C. B B. (CONR. BARTHOLDI BEHRENS) Medicus legalis, oder geſetzmäßige Beſtell- und Ausübung der Artzney-Kunſt, Frf. und L. 696. 8

MICH. BERNH. VALENTINI Pandectæ Medico-legales, ſ. Reſponſa medico-forenſia, Latinitati donata, c. Introductionibus generalibus cuilibet claſſi præmiſſis, acc. Ejusd. Declamationes panegyricæ, Polychreſta Exo-

❀ ❀ ❀

tica & Dissert. epistolicæ, varii argumenti, Frf. M. 701. 4

IOH. FRID. ZITTMANNI Medicina forensis, s. eröffnete Pforte zur Medicin und Chirurgie, anweisende E. Med Facult. in Leipzig hoch vernünfftig ertheilte Aussprüche und Responsa über allerhand schwere, zweifelhaffte und seltene von 1650 bis 1700 vorgekommene Fragen und Fälle, Frf. M. 706. 4.

MICH. BERNH. VALENTINI Novellæ Medico-legales, s. Responsa Medico-forensia, cum Supplemento Pandectarum Medico-legalium, Francof. M. 711. 4

EIVSDEM Corpus Juris medico-legale, constans Pandectis, Novellis & Authenticis Jatro-forensibus, Edit. noviss. casibus utiliss. recentiss. & hactenus inauditis aucta. Frf. M. 722

ANDR. OTTOM. GOELICKE Medicina forensis demonstrativa methodo tradita, c. Introd. in Historiam literariam scriptorum, qui Medicinam forensem Commentariis suis illustrarunt, Frf. Od. 723. 4

IOH. FRANC. LOEW. Theatrum medico-juridicum, Norib. 725. 4.

MICH. ALBERTI Systema Jurisprudentiæ medicæ, c. præf. CHR. THOMASII, Tomis & Schneeb. L. & Gœrl. 725. 9. 33. 7. 40. 4. voll. V.

VALENT. KRAEVTERMANN (CPH. HELLWIG) Medicina renunciatoria & consultatoria, deutsch, Amst. und L. 726. 8

ERNST. EVSEBII RICHTERI Digesta medica, s. Decisiones medico-forenses, d. i. juristische und medicinische Aussprüche und Responsa über allerhand schwere, zweifelhaffte und seltene Fragen und Fälle, L. und Budiss. 731. 4

CHR.

❀ ❀ ❀

CHR. GOTTL. TROPPANEGER Deciſiones Medico-forenſes über 70. rare und zum Theil ſchwere Caſus, ſonderl. de lethalitate vulnerum, in 7 Decurien, Dreßden 733. 4

IOH. DAN. GOHLII Medicina practica, clinica & forenſis, ſ. Collectio caſuum rariorum ac notabiliorum medico-clinicorum, chirurgicorum ac forenſium, Reſponſis illuſtratorum, acc. Sam. Schaarſchmidii Vita Autoris, L. 735. 4

CHR. ERN. CLAVDERI Praxis Medico-legalis, oder 25 ausgeleſene Caſus Medico-forenſes, mit nöthigen Cautelen und Anmerckungen, Altenburg 736. 4

I. H. SCHVLTZE de Medico Phyſico, Hal. 738

IOH. CHR. FRITSCHII & IOH. CHR. WOLFFII ſeltſame doch wahrhafftige theologiſche, juriſtiſche, mediciniſche und phyſicaliſche Geſchichte, ſo wohl aus alten, als neuen Zeiten, 1 bis 6 Theil, Leipzig 739 — 40. 4 voll. 3

IOH. GODOFR. GREGORIVS de parte Medicinæ conſultatoria, Lugd. B. 740. 4.

GOTTW. SCHVSTERI Commentationes difficiliora & notatu digna quædam Themata, tam ad Medicinam quam Jurisprudentiam pertinentia, complexæ, Chemn. 741. 4

MATTHAEI BAZZANI & IOS. POZZII de ambigue prolatis Criminationibus Conſultationes phyſico-medicæ nonnullæ, Bonon. 742. 4 maj. ex typogr. D. Thomæ Aquinatis.

CHR. EHRENF. ESCHENBACH Medicina legalis breviſſimis comprehenſa Theſibus, Roſt. 746. 8

Dissertationes hujus Argumenti.

FRID. SCHILLING de Approbatione Medicorum, Argent. 674. 4

NIC. PRAGEMANNI Commentatio de Fide, quæ Medicis ap. ICtos est. I. 720. 4.

GEO. DAN. COSCHWITZ de Fide Medici, H. 726. 4

WENDELINVS BITSCH de Hippocrate Iustinianeo s. mutuo Medicinam inter & Iurisprudentiam nexu, Argent. 727. 4

LAVR. HEISTERVS de Medicinæ utilitate in Iurisprudentia, Helmst. 730. 4

POLYC. FRID. SCHACHER de ICto Medico, Lipsiæ 737. 4

IO. HENR. KESSELRING de Iurisprudentiæ medicæ, L. L. civilium & sacrarum scientiæ arctius jungendæ ratione, Amst. 737. 4

NTHRO-

ANTHROPOLOGIAE FORENSIS

SECTIONIS PRIMAE

de

CVRA SECVRITATIS PVBLICAE MEDICI OFFICIO.

CAP. I.

De Cura naſcituri & naſcentis.

§. 1.

Conſilia, non monita a medicis exigunt magiſtratus, cum, quid reipublicæ cauſa inſtituendum perficiendumque ſit, ignorare illi haud debeant, & ſcire præſumantur. Quapropter ſupervacaneum nunc quoque foret, rationibus ac legibus ſuper illo contendere, quod humanitas exigit, ut judices, ſibi fœtuum atque infantium curam gerendam eſſe, intelligant, quo in matrum uteris ad maturita-

tis ſuæ tempus ſubſiſtere, inque illis formam homine dignam ſumere, hinc commode ac ſecure naſci, poſſint. Haud enim ad parentes illud officium ſpectat unice, ſed partem providentiæ, naſcituris ac naſcentibus debitæ, imperantes in ſe ſuſcipiunt, &, ſancitis hunc in finem legibus publicis, voluntatem ſuam, ſuper cuſtodiendis uteris fœtubusque, declarant. Non parentibus ſolis, ſed etiam Reipublicæ, naſcuntur liberi.

§. 2.

De pravis, quæ latenter & inſidioſe contra fœtuum vitam ab impiis matribus aliisque percuſſoribus capiuntur, conſiliis, nunc agere velle, ab inſtituto alienum eſt, cum alibi hoc argumentum tractari oporteat. Sunt autem & alia, quibus naſcituri, quo minus ſalvi ad nativitatis tempus usque pertingere poſſint, impediuntur, offendcula, ea ſcilicet, quæ, cum ubique ſint, & in publico proſtent, vel matrum animos percellere, hinc efficere, quo minus embryones æquali partium ſuarum menſura ſuccreſcant, poſſunt, vel gravidas, mox imprudentia, mox malitia adductas, tentare valent, quo induci ſe ad aliquid contra fœturæ ſuæ vitam moliendum efficiendumque, patiantur. Removendæ ſunt offenſæ omnes, quæ prolem naſcituram vitiare vel penitus corrumpere poſſent, id quod perficiendum, inter alia agenda, medicis dederunt judices, ut circumſpiciant, ſitne alicubi quidquam, quod melius, quam nunc eſt, & ita ordinari poſſit, ne ſpes poſteritatis intercipiatur.

§. 3.

§. 3.

Duo ſunt, quibus fœtus corrumpi poſſunt, modi, alter, qui formam humanam, alter, qui vitam embryonis attinet; Vtraque illa mutatio, veluti a cauſis externis, ſub cenſura judicum poſitis, & bono regimine coërcendis, dependet, medicorum providentia impediri poteſt, ac debet. Illi enim, pro data ſibi facultate, animo oculisque ad omnia contingentia directis, noxias res, quæ vel idea vel materie ſua uterum ferire, & nutritionis, qua germen humanum ſenſim augetur, negotium turbare poſſent, detegunt, & ſuper illis judicem poſtulant.

§. 4.

Homini, ait CICERO Libr. I. de natura deorum *natura præſcripſit, ut nihil pulchrius quam hominem putaret, eſt enim illa vis tanta naturæ, ut homo nemo velit, niſi homini, ſimilis eſſe.* Eſt ſane inter optabilia fortunæ bona, forma homine digna & pulchritudo, qua naſci poſſe, divinum donum eſt. Hanc ARISTOTELES (a) dicit eſſe ordinem, commenſurationem definitam, ac rectam partium diſpoſitionem, qua ſuo quæque loco collocentur, juſtisque intervallis diſtribuantur. Quod etiam GALENO ita viſum eſt (b), qui de pulchritudine multa erudite diſputavit: *Pulchritudo*, inquit, *ex omnium medicorum ac philoſo-*

(a) De part. Animal. L. I. τὸ κατὰ τὴν μορφὴν σχῆμα καὶ χρῶμα ὀρθόν. Quod in forma, habitu & colore rectum eſt.

(b) De placit. Philoſ, c. 3.

philoſophorum ſententia, in membrorum apta connexione ſita eſt, digiti videlicet ad digitum, digitorumque omnium ad palmam, & manus ad articulos, & horum ad cubitum, cubiti ad brachium, & omnium denique ad omnia. Et propterea quidem in felicitate ponendum, formoſam prolem genuiſſe, quandoquidem, uti habet CICERO *Lib. I. de legibus. Natura ſpeciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret: Vultus, qui in nullo animante præter hominem eſſe poteſt, indicat mores.* Etiamſi autem nulla arte, pulchritudinem illam, *quæ naturalis aliquis lepor eſt, ad uſum nihil faciens, partes tantum ornans, ad amoris aut amicitiæ commendationem*, proli ſuæ parentes ingenerare poſſint, & ridiculum ſit illud *Callipædiæ* aut formoſam ſobolem generandi, artificium; (c) Licet tamen

(c) *Claudii* QVILLETI Callipædia, ſeu de pulchræ prolis habendæ ratione, Poëma didacticum, Pariſiis 1709. 8. cujus carminis frons, ille eſt.

Quid faciat lætos thalamos, quo ſemine felix
Exſurgat proles, & amœni gratia vultus.
Sidera, quæ lepidas fundunt per membra figuras,
Et quæ vis animæ geniali profit amori,
Quæ decora eximiam pulchro ſub corpore mentem
Commendent, clarisque hominem virtutibus ornent,
Hic canere aggredior.

Translatus Liber, anglico Carmine, prodiit, Londini 1710. 8 Titulo, Callipædia, or the art of getting pretty Children.

men auferre ex ſocietate humana, & a conſpectu gravidarum removere, terriculamenta, quæ animas matrum imprævisa perturbare, easdemque horrida aliqua objecti cum terrore viſi ſpecie percellere, in profundam viſæ rei, hinc diu & firmiter inhærentem cogitationem, ac meditabundam imaginis cum pavore viſæ contemplationem abripere, adeoque fœtus formam corrumpere poſſunt, ut, niſi omnes, quædam tamen ex delicatioribus & mente impotentioribus propter ſingularem aliquam corporis ſui conditionem, fixas ideas capere ac pertinaciter tenere valentibus, offendantur a tetricis ſpectaculis, & embryoni maculam inurant certiſſime.

§. 5.

Sæpe experientia & facti certitudo in rebus naturalibus declarat, quod ratione aſſequi haud poſſis. Naſcuntur fœtus paſſim, quorum forma ab humanitate ita abludit, ut illorum animæ, ſi viverent, propter organorum, ad animalium actionum exercitia deſtinatorum, ineptitudinem, erudiri & conceptus homine dignos de ſenſibilibus ſibi fingere haud poſſint, ſi caput male ordinatum cerebrique officina, ad vitam utcunque, neutiquam autem ad ſenſuum uſus compoſita eſt: Naſcuntur, ſi res mitius evenit, & ſalva eſt humanæ faciei ſpecies, corrupti artubus homines, quorum varietates collegit pinxitque SCHENCKIVS (d), de quibus, cum iſto naturæ errore nihil poſſit eſſe

(d) *Joannis Georgii* SCHENCKII monſtrorum hiſtoria, Frf. 609. 4

esse atrocius, tacere satius est, quam historias, asserto fidem facientes, prolixius excitare.

§. 6.

Non defore arbitror, qui me credulitatis ac superstitionis arguent, quodsi arbitratus fuero, terrores matribus incussos fœtum vitiare posse, cum, qua ratione istud ita effici possit, satis evidens haud sit. In fœtu forte causa latuit, quæ illum ad proportionis leges nutriri ac rite conformari haud sivit; forte, etiam terriculamento a se haud viso, mater informem partum editura erat. Parum sane in mutandis embryonum formis ideæ matres semper valent; quotaquæque enim foret, quin, masculum optans, desiderio & pertinaci in hanc ideam intento animo, fœmellum germen mutatura sit, si posset. Sunt etiam haud paucæ, quæ, se, ob visam truculentam miseri hominis faciem, aliamve corporis formam, monstrum parituras esse, toto graviditatis tempore, veritæ, nihil experiuntur eorum, quæ profunda meditatione timuerant, sed quæ formoso partu, se patremque exhilarant. Quodsi enim idearum modus, quo in fœtum agere illæ perhibentur, declarandus est, dubium sane supereſt haud exiguum, qua via illud, quidquid etiam est, quod idea, *imaginatio*, *impressio*, *phantasia*, dicitur, quodque, si est, in spiritibus maternis omnino hærere, cumque illis per nervos ferri debet, ad fœtum proficisci valeat, quandoquidem, per omnem anatomiæ fidem, qui a matris utero ad placentam uterinam, perque illam, interveniente funi-

funiculo umbilicali, ad embryonis corpus, ferantur nervi, nulli sunt. Quid impedit ad manifestas, quæ ad machinæ leges agant, causas, provocare? Suis intra uterum calamitatibus fœtus affligi, experientia loquitur, ratio haud contradicit, effectus morbosi in nascentium visuntur corporibus. Quid adeoque obest, coaluisse inter se gemella hominum stamina, si intra unum matris ovulum hæserunt, quando biceps aut bicorporeus nascitur, cum tale quid fieri posse, posseque duorum corporum vasa inter se communicare, exempla ex regno vegetabili desumta doceant, quando videmus, *aurantium Citreo malo*, *Citreum aurantio* prægnans esse, non vitio, sed mixta lege circuli? Quid obstat, quo minus extenuari aliqua tabe, ob paralysin, potuisse putemus infantulorum, minimi exempli, artus, quos propterea mancos mutilosque natos esse criminamur? Posset ne caput fœtus, ex tuberculo aut vitiosa quadam chondrogenesia quam, latini tumorem ossis ex cartilagine appellant, ita corrumpi, ut difforme fiat, ac portentosum? Sique membranea ista tela, quæ, sensim indurata, in ossa calvæ abit, ob pessimos succos a matre fœtui traditos, haud obrigescit, hiscitque propterea superioris mandibulæ compages, oporterne leporem a matre visum esse, quo hoc ita evenerit?

§. 7.

Etiamsi autem ita est, ut aliquando, nulla matris culpa, intestino aliquo malo confectus infans aliquod incrementi sui detrimentum capere &,

pere-

peregrina forma indutus, nasci possit, quam sententiam antiquissimis jam temporibus receptam legimus. (e) Quamvis adeoque errores, si qui formando fœtui accidunt, ab objectis, animam maternam in aliquem idearum turbinem abripientibus, oriri posse haud videantur, adeoque supervacanea forte cura sit, rempublicam purgare velle hominibus horrido aspectu obvias terrentibus, cum *ex ipsis mutilatis*, observante eodem HIPPOCRATE d. n p. integri nascantur pueri: Ἐκ πεπηρωμένων ἀνθρώπων ὑγιέα τίκτονται τὰ παιδία. Est tamen, est certe quædam intra matres fœtusque conspiratio, licet illa secundum machinæ leges declarari satis haud possit, qua fit, ut illæ, subitanea terroris idea perculsæ, fœturam mox levi macula, quam nævum maternum appellant, notent, mox totos artus corrumpant, ipsaque ejus mutent viscera,

(e) Ita enim COVS *de natura Pueri Libro. Mutilari* ait *in utero puerum censeo, vel collisione, si circa fœtum mater percussa fuerit, vel in eum ceciderit, vel aliam vim quamcunque perpessa fuerit, ut, qua parte colliditur puer, ea mutiletur. Quin & alio modo mutilantur pueri, ubi uteri locus angustus fuerit;* In quo HIPPOCRATIS oraculo τὸ περῦσθαι, *mutilis membris nasci*, neutiquam speciem hominis deformem, tetrico forte ac portentoso capite natum, sed, veluti vox ita paulo post explicatur, inæquale artuum incrementum, ob morbos, notat; ἔχει τὸν ἀριθμὸν πάντα τὸ πεπηρωμένον: *Infanti mutilo quoad numerum nulla pars deest.*

ra, qua in re, ideis operatricibus, uti etiam in aliis corporum mutationibus ex pathematum impetu contingentibus, aliquid largiendum, atque iſtius effectus ratio in determinato aliquo ſpiritu animalium ipſius fœtus turbine, eorundemque cum principio animali matris conſenſu, ponenda eſt, cum illud quidem ad animam humanam referendum haud ſit phænomenon; ſiquidem & bruta animantia pullos ſuos ſimiliter peregrina corrumpunt imagine, qua de re legi meretur, qui ſuperioribus annis prodiit, elegans IANI PLANCI (f) libellus, qui ſuper variis quæ & animantibus & vegetabilibus eveniunt, a formationis æqualitate receſſibus, exponens, ita habet: „Monſtra in ſpecies tres com„mode tribui poſſe, arbitror, quarum primam „eorum eſſe judico, quæ in utero animantium ita „oriuntur, ut ex duobus pluribusve fœtibus ma„nifeſto in unum coaleſcant, quod monſtrum di„citur, quodque partes membraque multa, ex „quibus coaluit, oſtendit. Genus hoc monſtro„rum notum eſt, & facile animo ſibi quisque fin„git, quomodo tenella ſtamina & plane mucoſa „plurium fœtuum inter ſe conſociari poſſint „in utero matris: At, cum WINSLOVIO *Act. Aca„dem. Scient. Pariſienſis*, aliisque, genus „aliquod ſecundum monſtrorum agnoſco, quæ „ex

(f) IANI PLANCI Medici primarii Arimini, de monſtris ac monſtroſis quibusdam, Epiſtola, Venet. 1749. 4 maj.

„ex conformatione naturali, ſive plaſtica qua„dam vi naturæ, ſive a natura ipſa ludente, ut „ita dicam, ita fiunt, ut partes tantum aliquas du„plicatas vel deficientes oſtendant. Ad tertium „genus monſtrorum ea revocari poſſe cenſeo, „quæ, morbo, in animantibus ſic fiunt, ut oſſa „reperiantur, ubi caro, vel membrana, vel glan„dula reperiri debuerat.„ Aſſentiuntur, & idearum matris in fœtum effectus aliquos eſſe poſſe defendunt, eruditi ex recentioribus viri, SWAMMERDAMIVS (g), qui exemplum maculati, viſo a matre æthiope, fœtus adducit, BOERHAVIVS (h), ejusque commendator illuſtris HALLERVS, clariſſ. HVBERVS (i), aliique, quorum fidem, nemini forte ſubleſtam, admiranda, quæ mihi obvenerunt exempla, roborant, habeoque tam hominum quam brutorum exemplaria, quæ morbo ita, uti nata ſunt, efficta eſſe haud potuerunt, & quæ, ad ſpeciem aliquam aliunde receptam, veluti ad imaginem quandam tunc, cum eorundem adhuc minor in utero forma eſſet, efficta eſſe oportuit, de quibus tunc, quando de *partu dubio*, in juris civilis ac canonici ſubſidium, acturus ſum, auditoribus proponam.

§. 8.

(g) IOHAN. SWAMMERDAMI *Miraculum Naturæ*, ſive *Uteri muliebris fabrica*, Lugd. Bat. 1722. 4

(h) HERMANNI BOERHAVE Prælect. Acad. Edit. ALBERTVS HALLER. Tom. V. part. 2. p. 522 ſqq.

(i) IOH. IAC. HVBERI de miris, vis externæ, ac inprimis imaginationis in mulieres gravidas, indeque in embryones, effectibus, Caſſ. 1743. 4

§. 8.

Poſſunt ergo, ad exemplum miſerrimorum hominum, ſi improviſo adſpectu illos intuita prægnans eſt, fœtus in utero componi, nec eventus ille, doctrinæ *de ortu hominis in ipſo ovulo materno omnibus partibus jam abſoluti*, contradicit, poteſtque idea terroris ita percellere totam matrem, ipſumque, qui matris pars eſt, fœtum, interveniente per vaſa umbilicalia ſanguinis communi circulo, adeo ruditer ferire, ut ſpiritus ejus, qui ſimul matris eſt, partem illam, quæ in objecto horrido cum abominatione viſa eſt, deſerat, eamque vel contabeſcere, abhinc naſcenti deeſſe, vel propter Rectoris defectum, in immanem & deformem maſſam excreſcere, præterque ordinem augeri, ſinat.

§. 9.

Quid adeoque magiſtratuum, circa hanc curæ fœtuum partem, officium ſecum afferat, ſponte eluceſcit. Subtrahendi ſunt conſpectui publico ejusmodi mutili, pumili, diſtorti homines, nec talia naturæ ludibria publicis ſiſtenda ſunt ſpectaculis. Veluti enim nec humanum quidem eſt, ex hominum miſeriis lucrum capere velle homines, ita periculum omnino ſubeſt, ne corrumpantur per phantaſiæ maternæ efficaciam naſcitura Reipublicæ germina, quod ſuperioribus annis hic Lipſiæ contigit, ut a viſo homine cruribus manco, quem agyrta circumducebat, offenſa mater, miſerrimum fœtum, cruribus ſimiliter mutilum pareret. Laudanda eſt illius, quod penes

Athenienſes, teſte PLVTARCHO (k) in *Lycurgo* fuit, inſtituti ratio, quo factum eſt, ne liceret ejusmodi oſtentis in publico verſari.

§. 10.

Altera curæ fœtuum pars vitam naſciturorum concernit, ut poſſint illi intra uteros ſalvi manere, & ad legitimum usque tempus, quod nutriendis perficiendisque intra matrices embryonibus datum eſt, perdurare, viribus penitus augeri, tandemque in ſpem Reipublicæ, valentes, naſci. Id quod quamvis ab officio magiſtratuum abeſſe videatur longius, datumque hoc ſit parentibus ipſis, quos, ſi naturæ vocem audiunt, ſpes eſt, fore, quo ſumma providentia noxas avertere velint, quibus fœtus ipſæque matres corrumpi poſſent, ſunt tamen, fueruntque, teſte CICERONE pro ROSCIO. AMER. eruntque ſemper, ejusmodi *portenta atque monſtra certiſſima, humana ſpecie & figura, quæ tantum immanitate beſtias antecedunt, ut, propter*

(k) Ἐι δὲ ἀγενὲς καὶ ἄμορφον τὸ παιδάριον, ἀπέπεμπον εἰς τὰς λεγομένας ἀποθέτας παρὰ ταύγετον τὸν βαραθρώδη τόπον ὡς ἄντε αὐτῷ ζῆν ἄμεινον ἄντε τῇ πόλει τὸ μὴ καλῶς ἐυθὺς ἐξ ἀρχῆς πρὸς ἐυεξίαν καὶ ῥώμην πεφυκός.

Si autem male natus & deformis infans eſſet, miſerunt illum in apothethas dictas (brephotrophia forte.) quæ in paludoſa ad Taugetum regione eſt, quandoquidem nec illi (in republica) vivere, nec urbi commodum eſſet, qui non bene ab initio ad bonum habitum & robur eſſet genitus: Neutiquam autem occiſos, ſed clam enutritos, hos fuiſſe, exponit HENR. STEPHANVS *Theſauro* linguæ græcæ ſub voce ἀποθέται.

propter quos hanc ſuavem lucem adſpexerunt, eos indigniſſime, luce privent, cum etiam feras inter ſe partus atque educatio & natura ipſa conciliet. Eſt etiam propterea valde neceſſarium, quo imperantes naſcituros, contra parentum, prolem equidem libidinoſe affectantium, nutrire autem, vel, peſſimi pudoris cauſa, propalare, detrectantium, proterviam, tueantur quam efficaciſſime, cum & illi, qui adhuc in germine vivunt, pars eſſe Reipublicæ niſi actu, potentia tamen, cenſeantur. *Totum corpus reipublicæ curent*, ait CICERO *de officiis, qui illi præſunt, nec, dum aliquam partem tuentur, reliquas deſerant.* Poſtulat ſibi hanc tutelam eaque vehementer indiget, corruptiſſimarum matrum infelix ſoboles, cui illæ vel naſcituræ, vel naſcenti inſidias ſtruunt, mortemque intendunt, veluti frequentia exempla, id quotidie ita effici, ſatis ſuperque declarant, quarum peſſimæ, erga ſe ſuumque fœtum voluntati ſalutaria opponenda ſunt conſilia, quibus efficiatur, ne illæ vel excutere fœtum pharmacis, vel eundem, poſtquam clam pepererunt, peſſumdare, exponere, manuque illata, vel quod perinde eſt, neglectu curæ naſcentibus natisque debitæ, internecione delere poſſint.

§. II.

Quamvis graviſſimum illud ſcelus, quo contra vitam fœtuum ſuorum conſpirant, aut certe illius curandæ negligentiores ſunt meretriculæ, earumque complices, ad forum illud ſpectet, quod crimina inveſtigat ac punit, pertinet tamen etiam

iam ad Rempublicam, cujus intereſt, invenire, quæ impedire facinus illud poſſint, media. Horum *alterum* eſt, detegere coelatam graviditatem mulierum, quas ſuſpicio eſt, vaga venere uſas eſſe, easque cuſtodire, atque ita proſpicere, ne crimina ſanguine expianda, inſcio magiſtratu commiſſa, cumulentur; Nam, quæ graviditatem diſſimulat, in ſuſpicionem infanticidii mente concepti merito adducitur. *Alterum* autem in circumcidendis, quibus contra ſe ſuamque ſobolem mulieres uti poſſent, opportunitatibus nocendi, conſiſtit.

§. 12.

Si ſana mater eſt viribusque pollet, adeo facile matrice ſe exturbari fœtus haud ſinit, eſtque in illo, qui ſecundinis atque fundo uteri intercedit, nexu, dici nequit, quanta firmitudo, ut violentius concuti matris ventrem, ipſamque mulierem vehementer debilitari oporteat, quo abortio moveatur, quæ in ſeparato exque ſede ſua moto uterino hepate, fluxuque ſanguinis abinde excitato, conſiſtit. Vanæ adeoque atque irrita plerumque ſunt iſta prægnantium tentamina, dum vulgatioribus utuntur phtharticis, quæ latinis abortiva dicuntur, pharmacis. Interea non deſunt peſſimarum artium doctores atque executores, qui efficaciori medicina naſcituros debilitare & conatus pariendi præcoces, ſecundinis de fundo uteri revulſis, procurare didicerunt, quorum temeritatem in illis, quæ propius ad hanc materiem ſpectant, capitibus, enarrabo plenius.

Etiam-

Etiamſi autem ſceleris iſtius cenſura judici crimina inveſtiganti relicta eſt, intereſt tamen Reipublicæ, proſpicere ſedulo, ne medicamenta efficaciora, ſine medicorum conſilio ab imperitis exhiberi aut accipi, vel mercium nocentium venditio publice inſtitui poſſit. Interdicendi ſunt pharmacopolæ ab imprudente illa, quam ſibi arrogant, vel medicinam faciendi, vel draſtica quævis, quæ ἀπὸ τῆ δρᾶν, a ſumma, qua pollent, efficacia dicta ſunt, medicamina exhibendi audacia. Nocent enim gravidis vomitoria maxime & purgantia, quorum frequens uſus uterum, per conſenſus leges, quæ illi & reliquis imi ventris viſceribus intercedunt, laceſſere, convellere, fœtumque infirmare poſſunt. Similiter, cum fœtum nihil plus magisque, ſanguine liberaliter ex vena miſſo, corrumpat, opus eſt, quo venarum ſectoribus, ne mulieri cuivis, venam, omnium minime illam, quæ in talo eſt, incidant, imperetur.

§. 13.

Ne autem in ſe ſuamque prolem ſævire mulieres, poſſint, magiſtratus eſt, an ſint, quæ de graviditate ſuſpectæ habeantur, malæ famæ mulieres diligenter circumſpicere. Licet autem de uteri pleni vacuive ſtatu, per varia ſigna, cognoſci aliquid poſſit, ſecurius tamen, quod, facta uteri inſpectione per fœminas artis obſtetriciæ gnaras, fertur, cenſetur eſſe judicium.

§. 14.

In vulgus nota ſunt graviditatis ſigna, licet illa expedita ſemper omnique dubio majora haud ſint, ſuſpicionem ſæpe, veritatem ſemper facere haud valentia. Satis tamen, ad opinionem, valent, ſi præterea mores corrupti & vagum vitæ genus mulierem arguunt, præſtat enim, ad infringendam peſſimam hominum voluntatem, curioſiores, quam negligentiores eſſe judices. Sunt autem, quæ vitalem uteri plenitudinem indicare poſſint, ſignificationes variæ. Inter primarias menſium defectus eſt, incolumi cætero quin juvencula, nullisque effectibus morboſis, quales ſunt pallor, tumor, anhelitus, præſentibus, qui innocentem tributi lunaris defectum ſubindicare, & prætextui huic fidem facere poſſent; Propterea, ſi quæ, floridæ cum ſint bonoque corporis habitu præditæ, matrum familias aut familiarium teſtimonio, aliquod abhinc menſibus cruentatæ haud fuerint, ſtudioſius obſervandæ eſſe cenſentur, licet uno iſto ſigno adductus judex inculpare fortaſſe mulierculam nollet, cum morbus prægreſſus, effuſio ſanguinis magna utero ante facta, hæmorrhagia narium periodica, cujus quædam cum menſium fluxu ſæpe viciſſitudo eſt, hujus deliquii cauſa eſſe poſſit. Increbeſcere ſuſpicionem oportet, ſi, junctim cum deſtillationis menſtruæ defectionibus, tumor ventris adfuerit, non longo abhinc tempore deprehenſus, ſed paucis abhinc menſibus ſenſim auctus, quem ex morbo haud eſſe, per optimæ ſanitatis ſigna conſtet.

ſtet. Quamvis enim vafræ iſtæ meretriculæ mutati corporis habitus cauſas allegare didicerint varias, ſeque ex uteri labe, cujus ſanguinei fontes deſiccati nunc ſint, intumeſcere prætexant, nullus tamen excuſationi locus eſt, ſi effectus morboſi nullibi fuerint, qui ſimulatæ ægritudini reſpondeant, & ex illa, tanquam cauſa ſua, fluere poſſint, poteſtque illa, quæ cum catameniorum obſtructione imo ventre turgidula eſt, medicorum ac obſtetricum examinibus confidenter tradi; Imo vero ſufficit ſolius ventris intumeſcentia, ut mulieris integritas reddatur dubia, etiamſi enim, ſe cruentam eſſe, illa aſſerat, quamvis etiam, cum tamen fraus ſubeſſe poſſit, fidem huic aſſerto habeas, non tamen exculpata ſatis eſt, quæ, ſine muliebris cachexiæ ſignis, abdomine intumeſcit, etiamſi ſanguis fluxerit Solent enim ex fœminis illæ, quæ ſanguine pleniores ſunt, primis menſibus, ſæpe etiam toto geſtationis tempore, ſanguinem effundere, ut honeſtæ ſæpe matronæ ſe gravidas eſſe, propterea, quoniam cruentari haud deſinant, ad medium usque graviditatis tempus ignorent, dubitarent etiam porro, niſi abdominis incremento motuque fœtus, certiores redderentur. Quapropter debile innocentiæ argumentum eſt catameniorum continuata fluxio, ſi reliqua contradicunt. Quodſi ſuper his omnibus mammarum plenitudo acceſſerit, ſi lactis intra illas ea ſpecies, quæ tenuis eſt materies, coloſtrum dicta, deprehenſa eſt, cujus apparitio non tantum graviditatis, ſed ejusdem etiam

BIBLIOTEKA W TORUNIU UNIWERSYTECKA

provectioris & partui propinquæ, indicium esse potest, sane, qua excusatione prægnantiæ suspicio averti possit, haud facile apparet. Sunt equidem & aliæ corporis muliebris conditiones, quæ juvenculis ignominiosæ sunt, & uteri plenitudinem subinnuere posse vulgo putantur, ex quibus tamen solis nemo sapiens super graviditate conjecturam instituere vellet, veluti, si vomiturit, aut nauseabunda carnes aversetur, aut res ineptas appetat, terramque & carbones, aut frumenta devoret, quem ventriculi errorem græci κίττειν, (1) latini picam, appellant. Debilis istis phænomenis inest significandi valor, si cætera non respondent, cum tale quid sibi accedere & illæ norint, quæ, cum pubescunt, utero sanguinem fundere nequeunt. Illa autem, quæ antea adductæ fuerunt, signa, dubitationis plurimum facere possunt, si simul omnia capiantur, de quibus tamen brevius hic egisse satis est, cum plures juris civilis æque ac criminalis tituli sibi aliquam hujus tractationis partem postulent.

§. 14.

(1) Τῶν συμπτωμάτων τῶν κυόσας ταῦτα μάλιστα ἐνοχλεῖ, τὸ περισταίναν, καὶ συνεχῶς ἐμεῖν, καὶ πτυελίζειν, καὶ καρδιώσσειν, καὶ ἀσιτῶν, ἐπιθυμοῦσαι ἐδίαν ἄμυλον ξηρὸν καὶ γῆν ἐν τῇ καλαμίνῃ κίττας PAVLVS *Aegineta* Libr. I. Cap. I. Quæ gravidas maxime perturbent, symptomata hæc sunt, eructare, continuo vomere, & salivam fundere & ostio summo ventriculi dolere, & non appetere, concupiscentes farinam siccam edere & terram, in sic dicta pica.

§. 14.

Quodſi autem his omnibus, quas evidentes in ſe habet, corporis ſui conditionibus adduci, ut graviditatem ſuam ingenue profiteatur, haud poſſit mulier, dum hac ſua pertinaci negatione ſuſpicionem mali doli pravæque erga fœtum ſuum voluntatis in ſe derivat, quodſi etiam, ſe gravidam eſſe, vere ignoret, pro eruenda rei veritate ad inſpectionem ventris deveniendum eſt, quæ eſt *Signorum, quibus præſentia fœtus in utero argui poteſt, jubente judice, conſulente medico, per obſtetrices, publico nomine inſtitutas, vel alias ad hunc actum juramento adſtrictas, imo etiam per mulieres fide dignas, viſu ac contrectatione facta exploratio.* Modeſtæ caſtæque leges, hanc inveſtigandæ veritatis partem, propter honorem ſexui habendum, fœminis tradunt ſuæ artis gnaris, quarum relationibus fides habetur; (m) audiendi tamen ſimul ſunt medici, inque ipſo examine, obſtetricum fides, aſſenſu medentis ſecundum relata judicantis, corroboranda eſt. Licet enim ad cognoſcendum partum præteritum ex arbitrio Conſtitutionis Criminalis, obſtetrices aliæque mulieres, ad fidem facien-

(m) Autoritatem publicam habent obſtetrices, & earum teſtimonio res muliebres coram judice ſtant: Obſtetrices medicis adnumerantur L. 9. ff. ad Legem aquiliam Libr. I. §. 2. ff. de extraordinaria cognitione: Medici ventres jubentur inſpicere. AMIAN Interpr. Iulii Pauli recept. ſentent. I. III. 24. §. 8.

faciendam ſufficiant, cum illius ſtatus muliebris luculenta ſit ſignificatio, ſignis ipſis omni dubio majoribus, ut medici ſuffragio haud opus ſit: Attamen, cum, in dignoſcenda graviditate, quæ illam attinent ſigna, etiamſi quam maxime evidentia eſſe putentur, dubia tamen manere poſſint, pertinaciter negante muliere, ſolis ſane obſtetricibus fidendum haud eſt, ne illarum relatione inductus judex gravius quid contra inſontem forte mulierem decernat. Si quæ ergo muliercula graviditatem, cujus ſuſpicionem in ſe derivavit, diſſimulat, atque ex morbo eſſe dicat, quod emmenia fundere deſierit, hinc hypogaſtrio, qua voce græci regionem quæ ſupra inguen eſt indicant, intumuerit, vel turgidulas humore aliquo mammillas gerat, tunc matricis plenitudo, vitalisne an morboſa ſit, perſpicienda eſt ſtudioſius. Exploranda ventris forma, fœtus ipſius, ſi fieri poſſit, motus percipiendus, hinc contentum in mammis liquidum ſecundum ſuam vel quantitatem vel conſiſtentiam examinandum eſt. Hæ conditiones, ante medium totius graviditatis tempus, quod cum vigeſima ſeptimana, ex quo mulier ſubacta fuit, coincidit, obſcuriores eſſe ſolent, ideoque tunc demum perſpiciuntur clarius, quando, vergentibus ultimis menſibus, ad ſui complementum infans properat, quo tempore potiſſimum, formæ mulierum quoad ventres mutari adeoque intuentium oculos in ſe convertere ſolent, ut tunc maxime quæſtio de diſſimulata graviditate in foro agitari con-

conſueverit, poſſitque matricis ſtatus, ob ſignorum evidentiam tunc plenius perſpici. Quod tumorem abdominis attinet, poſſet equidem ille a peregrina aliqua re,

1) Sanguine celluloſam uteri ſubſtantiam farciente, 2) ſero intra ejus cavum collecto, 3) tumidis aqua folliculis, quas hydatidas Græci vocant, intra matricem inque ovario alterutro aut utroque, vel intra abdominis tunicas hærentibus, 4) a meſenterio in durum tumorem, quem ſcirrhum appellant elato 5) ab aquis intra abdominis cavum, velut in utriculo, qui Græcis ἀσκὸς dicitur, contentis, unde morbo huic Aſcitidi nomen eſt,

procedere, ſed, præterquam quod ſingularia quædam uniuscujusque ex morbis adductis ſunt phænomena, quorum præſentia vel abſentia, an ſecundum, an præter naturam tumor ſit, ſignificat, ita in ipſius intumeſcentiæ externa forma, oculis manibusque explorata, eſt aliquid, quod mulieres partum expertas ſubterfugere nequit, dum plena fœtu matrix ſub integumentis muſculisque abdominis, ſphæræ aut magnæ pilæ inſtar, æquali amplitudine, ſiſtitur, tumores autem qui præter naturam fiunt, in unum alterumve latus magis vergunt, atque ad contactum ſunt duriores. Sed videas eſſe haud paucas, quibus, propter ventris, & illius, quam pelvim appellant, loci, in qua uterus ſedet, amplitudinem, propterea etiam, quod pinguiuſculæ ſint,

&

& ſtatura elatiores, uterus, etiamſi foetu plenus eſt, ita occultatur, ut, ſi inſpectio uteri, medio forte geſtationis tempore, inſtituta eſt, certi quidpiam reſciſcere inſpicientes nequeant. Quapropter dimittendæ ſubito, omnique dolo liberæ eſſe haud exiſtimandæ ſubleſtæ fidei mulieres ſed cuſtodiendæ ſunt, novumque cum illis, poſt aliquem temporis decurſum examen inſtituatur; ſunt enim haud paucæ ex prægnantibus, quibus, ob ſingularem lumborum figuram, propterque os, ſacrum dictum, plus, quam alias eſſe ſolet, excavatum, non niſi ultimis geſtationis menſibus, venter plus eminet, multæque pariunt, de quarum ſtatu per formam aliquam externam nihil conſtiterat, a qua ventris, penes plurimas graviditatem coelantes, planitie, illud plerumque fit, quo nec matres familias, nec familiares, quidquam ſuſpicionis alant, adeoque eveniat, quo infanticidiis committendis, ſive culpa, ſive dolo perpetrandis, occaſiones præſcindi haud poſſint: Propterea in ſolius ventris contemplatione ac contrectatione actus examinis hujus unice ponendus haud eſt, ſed præcipuam illius partem, oſtii uterini interni per contactum facta exploratio conficit, cujus ſingularis quædam, quam conniventiam HIPPOCRATES appellat, (n) conformatio, graviditatis eſſe poteſt ſignificatio, ſcilicet,

(n) Ὁκόσων ἐν γαστρὶ ἔχουσαι, τατίων τὸ στόμα τῶν ὑστερῶν ξυμμέμυκεν. Aph. S. V. 51. Quæ uteris gerunt, illarum matricis os connivet.

licet, quamprimum, eo usque, fœtu ſuo plenus, intumeſcit uterus, ut illi ab ea qua hactenus cum vacuus eſſet utebatur, oblonga facie recedendum omnino ſit, fieri ſane, propterea, & propter auctum ejus volumen, hinc propter diſtentos illius parietes, aliter nequit, quam quo, quod vacuis fœminis faſtigiatum prominulumque eſt, matricis internum oſtium, in latitudinem explicetur, ita plus & magis, uti plus magisque uterus, ab embryonis incremento ſenſim facto, expanditur. Quæ omnia luculenta magis fiunt, ſi mulier a partus termino prope abeſt, ipſiusque partus imminentis ſigna ex orificii hujus planitie deſumuntur, cum, quod frequens fori uſus docet, adeo dura perfrictaque fronte ſæpe ſint mulieres, ut etiamſi monitæ & ſuper graviditatis apparentis ſuſpicione quæſitæ fuerint, pertinaciter tamen negent, & ſæpe, ipſo, quo negatum fuit, die, infelici partu clam edito embryoni vitæ filum præſcindant, cum, ſi adducta fuiſſet obſtetrix, illa ex contrectatione uteri graviditatis veritatem aſſerere, & vicinum partum ex perſpectis ſinus muliebris conditionibus ſubintelligere, ſicque nefandum crimen avertere potuiſſet; præter enim, quam quod uteri os, conniver, deſcendit illud etiam ad ingvina, externo oſtio prope eſt, & hac ſua mutatione partum nunc imminere ſignificat. Veluti autem, in re dubia, nihil eorum prætermittendum eſt, quibus ad veritatis cognitionem deveniri poteſt, ita, cum etiam a morboſa uteri plenitudine, mutari oſtium

uteri

uteri poſſit, ad inſpectionem uteri ab obſtetricibus inſtituendam, illud pertinere arbitror, quo motus embryonis, impoſita ventri manu, exploretur, quo ſigno intellecto, omnis ceſſabit dubitatio. Quodſi enim in utero materno ita profecit fœtus, ut ejus muſculi ad articulos movendos valentes ſatis evaſerint, tunc ille, ex naturæ lege,

> quæ animata corpora ad ſanitatem ſervandam ac conſequendam moveri ſubinde vult, & exemplum neceſſarii ad ſalutem muſcularis motus, in ipſis ſtabilivit fœtubus

intra ſuas, quibus undiquaque alluitur, amnii ſcilicet, quæ intima fœtus eſt amicula, aquas, volutari incipit, ſuoque hoc motu, circa medium geſtationis tempus debili, ſenſim auctiore, tandemque exquiſito & matribus ſæpe gravi, ſuam præſentiam ita declarat, ut ab iſta uteri compulſione ac veluti quadam fœtus calcitratione, ſe gravidas eſſe, matres, etiamſi primiparæ & rerum ad partus negotium pertinentium ignaræ fuerint, intelligere poſſint. Quodſi ergo, ſignis antea adductis ad confeſſionem adigi mulier nequeat, morbumque conſtanter prætexat, quandoquidem etiam lactis illa quæ intra mammas reperta eſt ſpecies, ad convictionem haud ſufficit, hoc unicum ſupereſt, ut fœminis, fide dignis adſtrictis, tradatur, quæ, quandoquidem noctu potiſſimum quieſcente matre volutari fœtus ſolent, cum illa cubent & rei veritatem expiſcentur. Quamvis enim illud, quod ex motu vitali embryonum capitur, atque inter omnia

omnia graviditatis ſigna ſecurum maxime eſt, indicium, ſuſpectum dubiumque aliquando eſſe poſſit, quandoquidem haud raro evenit, quo vel ipſius uteri, vel muſculorum abdominis violenta, ex morbo facta contractio, flatuumve, qui inteſtina diſtendunt, turgeſcentia, infantis intra uterum commoti ideam ſiſtat, patianturque aliquando, hac interna fluctuationis cujusdam perceptione, ſibi imponi mulieres, ut, ſe gravidas eſſe, putent, veluti, ubi de imaginaria falſaque graviditate quæſtio movenda eſt, illa controverſia, *ſitne motus omnis intra abdomen perceptus, indubitata graviditatis ſignificatio?* agitabitur: Eſt tamen in vitali illo, quem infans maturitati proximus matrici imprimit, quemque viſu æque ac contrectatione percipere inſpicientes poſſunt, ſingularis quædam mollities, illis convulſivis, quas morbus inducere poteſt, uteri agitationibus omnino diſſimilis, qua manus impoſita ſubrepentes tenelli articulos, quandoquidem plenus uterus tunc prope abdominis muſculis ſubjacet, diſtincte perſpicere valet, veluti, hæc omnia ita perficienda, hacque ratione occultas graviditates detegendas eſſe, obſtetrices a magiſtris ſuis percipiunt, ſi illos audire, & hanc etiam, quæ forenſis eſt, officii ſui partem diſcere velint.

§. 16.

Veluti illud, quod antea deſcriptum fuit, forenſe erat obſtetricis officium, ita longe excellentius longeque difficilius aliud ſibi datum habet, quod clinicum eſt, inque partu hominis procuran-

do & ferendo parientibus auxilio, ponitur: Quapropter nunc altera illa magiſtratuum, quæ naſcentes attinet, cura, in eo conſiſtit, quo obſtetrices ad res ſuas, quæ viram fœtus ſimiliter attinent, recte laudabiliterque ac ſecure gerendas inſtituantur, & aliquam, ſecundum quam agere oportet, normam, a medicis hunc in finem conſtitutis, accipiant. Ita enim factum eſt, quo, ab ineunte mundi ætate, ſecundum ſacræ hiſtoriæ fidem, ad hæc noſtra usque tempora, partus humani adminiſtratio fœmineis tradita fuerit manibus, quod inſtitutum, veluti modeſtiæ ſexus reſpondet, ita culpandum neutiquam eſt, & ad fiduciam atque obſequium parientis plurimum confert. Neque enim muliebri ſexui ad diſcendas artes vel ingenium deeſt, vel recte agendi facultas. Maxime, quod artem obſtetriciam attinet, eſt mulieribus quædam manuum agilitas, quæ ad curandam infantium nativitatem requiritur, eſt etiam illis quædam ex propria reminiſcentia, ſi pepererunt, ſcientia, uteri parientis neceſſitates intelligendi atque regendi, ſi ſapiens regularum artis uſus accedit. Quamvis autem propter pudorem & reverentiam ſexui habendam, propter etiam fiduciam, quam prægnantes ipſæque puerperæ, majorem in muliere quam viro poſitam habent, ſatius videatur eſſe, ut obſtetricibus ſolis hoc relinquatur negotium: Tanta tamen officio huic, quod mulieribus a magiſtratu gerendum datur, agendorum multitudo intercurrit, & difficultas horum tanta eſt ſæpiſſime, ut dubium ſubnaſcatur,

ſcatur, debeatne ejusmodi, quales nunc paſſim artem obſtetriciam exercent, fœminis, ſufficiente uteri, fœtusque, & ipſius partus cognitione haud pollentibus, vita naſcentium & matrum ſanitas committi, ſatiusne ſit, ſingulares quosdam caſus, ad quos expediendos induſtria muliebris haud ſufficeret, artificibus, omni ſcientiarum ad hoc negotium recte gerendum requiſitarum genere, inſtructis, relinquere, & viris partuum difficiliorum procurationem, publica autoritate, tradere. Et jam dudum eſt, ex quo dubitare deſiverunt urbium magna hominum frequentia celebrium præſules, debeantne plus pudori fœminarum, viris, quando pariunt, ſeſe tradere recuſantium, quam curæ pro vita civium gerendæ, largiri, habentque medici paſſim hoc a magiſtratu ſibi datum officium, parturientibus, ſi expediri per obſtetriciam mulierem fœtus nequit, aſſiſtendi, nec audiendi illi ſunt, qui *indecorum* arbitrantur eſſe, quo *vir parientem curet fœminam* (o). Impudicus ille pudor eſt & impia mulierum pietas, ſi mortem obire, & fœtum ſeque una peſſumdare, quam ab honeſti viri conſiliis ſtare, præoptant. Jam inter Græcos penes viros ars obſtetricia fuit, veluti ex C. IVL. HYGINI (p) narra-

C 2

(o) Anonymi del' indeçençe aux hommes d'accoucher les femmes, Paris 1718. 12

(p) Meminit HYGINVS Tab. CCLXXIV. Antiquos obſtetrices non habuiſſe, unde mulieres verecundia ductæ interierint, & Agnodicen puellam, habitu virili indutam, Hierophylo cuidam, hujus artis diſcendæ cauſa, ſe erudiendam dediſſe

narratione discitur, nec mulieribus, sed viris scripsisse censendus est HIPPOCRATES, quando varia eruditione plenos de mulierum morbis, deque partu exscindendo libros condidit. Interea largiendum consuetudinibus hominum aliquid est, quandoquidem nunc partum, quousque ille naturalis est, vel a statu naturali non multum recedit, curant mulierculæ. Hinc docendæ, quo recte facere possint, illisque constituendi sunt, intra quos manere debeant, limites. Si quæ enim difficiles & laboriosos, quos præternaturales appellamus, partus, præsente, quem consulendum esse noverat, medico, in se sola suscipit, siniſtri eventus, qui ex ignorantia, neglectu, aliquando etiam ex temeritate consequitur, causa fuisse, omnino exiſtimatur.

§. 17.

Obstetrices *parituram*, *parientem* atque *puerperam* curant, habentque hoc triplici suo officio tantum, quantum vix masculo ingenio recte ubique geritur, negotium. Quot *parituras* attinet, est aliquod tempus partui proximum, quo, natura moliminibus spuriis, ex longinquo ad partum sensim sensimque accedit, ac veluti proludit, maxime, si prima vice paritura est mulier. Illo tempore solent aliquando præcipitantius agere obstetrices, malisque utuntur artibus, quo matrem ad conatus pariendi præposteros ac intempestivos adigant, quandoquidem alibi est, quod illas urget, voluntque expedire pauperculam subito, dum, veluti in magna hominum frequentia fieri solet,

ad

ad opulentiorem forte avocantur. Veluti ergo in omnibus adminiſtrationibus ſanitatem & vitam humanam attinentibus, ita etiam in hac, nocet feſtinatio, fitque ſæpiſſime, quando obſtetrix uteri oſtium digitis vellicat, vehementerque diducit, hinc chorion, quod extima fœtus amicula eſt, dilaniat & aquas educit fœturam circum a natura fuſas, quas ſponte fluere fas erat, quo deficcatis partus viis, infans de vita ſua periclitetur, eveniatque, ut mater ipſa ad præmaturos pariendi conatus excitata, quando res ipſa ſerio agenda eſt, viribus deficiat. Tunc enim demum partui proxima mater eſt, ſi os matricis ſenſim diductum, penitus dehiſcit, aquæ, membranis ſponte ruptis, fluunt, & pertinacia pariendi adſunt conamina.

§. 18.

Quandoquidem unumquemque ſuæ originis conſcium eſſe decet, quoniam etiam ad obſtetrices in ſuo officio continendas, partus negotium a judice ignorari haud debet, de homine naſcente, ne artem obſtetriciam docere nunc velle videar, agam breviſſimis. Optimi partus, quo nec fœtus nec genitrix læditur, conditiones, *facilitas* ſunt & *perfectio*, *illa* quidem, ut impedimenta nixui obſiſtentia abſint, *hæc* autem, ut poſt fœtum, ſecundinæ etiam ſeu fœturæ involucrum quodvis, membranæ ſcilicet, *chorion* atque *amnios*, hinc *placenta uterina* penitus educantur, ſimulque, ſi quid *falſi germinis* adeſt, ſubmoveatur. Etiamſi autem maximum illud naturæ opus eſt, fœtum, qui ſuo volumine oſtio uteri ſemper major eſt,

eniti, magnaque contentione & aliqua ſemper cum difficultate expeditio illa ad finem perducitur, nihil tamen tunc obeſt, quo minus res bene geratur, ſi infans vitæ in utero matris gerendæ terminum haud prævertit, & novem menſes plenos abſolvit, ſi etiam fœtura ſeſe ad oſtium uteri, partibus ad nativitatem commodis, maxime autem capite, applicat, nec multo grandior eſt, quam qui naſci poſſit, &, quod gemellos attinet, ſi, qui deinde naſciturus eſt, ſua involucra ante, quam prior natus eſt, haud rumpat, quodſi denique parturientis vires ad ſuſtinendos partus labores ſufficiant, ipſa autem matrix conſtitura ſit optime. Sub his conditionibus ad naturæ leges accommodatis nihil impedit, quo minus eniti ſobolem mater poſſit quam expeditiſſime, & hic partus naturalis dicitur, qui ſine obſtetricis auxilio celebratur ſæpiſſime.

§. 19.

Diſcedit aliquantulum a naturæ lege, quæ capite naſci plures fœtus juſſit, agripparum partus. *In pedes procedere naſcentem, contra naturam eſt, quo argumento eos appellavere agrippas, ut ægre partos* (q). Certe ſua ſponte agrippa nunquam naſcitur, opusque eſt, ut obſtetrix partus ejusmodi ſapienter dirigat. Morboſus tamen aut difficilis dici ſane nequit, cum, qui pedibus naſcuntur, prudente obſtetricum directione adjuti, ſæpe absque maternis conatibus in lucem exire poſſint.

§. 20.

(q) PLINIVS Hiſt. nat. L. VII. c. 8.

§. 20.

Poſſunt tamen etiam circa partum faciliorem obſtetrices, ſi ſuæ artis ſatis conſciæ haud ſunt, delinquere, ſed plus erroris eſt, quodſi præternaturalis & laborioſus partus fuerit, adſitque illi una vel altera ex conditionibus, quæ impedimentum nativitati afferre ſolent; Hæc ſunt: *partus præcocitas* & *embryonis*, etiamſi maturus ille fuerit, *ſitus partui vel haud ſatis commodus, vel eidem omnino haud reſpondens.*

§. 21.

Variat ſane, pro circumſtantiarum, quæ in partus morboſi adminiſtratione plurimæ ac prorſus ſingulares eveniunt, mutationibus, rerum ab obſtetricibus gerendarum modus, & debent omnino judices intelligere, ſe nimium tribuere obſtetricibus, ſi illis, proprio auſu magna ejusmodi negotia, ſine medicorum conſilio ſuſcipere, liberum eſſe ſinunt. Quod abortiones attinet, illas equidem, ſi quarto menſe minores ſunt, fœminæ ſine magno labore projiciunt, neque quidpiam effici tunc ab obſtetrice poteſt, imo nec debet, cum manuum exercitium nullum tunc eſſe poſſit; Verum embryones, qui media ſua ætate majores ſunt, plus faceſſunt negotii, & eo ſæpe res redit, ut vitæ diſcrimen incurrat mater, niſi obſtetrix, celerrima aliqua expeditione, quod artis atque neceſſitatis eſt, facere didicerit, educto una cum ſecundinis infante, qui vivere non poteſt, ut ſalva tamen ſit mater, quæ ſanguinis fluxu interitura eſt, niſi partus acceleretur, quo collabaſcens

uterus ſanguinis manantes rivos comprimat atque coerceat. Habent ſane in iſthac chirurgia non fœminæ tantum, ſed & ſapientes viri, in quo ingenii facultates exercere poſſint.

§. 22.

Major caſuum circa maturi fœtus nativitatem eſſe ſolet varietas, pro quorum differentia diverſis conſiliis atque auxiliis opus eſt, ut, veluti in partu naturali nihil quidquam factu opus eſt aliud, quam quo obſtetrix conatus pariendi prudenter regat, infantem gremio excipiat, eductisque poſtea ſecundinis, ejus funiculum circumcidat, deliget, corpuſculum ejus curet, hinc puerperæ abdomen faſcia devinciat, ita circa præternaturalem ac laborioſum, difficillimi ſane expeditionum arduarum nodi ſolvendi eveniant, dum, ſine cultioris chirurgiæ uſu, fœminæ nec vivos nec mortuos parere poſſunt, ſiquidem removenda ſunt, quæ partum fieri haud ſinunt & nixibus matris ſuperiora ſunt, obſtacula, quibus tollendis muliebris induſtria ſæpe haud ſufficit. Quæ partum laborioſum efficere poſſunt, impedimenta, vel ex fœtu vel ex matre ſunt: Fœtus ſuo morbo intra uterum perit, & ante nativitatem denaſcitur, id quod, etiamſi a natura alienum eſt, nihil tamen quidquam difficultatis affert, poſſuntque in utero defuncti, ſi ſitus reſpondet, commode naſci, ſi quidem ad ſui nativitatem, ſuo motu vitali nihil quidquam confert ſoboles. Verum illud durum eſt, naſcituros, vivos, ſanos, vegetosque eo redactos eſſe, ut juvare illos haud poſſis, quandoquidem in orificii iſthmum

isthmum pars embryonis compulsa est, quæ educi una cum toto corpore nequit, adeoque mortem ejus expectari, quo in partes divulsum funus, salva matre, educatur, qui labor Embryulcia appellatur. Eo autem, ut moriendum inter nixus matris sibi sit, redigitur nasciturus, dum varias sui partes ad nativitatem ineptas orificio uteri interno objicit. Ex matre etiam pariendi difficultas & insuperabile sæpe impedimentum est, si oblique illi uterus flexus est, ut matricis ostium sub uno alteroque osse, *pelvim*, qua voce latini imam abdominis cavitatem designant, constituentibus, delitescat ita, ut vel via partui nulla sit, vel angustissima, fiatque, quo, mortua inter summos cruciatus matre, rarius autem illa viva, excindendus utero infans sit, quo ille certe salvus maneat, quando mater vivere nequit. (r)

§. 23.

Maximus adeoque artis obstetriciæ ambitus est, tantaque expediendorum difficultas frequenter obvenit, ut omni artis præsidio opus sit, ne circa partus naturales aliquid delinquatur, ex quo illos in præternaturales atque difficiles converti oporteat, utque infantis situs ita corrigatur, quo nasci vivus possit. Hoc si discerent mulieres quæ nativitati novellorum civium præficiuntur, haberet sane, de quo gloriari sibi posset, Respublica.

(r) Enecta matre gignuntur, sicut Scipio Africanus, primus Cæsarum a cæso matris utero dictus, qua de causa & Cæsones appellati. Simili modo natus est Manlius. PLINIVS Hist. nat. Libr. VII. cap. 9.

§. 24.

Sed nondum ſecura res abſolutumque negotium eſt, etiamſi infans vivus omnibusque ſuis artubus integer lucem adſpexit. Poſtquam enim ille eluctatus eſt, ſuperſunt haud levia, quæ puerperam attinent, rerum diſcrimina, ſcilicet ſecundinæ educendæ ſunt, quas ideo ita appellant, quandoquidem in partu ſecundæ ſunt, &, excluſo fœtu, ſi ſecundum naturam res procedit, ſponte ſuccedunt, vel certe non magno labore ſubmoventur. Sed magnum artis opus eſt, illas, fundo uteri firmiter adhærentes, deglubere, matricem non vulnerare, placentæ uterinæ particulam haud relinquere, quæ, quando fiunt, immanes ſanguinis fluxiones, hinc uteri inflammationes ſubſequuntur, & ſæpe, cum omnia ſalva eſſe putantur, mortis periculum matri adhuc imminet.

§. 25.

His limitibus obſtetricum functiones circumſcribuntur, quibus, ut recte præeſſe, easque in ſalutem & incrementum Reipublicæ expedire poſſint, eo adſtringendæ ſunt, ne unquam quidquam agendum in ſe ſuſcipiant ſolæ, in quo cum vitæ fœtus ipſiusque matris periculo delinqui poſſet. Adeoque ſi caſus difficilis illis obvenit, ſi caput infantis ad os pubis maternæ hæret, ſi brachium propendet, ſi dorſum aut venter ſeſe oſtio objicit, ſi tumidum aquis infantis caput aut venter eſt, ut volumen naſcituri via partus majus ſit, aut ſi quid aliud eſt, quod ſua ſcientia ſuaque arte aſſequi aut perficere mulier nequit, medicorum conſiliis

ſiliis obſequi debet, dummodo fuerint, a quibus regi atque erudiri poſſit.

§. 26.

Dolendum ſane vehementer eſt, adeo omni auxilio deſtitutas eſſe, quæ rure vivunt, mulierculas, ut, ſi quid accidit, quod docta aliqua manu corrigendum eſt, propter inopiam obſtetricum ad artem faciendam recte inſtitutarum, illis, una cum fœtu, pereundum ſæpe ſit miſerrime, vel ſerum nimis, etiamſi vir artis obſtetriciæ gnarus accerſitus eſt, poſtquam ad extrema redacta fuit parturiens, accedat auxilium. Heu quantæ querelæ exaudiuntur quotidie, quam triſtia ſeſe quotidie offerunt ſpectacula! Videas homines, a nativitate obſtipos, valgos, varos, gibberoſos, capite compreſſos, cum illud naſcentibus facile, ob oſſa non futuris ſed membranis juncta, offendi poſſit, hinc ſtupidos; videas etiam matres miſere laceratas, ut urinas tenere nequeant, prolapſu ſinus muliebris vexatas, hinc ad prolem aliam concipiendam ineptas, ut funera non tangam, quæ obſtetricum inſcitia atque temeritate ducuntur quotidie. Si enim ab ignorantia earum vix doctrinam admittente recedas, ſunt illis etiam peſſimi mores, ſocordia, ſordities, ruſticitas, lucri cupido, pauperum neglectus, invidia, iracundia, & ejusmodi aliæ muliebris animi intemperantiæ.

§. 27.

Quo plus adeoque periculi eſt, ne civium naſcentium capita imperitis ac audacibus tradantur manibus, eo majore cum cura ac ſollicitudine inſtituen-

ſtituendæ, ad rem ſuam ſecundum artis ſcientiæ ac conſcientiæ leges gerendam erudiendæ, inque officio ſuo, norma illis præſcripta, continendæ ſunt iſtæ mulieres, magno ſane in honore habendæ, ſi dicto magiſtrorum obedientes, ipſæ autem ſcientia atque exercitio claræ, quod rarum omnino eſt, fuerint. Propterea oportet ſemper in Republica eſſe fœminas, quas erúdiendas magiſtro alicui arte & exercitio celebri tradere magiſtratus poſſit, quæ provectioribus in hac arte mulieribus adſiſtant, & a præceptore quidem artis leges, ab his autem uſum manuumque exercitium accipiant, poſſintque vires ſuas in partubus naturalibus primo experiri, hinc ſenſim expeditionibus majoris exempli adſveſcere, ſuoque tempore locos a ſenioribus relictos occupare. Debebant ex provinciis ad celebrem aliquam obſtetricum ſcholam mitti, publicisque ſumptibus nutriri mulierculæ, quarum auxilio ſuo tempore uti Respublica poſſet. Oportet autem ejusmodi catechumenas, quas magiſtratus ad artem obſtetriciam inſtitui formarique jubet, floridæ ætatis eſſe, partum aliquoties expertas, facultatibus, quæ ad hoc officium gerendum requiruntur, tam quæ corpus, quam quæ animum attinent, inſtructas: Vegetæ ſunt, manibus teneriores, mundæ, moribusque præditæ, quibus ſui fiduciam facere apud illas, quas curant, poſſint, ſint denique dociles; Non enim ſuperficiaria aliqua ſcientia tinctas, ſed de rerum agendarum indole penitus inſtructas illas eſſe oportet. Propterea, qui herculeum ejusmodi, cerebrum mulier-

muliercularum purgandi, quod augiæ ſtabulo plus eſt, laborem in ſe ſuſcipiunt, omni eo anniti debent ſtudio, vt obſtetrices uteri omnes, quas ille in partu exercet, actiones recte percipiant, ipſamque matricis fabricam haud ignorent. Oportet illas mente tenere, matricis ſitum, cum vicinis partibus nexum, & modos omnes, quibus, ſi partus difficilior eſt, illæ lædi poſſunt. Diſcant illæ partus viam, oſtiorum uteri conditiones varias, rectitudinem, obliquitatem, formam oſtii maxime interni, quo, ſi quando de graviditatem ſimulantibus aut diſſimulantibus judicium in foro ferendum illis eſt, pronuntiare aliquid, quod fide dignum eſt, deque partu vel ex longinquo imminente, vel proximo, judicium formare poſſint. Perſpiciant variam uteri capacitatem pro fœtuum numero & magnitudine, embryonum vivendi intra uteros ratio, illis, quantum ejus ad artem faciendam requiritur, haud ſit incognita, membranarum, quæ fœtus ambiunt, notitiam habeant certiſſimam, hinc varios, quibus placentæ uterinæ matricis internæ parieti adhærent, modos, earumque, ſi gemelli naſcuntur, numerum calleant, ſciantque ex tumeſcentibus chorii aquis, oſtium uterinum dilatantibus, veri partus terminum dignoſcere, in cognitis habeant, ex partium infantis, quæ primæ ſub contactum veniunt, contemplatione, verum illius, veluti ad partum commodus eſt, ſitum, explorare, ſeſeque ad omnes quæ ex prava fœtus erga oſtium uterinum diſpoſitione naſci poſſunt, pariendi difficultates ita præparet,

ut

ut omne, fœtum convertendi, eiusque, si fieri aliter haud possit, pedes arripiendi, artificium recte cognoscat. Signa mortui fœtus perspecta habeat, ne, quem defunctum esse putat, languidum, ast viventem tamen, crudelius tractet. Et ne quidquam desit eorum, quæ ad artis fundamenta pertinent, umbilicalis etiam funiculi statum sanum atque morbosum perspiciat, discatque, quid factu opus sit, si ille ante partum propendet, vel circa embryonis collum aut lumbos flectitur, quid noxæ metuendum sit, si placentæ particula in utero relinquitur, dum incoërcibiles exinde uteri hæmorrhagiæ consequuntur, sique, in illa deglubenda, uteri parietes unguibus aliove modo vulnerantur: quæ omnia, veluti, licet generalius dicta, maximum jam rerum expediendarum numerum atque ambitum, ita, si ad omnes circumstantias rite æstimentur singula, immane artis atque scientiæ volumen, conficiunt.

§. 28.

Consuetudinis adeoque & necessitatis est, obstetricum, anteaquam officium sibi datum gerendum in se suscipiunt, explorare scientiam, agendorum normam illis præscribere, easque sacramenti aliqua formula ad expeditiones domi æque ac in foro gerendas instruere. Promittunt enim: *se in arduis negotiis sua scientia majoribus, statim, ex quo illud intelligunt, consilio eorum usuras esse, quorum arbitrio res istæ constant; se pauperiores haud neglecturas, quod inchoatum est partus negotium haud deserturas, nec fœminas ad partum*

partum feſtinanter compulſuras, ultra artis ſuæ limites haud progreſſuras, & prægnantibus, parientibus aut puerperis, medicamenta haud exhibituras, ſed illud agendum medicis relicturas; ſe in foro poſtulatas & ſuper rebus artis ſuæ quæſitas, amoris vel odii cauſa, ſecus, quam compertum eſt, enunciaturas haud eſſe.

§. 29.

Eſt etiam aliquod erga recens natos præſtandum ab obſtetricibus officium, *alterum*, quod eorum animas, *alterum* quod corporis ſalutem attinet. Liberum enim illis eſt, neogenitos, quibus vitam ſupereſſe intelligunt, ſacro baptiſmate inaugurari, ſi ſacerdoti nuntius, ob mortis mox conſecuturæ periculum, mitti haud poſſit, id quod, licet ad forum eccleſiaſticum ſpectet, publici tamen juris propterea eſt, quoniam in hac etiam officii ſui parte obſtetrices normam agendi a magiſtratu præſcriptam habent. Corpus autem recens nati illæ curant, ſi umbilicum convenienter deligant, & illam abdominis tenelli regionem, qua chorda umbilicalis radicata eſt, faſciis recte firmant, ne ex illo hiatu, ſi nondum coaluit, inteſtini tumor, quem herniam umbilicalem vocant, ſuboriatur, qua in re obſtetrices delinquere poſſe, jam ſuo tempore notavit HIPPOCRATES (s). Deinde inſpiciendum ubique corpus

(s) Ὀμφαλοτόμος aut ὀμφαλητόμος obſtetrix dicitur, ideo, quod inter alia officia, & hoc ſibi datum habet, ut umbilicos infantibus recens natis, provide circumcidat. SVIDA, HESYCHIVS, voce μαῖα,

pus infantuli eſt, ut conſtet, an in partu, maxime difficili, aliquid noxæ illi illatum ſit. Poſſet enim in difficiliore expeditione officulum frangi, exempli gratia, cum propendens humerus reponendus eſſet, poſſet caput naſcentis in partu compreſſum intra oſtii uterini anguſtias fuiſſe, qua in re, etiamſi ita contingit, quod peccatum aliquid rudi contactu fuerit, plus delinquitur, ſi, quod peccatum eſt, obſtetrix ingenue haud fatetur. Reticendi ejusmodi errores ſunt neutiquam, quo mature ferri auxilium poſſit. Illud denique obſtetricibus nunc datum eſt officium, quo, ſi matres lac præbere liberis vel ob mollitiem nolunt, vel ob morbum haud poſſunt, vel, defuncta matre, peregrina infantulis quærenda ſunt ubera, nutricem adducant, cujus lacte illi vivere, valere ac hilariter nutriri poſſint. Et maximum ſane vitæ humanæ, ſtatim ab incunabilis recte inſtituendæ, momentum in optione bonæ nutricis ponitur, quantis enim ex morbido nutricum lacte calamitatibus tenelli affligantur, dici ſatis nequit, quando illi non tantum ipſo lactationis, ſed etiam aliquo poſt tempore, imo per totam ſæpe vitam, ex concepto una cum lacte morborum ſeminio, corrum-

μαῖα, obſtetrix, cum illa, τῆς ὀμφαλοτόμε, Præſectricis umbilicorum, promiſcue utuntur. Similiter POLLVX μαίευτριαν ὀμφαλοτόμον appellat, ſignificatu vocis a parte officii ad totum negotium translato. Taxat autem HIPPOCRATES obſtetrices Libr. I. de morbis mulierum Ἢν ῥαγῇ ὁ ὀμφαλός, ἢ ἀμαθίῃ ὑποτάμῃ ἡ ὀμφαλοτόμος. Si præruptus umbilicus fuit, aut inſcientia male ſubſecet umbilicorum præſectrix.

corrumpuntur, ut fœda oris ulcera, quæ aphthas vocant, infantibus haud raro exitialia, proveniant, impura ſcabies tota cute erumpat, &, ſi provectius malum eſt, ipſa, per morbum, quem rhachitidem vocant, oſſa vitientur, hinc tota pueri ſtatura a rectitudine æqualis incrementi deflectat, fiantque pumili, diſtorti, gibberoſi, quandoquidem, quod ſemel ſanguine ſuſceptum eſt, impurum, ipſius forte luis venereæ virus, elui ſubito atque extingui prorſus nequit, omnium minime, ſi mala accedat medicatio. Propterea, in ſelectu nutricum, ad vitam illarum ante actam reſpiciendum eſt ſedulo, cum, ſuſpicione turpiſſimorum morborum, ex libidine conſequentium, carere haud poſſit, quæ vaga venere concepit; cumque nutricibus, ex Lege PLATONIS (t) cura etiam corporum tenellorum habenda ſit, ad neceſſarias earum facultates, præter ſanitatem, reliquas, bonam fidem, animique in ferendis laboribus, maxime autem vigiliis nocturnis ſuſtinendis, conſtantiam, ideo reſpiciendum eſt, cum triſtes, ſocordiæ

(t) Τὰς τρόφους ἀναγκάζομεν, νόμῳ ζητοῦντες, τὰ παιδία ἀεὶ πη φέρειν, μέχριπερ ἂν ἱκανῶς ἵστασθαι δυνατὰ γένηται καὶ τότε διευλαμβάνεσθαι ἔτι νέων ὄντων, μήπως, βίᾳ, ὑπερειδομένων στρέφηται, τὰ κῶλα. *De Legibus Libr. VII.*

Nutrices compellimus, lege poſtulantes, ut infantulos ulnis gerant, donec ipſi ſubſiſtere poſſint, hoc etiam bene curandum, dum recens nati ſunt, ne eorum, violentia affectorum articuli flectantur.

diæ atque neglectus, ſequelæ, ſuffocatis noctu a ſomnolenta nutrice, aut præcipiti lapſu afflictis, infantulis, ubique proſtent.

§. 30.

Magiſtratui etiam ſoli, naſcuntur liberi, illi ſcilicet, quibus, mala fortuna, parentes deſunt, quorum providentia enutriri poſſint: Si vivus in via publica repertus eſt: Si mater, criminis rea, lactis defectu, ob morbum, ob malum victum, carcerisque ſqualorem, laborat, cum tamen, propter imbecillitatem, ablactari & juſculis forte nutriri infans nondum poſſit, & ſi qui ſimiles caſus alii eveniunt; Tunc eorum, qui Rempublicam curant, ſingulare aliquod eſt erga naſcentes officium, ut, ſi mater ubera ſoboli præbere haud poſſit, illa tradenda ſit nutrici, qua in re pios ac æquos decet eſſe judices, cum matrum crimina inſons infantulus ferre, ſuoque damno expiare haud debeat. Miſereat eos parvulorum, qui, ut verbis PLINII in ſimili argumento, utar, *a ſuppliciis vitam auſpicantur, eam tantum ob culpam, quod miſeri nati ſint* (u).

CAP. II.

De cauſis ſanitatis publicæ ordinandis.

§. 1.

Etiamſi omnibus ac ſingulis ingenitus aliquis a natura eſt inſtinctus, quo excitatus, a noxiis rebus

(u) PLINIVS *Hiſt. Nat. Lib.* 7. Prooem.

rebus ſibi quisque cavet, ſive illas corpori inimicas eſſe, doctrina & ratione, ſive experimentis in ſe aliove factis, compererit. Etiamſi etiam medicis privatis, qui ſingulorum ſanitatem curant, illud datum eſſe videtur, quo, ſecundum HYGIENAE, *quæ media ſanitatis integræ, conſervandæ, ordinat:* ſecundum etiam PROPHYLACTICAE, *quæ morbos, prope abſentes, ne fiant, impedit,* ſtabilita, ratione & uſu, principia, ſuæ curæ creditos a morborum afflictionibus immunes ſervare allaborent, ut propterea parum ad communem Reipublicæ adminiſtrationem pertinere videatur, omnibus imperare velle illud, quod ſibi faciendum eſſe, ignorare unsquisque haud debebat; Sunt tamen cauſæ quædam ſanitatis, quæ, cum ad omnes cives in eadem ſocietate viventes pertineant, communi etiam aliquo conſilio ordinandæ, & in illo, quo prodeſſe valentibus poſſunt, ordine conſervandæ ſunt, legibus publicis hunc in finem promulgatis. Et admiratu quidem digna res eſt, hominem ad illud ſuimet conſervandi cauſa efficiendum, legibus ac imperio compellendum eſſe, quod animal quodque brutum ſua ſponte facit, ut, niſi magna fame vel ſiti compulſum, a nocentibus abſtinere, magiſtra natura, didicerit; Hæc enim, ſenſuum miniſterio, bruta docuit pabuli noxias facultates percipere. Cavent ſibi *a cicuta, colchico, venenis* quibuslibet, quandoquidem odoribus ac ſaporibus, qui ſingulares ſingulis venenatis plantis inſunt, deterrentur, ne deglutiant, ſolumque ſenſuum miniſte-

rium beſtiis ſecuritatem contra inimica corporibus pabula præſtat; Sed homini nocet ingenium, quod contra omnem, ſenſuum, hoc vel illud diſſuadentium, providentiam, luxuriem affectat, turbas magnasque inquietudines, pro tranquillitate, voluptatem, quæ falſa oblectatio eſt, pro jucunditate & veri boni fruitione, appetens, & fragile corpus, quod ſua ſponte in ruinam abit, imprudente ſenſibilium rerum uſu, dejiciens atque proſternens. Quanto dignius atque excellentius eſt, ſuadente CICERONE, *ſemper in promptu habere, quantum natura pecudibus reliquisque beſtiis antecellit* (x)? *Et ſi nihil haberet aliud hominis animus, niſi ut appeteret aut refugeret, id quoque ei eſſet commune cum beſtiis. Habet autem memoriam, & infinitam rerum innumerabilium recordationem* (y). Dubium ſane nullum ſupereſt, poſſe homines, ſi eorum memores eſſe vellent, quæ aliquando nocuerunt, quod beſtiis quodammodo licet, multorum morborum calamitates effugere. Quoniam ergo omnem rationis ſenſum abjurarunt plurimi, ut proximum quodque oblectamentum, etiamſi illud minimam, ſæpe nullam jucunditatis ſpeciem præ ſe fert, in ſui detrimentum arripiant, opus omnino eſt, quo res voluptuarias, plebeculæ, non aliter ac infantulis aciculas, magiſtratus e manibus rapiat, ne illi materies ad corruptelam morum atque ſanitatis, hinc ad morbos, adſit opportunitas.

§. 2.

(x) *Libr.* I. *Officiorum.*
(y) *Tuſcul. Quæſt. Libr.* I.

§. 2.

Ejusmodi cauſæ, quæ ad omnes pertinent, & quarum curam atque regimen medentes in ſe ſuſcipiunt, ad tria referri poſſunt capita, quorum alterum *Ingeſta*, alterum *Geſta*, tertium *irruentes* in hominem *externas injurias*, veluti illæ morborum cauſæ fieri poſſunt, continet (z). Ingeruntur ſcilicet, & ſponte etiam ſubeunt hominem *ſanitatis* cauſæ, ſi illæ ſinceræ ſunt & bene ordinatæ, *morborum* autem, ſi corruptæ ſunt, ſique illis recte uti cives vel nolunt vel neſciunt, *Aer* ſcilicet atque *Victus*, quæ duo ſanitatis fulcra, *illud* quodammodo, *hoc* penitus, optimis legibus ac conſtitutionibus obfirmanda ſunt. Quod negotiorum geſtiones attinet, parum forte eſt, quod a medico hunc in finem conſuli poſſit, niſi quis, artis gymnaſticæ præcepta & cenſuram morum, uti illorum præſtantiſſimus ordo ſanitatem, corruptela morbos præſtat, ad medici ſalutem publicam curantis officium quodammodo ſpectare, fuerit arbitratus. Et quamvis illud quoque a medici officio longius abeſſe videatur, cauſarum, quæ in publico oberrant, & lædere cives poſſent, providentiam habere, easque depellere, cum illud ad magiſtratum pertinere videatur

 unice,

(z) Ita dividunt veteres, quando cauſas morborum communes atque externas, ἐν προσφερομένοις, in illis, quæ hominem intrant, πόιημένοις, iſtis, quæ exercitii cauſa perficiuntur, ἔξωθεν προσπίπτασι, ab extra irruentibus, conſiſtere dicunt. GALENVS, de ſanitate tuenda, Libr. I.

unice, haud tamen penitus alienum eſt, eum, qui ſanitatis publicæ cuſtodiam in ſe ſuſcepit, etiam earum rerum curioſum eſſe, quæ corporis externas partes affligere poſſunt, quales ſane ſunt numeroſiſſimæ.

§. 3.

Communis aëris uſus eſt, cujus, quando animata pervadit corpora, & ad ſanitatem conſervandam & ad morbos inducendos, eosdemque ſanandos, effectus eſt certiſſimus & plane ſingularis. Sive enim pulmonibus animantium hauriatur, ſuaque in ſanguinem his contentum efficacia vitæ leges obfirmet vel infringat, ſive, pro mira ſua penetrandi omniaque corpora pervadendi facultate, humoribus vitalibus ſeſe inſinuet, una cum alimentis deglutitus, venisve ſorbentibus, quæ in cutis ſuperficie collocantur, acceptus, ſive pondere ſuo, aliisque, quas pro circumſtantiarum differentiis inſigniter variantes habet, qualitatibus, *raritate*, *calore*, *frigore*, *madore*, *quiete*, *motu*, in corpora animata agat, ſive a receptis in ſe corporum effluviis diverſa ratione miſceatur; ſub omnibus hiſce conditionibus, vel *ſingularem*, ſecundum illam, quæ unicuique corpori propria eſt, texturam, vel *univerſalem*, aut certe talem, quæ in plures eodem tempore agat, facultatem, aër nanciſcitur, ut ſanitatis vel morborum cauſa poſſit eſſe publica. Aërem ſibi circumfuſum bene ferunt animata corpora, atque ab illo, quocunque modo introiverit, maxime autem, ſi integris ſanisque pulmonibus ſuſceptus fuerit, genera-

generalem aliquam ſanitatis cauſam accipiunt, quodſi ille, præter igneam ſui partem, quæ æther, præter ſubtiliſſimum illud fluidum, quod tenerrima aqua, præter ſpiritum efficaciſſimum, qui, ſecundum omnia experimenta, acidus eſt (a), præter corporum ſibi immerſorum vegetabilium atque animalium, nihil quidquam noxii exſpirantium, halitus, aliud nihil in ſe habet, ex quo, ſi introivit, aut materie ſua preſſit corpora, cauſa morborum communis fieri valeat; ſi etiam, quod acceſſorias ac mutabiles ejus facultates attinet, *calore* ſuo, calore vitali ſemper eſt inferior, ſi circa corpora ſibi immerſa placido aliquo torrente rotatur atque trahitur, ſi ad robur animali corpori conciliandum pondere ſuo ſatis gravis eſt. Quodſi autem nocentes, quæ ſæpe definiri nequeunt, ſuamque præſentiam maligno ſaltim effectu aliquo edunt, moleculæ undecunque advectæ, atmoſphæram ita miſcent, ut illa ſuo propterea elatere privetur, deſtructivam autem ſolidarum corporis partium facultatem impetret, quodſi etiam ignis, quicunque eſt, fluido aëris ſeſe immiſcens, illud disjicit, inque infinita illa, quæ ſurſum ſunt, ſpatia expellit, ut propterea illi, ob raritatem, ponderisque ſpecifici defectum,

(a) Alcali in libero aëre ſuſpenſum convertitur in ſal medium, id quod ſine concurſu acidi fieri nequit: Excocta nitri terra ab aëre novos acidi halitus accipit, novusque abinde ſpiritus acidus, qui tamen omnis ante abſtractus fuerat, ex fatua materie, reſurgit, quem oportuit ex aëre renaſci.

vitalis deſit in humores noſtros impetus, patefiant autem propter auctum, a calore atmoſphæræ, cordis atque ipſius ſanguinis motum, cutis extimæ, quas poros appellant, apiculæ, oporteatque propterea intenſius projici teneros ſanguinis madores, ipſumque vehementer inſpiſſari; Quodſi abhinc ventorum raptus, quando maris vel lacuum atque ſtagnorum ſuperficies lambunt, auferuntque ex his fluidas partes, iisque atmoſphæram replent, ita aërem mutant, ut ille ſic, humidior atque proinde ponderoſior factus, corporum ſuperficiem premat efficacius, vias inſenſibilis tranſpirationis conſtipet, quo oporteat illud, quod difflari haud poteſt, regurgitare ad vitalia, inque cavis viſcerum deponi, aut in varias, circa tendines ac perioſtia, cryptas effundi: Tunc ſane & ſub his conditionibus omnibus, peſſimus, ſummaque nocendi facultate imbutus, hinc ad epidemicos morbos inducendos aptus aër eſt, ille autem maxime, qui, circa corpora vitalia quieſcit, hinc, dum ventis ex frigida cœli regione directis haud perflatur, putreſcit, humoresque eorum, quorum pulmonibus hauſtus fuit, ita mutat, ut veneni naturam indipiſcantur, ipſaque eorum viſcera peſtifero aliquo halitu corrumpantur; Eoque major aëris ejusmodi eſſe poteſt violentia, quodſi ventus aliquis deſtructiva corporum miaſmata ex longinquo ſecum affert, vel ipſe aër ex proximis ſibi paludibus, ideo, quod quieſcunt & ſole caient, putridis, vel ex magna hominum frequentia, vel cadaverum ac cloacarum fœtido halitu, corrumpitur,

pitur, nec tantum dotibus ſuis vitalibus privatur, ſed etiam hac ſua putredine, niſi omnibus, pluribus tamen, maxime illis, qui aliquo viſcerum labe jam tacti ſunt, morborum cauſam ſuppeditat.

§. 4.

Quæ cum ita ſeſe habeant, ut aër non tantum a cauſis, ſupra omnem humanitatem poſitis, nullaque induſtria convertendis mutetur & communes nocendi facultates acquirat, ſed etiam a vicinis rebus, diligente cura, magno ſtudio, ac bono in Republica ordine corrigendis, vitiari poſſit, opus ſane eſt, quo nihil omittatur eorum, quæ, vel conſiliis, vel auxiliis & efficaciore opera, ad expellendas aëre nocivas qualitates, & reddendum illi vitalem elaterem aliquid conferre poſſunt. Quid ſingulorum officium ſit, ut purior aër domum aut ſtationem perflet, utque ille, ſi vetuſtus eſt, admiſſo ſubinde recente, renovetur, quantum etiam interſit ægrotis, ſive ſeorſim ſingulis, ſive pluribus eadem ſtatione, intra Noſocomia detentis, aërem procurare optimum, eundem ſubinde redintegrare, aut quieſcentem ſparſis aquis agitare, aut, ad HALESI normam, reſtituere, aut putreſcentem ac fœtidum, aromaticis odoribus fumoque fragrantiore perfundere, nunc meum haud eſt exponere, ne a medici publici officio ad privati negotium tranſire velle videar. Sed, aërem qui communis eſt, quantum attinet, licet humanis viribus, illum mutare velle, majus ſit, non tamen omni ſucceſſu magiſtratus cura de-

ſtituitur, quam, procurandi boni aëris cauſa in ſe ſuſcipere poſſunt; Aquas, igne excoctas, in aërem ſolvi & illarum ſimul vitia longe lateque disjici, ratio, experimentis rerumque eventibus ſuffulta, luculenter docet, quod quando eſt, oportet etiam aquarum putreſcentium virus, ſimul ac ſolis ardor illas urget, per atmoſphæram proximam, magno ſane proxime habitantium incommodo, & cum maximo ſanitatis publicæ periculo, diſſipari. Plus damni experiuntur magnarum urbium incolæ, quodſi, vel una aliqua atque anguſta ſtatione plures veluti ſtabulantur, ſordidoque ſimul vitæ utuntur genere, quodſi etiam cloacarum ſordes, æſtate maxime, coacervantur, inque vallibus vrbem cingentibus putidiſſimæ, quas recens fluvialis aqua quotidie haud perfluit, undæ ſtagnant, in ductibus autem, aquam pluvialem ſuſcipientibus, quævis illuvies confluit, quæ quotidie plus magisque aucta, quando elui nequit, putridum virus aëri communicat. Neque vero eſt, quod quis putet, halitus illos in immenſa aëris divagari ſpatia, manent ſane circumcirca, utpote qui ponderoſi ſint, hinc univerſam ſocietatem male mulctant, ut illud nunc haud attingam, putidiſſimam & coenoſam immunditiem ad fontium usque deſcendere capita, ut his publicæ immunditiei vitiis aquæ etiam corrumpantur, ſuaque civibus virulentia noceant. Deinde aëris puritati intra urbes, magna hominum frequentia celebres, haud leviter officit varius, qui ex officinis artificum eructatur vapor, metallicus, vel quicun-

quicunque ſit, alius, ut, etiamſi tota civitas corrumpi exinde nequit, vicinos tamen male habeat fœtor, tunc maxime, ſi ex illis fuerint, qui pulmonibus laborant (b). Quid factu opus ſit, ut aëri, ſe motis quæ putreſcunt ſordidis, ſua ſervetur puritas, nunc parum intereſt exponere, eum, qua ratione illud perficiendum ſit, magiſtratus haud neſciant, alibi etiam, de mediis aërem corrigendi, ex fonte medico fluentibus, plura agendi major futura ſit oportunitas.

§. 5.

Plus imperii in illas ſanitatis publicæ cauſas magiſtratus habet, quæ ore ingeruntur. Poteſt enim annonam curare, ſubditos ab uſu nocentium rerum interdicere, corruptos mores legibus coërcere, intemperantiam atque ingluviem optimi per Rempublicam ordinis freno compeſcere, & morborum cauſas ita præſcindere, ne vel ſingulis vel pluribus, contra ſe ſuamque valetudinem delinquere integrum ſit: Aſt arduum hoc opus foret, & effectu valde difficile, ſi, ingluviem atque effrenatam libidinem, plurium morborum cauſam, compeſcere illi deberent, qui Rempublicam curant, omnique ſua autoritate nihil effecturi ſunt ſummi principes, ſi guloſitatem, ebrietatem, inſanientis appetentiæ vitia reliqua, comprimere illi deberent. Quare hoc ſufficit, victum ſimpliciorem, qui in potu & cibatione populari conſi-

(b) Confer Beati PLATNERI Diſſert. de morbis ex immunditie, inter illas, quas FILIVS edidit, Lipſ. 1747. 4. tertia.

conſiſtit, ordinare & ſecuritati publicæ ita proſpicere, ne quid ubique proſtet, quo cives, etiam præter luxum aut intemperantiam, corrumpi poſſent.

§. 6.

Aquarum ſinceritas primaria magiſtratus cura eſto, cujus, poſt aërem, maxima eſt neceſſitas, quando nec infirmus quidem eſt, quin, cum nullo cæteroquin cibationis deſiderio feratur, ex aquæ, ac potuum exinde confectorum, fruitione, voluptatem utilitatemque ſingularem capiat. Duo adeoque circa aquarum potabilium curam efficienda magiſtratui ſunt, *alterum*, ut puriſſima quævis ſeligatur, fontesque inveniantur intemeratæ ſcaturiginis, *alterum*, ut aquis, quæ uſus ſunt publici, & ad omnes pertinent, ſua ſervetur puritas, & cultura fontium vel puteorum ſit exquiſitiſſima. Equidem pauci ſunt inter noſtros, qui, niſi morbo adducti, vel opulentius una cibantes, aquam ſimplicem bibere velint, neque etiam facile quispiam ex infimis, aquam, niſi cerealibus aliisque vegetabilibus temperatam, hinc coctura correctam, potat; poſſet adeoque aliquis in eam devenire ſententiam, cum ſuam rem quisque curet, potumque ſibi ad palatum eligat, vel certe, ſi aqua utendum pro reſtinguenda ſiti eſt, eandem coctura quodammodo mitiget, ad Rempublicam hoc parum facere, nec intereſſe, qua quis aqua uti velit. Enimvero, ſi quid unquam, ubi ab aëre receſſeris, eſt, quod vel communi beneficio homines, in una ſocietate viventes, afficere, vel damno

imo ad omnes pertinente affligere poſſit, aquarum ſane, ſub quacunque ſpecie captæ illæ fuerint, eſt fruitio. Selectum adeoque præſtantiſſimæ aquæ quod attinet, nobis, qui pluviales aquas, puriſſimas ſane, ubi recentes ſunt, haud appetimus, nulla, niſi inter fluviales ac fontanas optio inſtituitur. Et dubium ſane ſupereſt, poſſitne fluvialis, an illa poſſit, quæ de fonte ſcaturit, videri præſtantior? Sunt enim quæ aquam fluvialem, ex medio fluminis alveo hauſtam, commendare poſſunt, facultates præſtantiſſimæ, *puritas*, ſi flumen magnum eſt & rapidiſſimum, *penetrandi major efficacia*, quandoquidem torrens celeri curſu delatus elementa aquæ penitus ſubigit, miſcet, atterit, &, quo longius a ſuo principio decurrerit, eo plus illam perficit atque defæcat; Proptrerea opportunum valde eſt, magnas urbes præterfluere flumina, cum & illud ad aëris ſalubritatem multum conferat, utpote qui, rapiditate fluminis, ex aqua ſubinde novus exſurgit, quod ORIBASIVS novit: (c) *quæcunque* ait *regiones atque urbes prætervecta habent flumina, propterea fiunt temperatiſſimæ* (d). Verum quo anguſtiore alveo decurrunt flumina, quo plures ex urbe cloacas, ac putidiſſimarum rerum corrivationes, in ſe ſuſcipiunt, quo etiam a pluviis turbulentio-

(c) *Collectan.* 5. *cap.* 3.

(d) Curſu percuſſuque extenuantur aquæ atque perficiuntur, PLINIVS Hiſt. nat. Libr. 31. c. 3. Coaſpi & Eulei fluminum ſalubritatem ad potum PLINIVS Hiſt. nat. Libr. 31. c. 3. Nili, ORIBASIVS, Tyberis, BACCIVS de Thermis, laudant.

lentiora facta ſunt, eo ad potum ſemper ſunt ineptiora, eoque minus a fontanæ uſu recedendum eſt, cum illius aquæ major ſit conſtantia, utpote quæ eadem lege ſemper ſcaturit, nullisque circumſtantiis aut accidentibus ita facile, quam fluvialis illa, mutari poteſt. Eſt tamen etiam inter aquas iſtas haud levis differentia, quæ tam in ſcaturiginis ratione, quam in miſcelæ temperatura conſiſtit: Aqua ex terræ meatibus in ſcrobem coecum confluens *puteus*, ſubdialis autem & foras emergens, *fons* dicitur. Laudat putealem aquam PLINIVS (e) *quod illi exercitatio, crebro admodum hauſtu, contingit & tenuitas, colante terra, & ex vado vena exiliat, non ex lateribus, quodque expreſſa in altum, hinc ex ſublimi dejecta, verberatu corripiat aëra.* Sed ORIBASIVS (f) *puteanas aquas deſides* appellat, *quia non fatigantur, & cum frigidæ ſunt, non bene per urinas excernuntur.* Verum, neminem fore arbitror, quin, ſi optio detur, fontanam, quæ ſub dio eſt, præferre velit clauſæ illi puteali, quæ, niſi frequenter hauritur, aut preſſu agitatur, a paludoſa parum diſcrepat. Omnium autem vitioſiſſima illa putealis eſt, quæ ſcrobibus parum profundis hauritur, nec forte alta tellure erumpit, ſed lacuſtris aquæ, in terra ſubſidentis, cavo aliquo ſinu collectæ, quædam ſaltim eſt confluxio. Parum etiam habendum eſt fidei puteis, prope ad cloacas ædium, aut declivi urbium loco effoſſis, quandoquidem illorum aquæ, ex nitri, quod de

(e) Hiſt. Nat. Libr. 31. c. 3.
(f) Collect. V. c. 3.

de animalium ſtercoreo ſale, illoque terreno, una naſcitur, copia, frigidiuſculæ, quam ſanitas fert, reddunturetiamſi, impuram fæcem ad caput ſcaturiginis deſcendere poſſe, dubites. Quo feliciores ſunt, qui rure vivunt poſſuntque viva aliqua & ſincera aqua, quam fontis vena fundit, vel ſitim reſtinguere, vel illa ad cocturam uti.

§. 7.

Licet autem fontana aqua ad potum ſit præſtantior, non tamen & illi levis, pro ſcaturiginis diverſitate, intercedit diſcrepantia, quod PLINIVS (g) notavit quam ingenioſiſſime: *Aqua* ait *ſemper dulcis in argilloſa terra, frigidior in tofo, qui dulces & lenes facit & colando continet ſordes, ſabulum exiles promittit, glarea boni ſaporis, rubra ſaxa optimas, ſpeique certiſſimæ.* Obſcura ſane ratio haud eſt, cur, quæ rufo ſaxo proſiliunt aquæ, ſalubriores cenſendæ ſint reliquis, ferri enim vena quævis, dici non poteſt, quantam aquis transfluentibus ſalubritatem conciliare poſſit. Et plurimum quidem ſemper refert, cui metallo congener aqua ſit, per quem ſcrobem puteumve metallicum fluxerit, an cum plumbi lapide, aut cobalto aliisque nocentibus foſſilibus in conſortio fuerit. Fontes duro ſaxo naſcentes AVICENNA (h), ex terræ collibus fluentes HIPPOCRATES (i) laudat, quo enim plus magisque trajecta per duriſſimam, laxam tamen quodammodo compagem ſaxeam aqua eſt, cum ſit imbrium

(g) Hiſt. Nat. Libr. 31. c. 3.
(h) Fen. II. Doctr. 2. c. 16.
(i) De aëre aquis & locis.

imbrium niviumque progenies, eo fiduciæ plus eſt, ſecuram eam fore; Nempe excludunt rari lapides aquarum vitia, & ſaltim, quod illis ineſt, ſimpliciſſimum, transmittunt, proinde non culpanda eſt eorum providentia, qui aquam potui deſtinatam trans *Filtrum lapidem*, qui ex arenæ tenerrimæ granulis compingitur, mittunt, quo illa utantur, quantum fieri poteſt, defæcatiſſima.

§. 8.

Quid hæc ad Rempublicam, nunc brevibus dicam. Intereſt & homini & pecudibus, aqua frui poſſe, quæ peregrinæ vel nocentis rei nihil in ſe ſuſceperit: Puteos, quorum os clauſum haud eſt, muniant civitatum præſules, quamvis enim hoc præcipuum habeant putei patentes, quod aërem in ſe recipere poſſint, ſuſpicionis tamen ſemper quidpiam ſupereſſe ſinunt; ne ſeminium verminoſum, patente oſtio, ſubeat, ne cadaver projiciatur, ne veneno, quod Athenis factum eſſe, THVCYDIDES ſcribit, (k) contaminentur aquæ publicæ, &, ut ab iſta materia tantiſper deflectam, ne furioſus vel infans, patente puteo, præceps factus, intereat. Nollem tamen puteos omni aëris commercio privari, conſultumque eſt, ædiculam, quæ adytum cuſtodit, fiſtulis aëri perviis transfodere. Deberent autem urbes magna hominum frequentia celebres, fontanis aquis ſubdiali petra natis, haud deſtitui, & conſultum quidem foret, illas, ex

(k) Συγγραφὴ περὶ λοιμοῦ τῶν Ἀθηναίων, de Athenienſium peſte, narratio.

ex longinquo etiam accerſere, inque urbes ad communem uſum convehere. Id quod cum tubulorum, a fonte ad urbem ſubterraneo tractu ducendorum, opera efficiendum ſit, ſcire refert, vitiari aquas & lentam veneni vim accipere, ſi per fiſtulas, plumbea intus lamina armatas, fluxerint; Hoc a *Vitruvio* (l) intellectum monitumque fuit, qui *multo*, inquit, *ſalubrior eſt ex tubulis aqua, quam per fiſtulas, plumbo enim vitiantur, quod ex eo ceruſſa naſcitur. Hæc autem nocens eſt corporibus, & quod ex ea procreatur, idem vitioſum.* Aſſiduus ſane aquarum, quæ per ejusmodi canaliculos plumbeos fluxerunt, uſus propterea inſalubris eſt, quod plumbi calx, ex continuo transfluentium aquarum madore nata, aliquam illis virulentiam inſinuat certiſſime. Plumbum ſua natura venenum eſt, cum arſenici ſit particeps, veluti metallurgia docet, poſſuntque ex aquarum plumbi malitia infectarum uſu populares morbi fieri. Dyſenteriam illos, qui ſimiles aquas bibunt, pati, FORTVNATVS FIDELIS (m) ex GALENO (n) obſervat. Quæ vaſe plumbeo aliquantulum quievit aqua, dulceſcit, hinc epota, ventriculum gravat, eſtque in medicamentis ex plumbo factis, *Ceruſſa*, *Minio*, *Lithargyrio*, *Plumbique ſacharo* tanta adſtringendi

(l) M. VITRVVIVS POLLIO Libr. 8. c. 7

(m) De relationibus Medicorum Libr. 1. c. 9. Conſentiunt veteres. PALLADIVS de re ruſtica cap. 11. PLINIVS L. 31. c. 4.

(n) De Medicament. ſec. Locos, Libr. 7.

di potentia, ut lenta intereant macie, quibus pharmaca exinde confecta propinata fuerunt, nec infimum inter venena locum plumbum habet. Adeoque, ut ab hoc ſermone tantiſper deflectam, hoc etiam ad Rempublicam & curam ſanitatis publicæ pertinet, cavere, ne liceat ex vaſis aheneis plumbo armatis coctura fieri ab illis, qui hominum eodem victu degentium menſas curant, certo enim certius, maxime, ſi acetaria ex eiusmodi lebetibus coquuntur, tabida fiunt, quæ cibis ejusmodi coctura præparatis diu utuntur, corpora. Sed ſtanno intus obduci fiſtulas, quibus fontanæ aquæ in urbes corrivantur, & ſecurius eſt, & magis etiam perpetuum, neque, quantum ego percipio, dubium eſt, tubos aquæductuum ſubterraneorum, quibus antiqua Roma ad corrivandas in urbem aquas fontanas uſa eſt, ex plumbo confectos, quorum innoxius tamen uſus fuit, (o) de ſtanno confectos fuiſſe, quandoquidem & illud plumbum, *candidum* ſcilicet, latinis dicitur. (p) Non ignotum romanis fuit medicis, iſtas aquas nocivas eſſe: Ita GALENVS *de Medicam. ſec. locor. Libr. 7.* Τὸ ὕδωρ, διὰ τῶν· μολυβδίνων σωλήνων ὀχετευόμενον, φευκτέον, ἰλύματα γάρ τινα τῆ μολίβδῳ κατὰ τοῦτο περιέχεται, διὸ καὶ οἱ πίνοντες ὑποσάθμην τῆ τοιᾶτῃ, δυσεντερικοὶ γίνονται.

(o) Confer ANDREAM BACCIVM *de Thermis Libro c.* 8.

(p) Plumbum pretioſiſſimum candidum, a græcis appellatum Caſſiteron. PLIN. Hiſt. Nat. Libr. 34. 16

νονται. *Aqua, quæ per plumbeas ſolenas deducitur, fugienda, ſordes namque & limus plumbi his adhærent, ob id, qui illius ſubſidentiam bibunt, dysenterici fiunt.* Operæ ſane pretium eſt, in tuendo ſingulari illo naturæ beneficio, quod in ſalubritate aquarum ponitur, nullis parcere ſumptibus. Commendat fictiles tubos, pro corrivandis in vrbem aquis, PLATNERVS, qui in illa, quam de *Aqua fontana ſalubriore conſcripſit*, diſſertatiuncula, parvo ſpatio magnam doctrinam amplexus eſt. (q)

§. 9.

De ſignis aquæ optimæ ad ſanitatem publicam utilis, opus eſt, ut quædam, eorum cauſa, qui me audiunt, ediſſeram. Ex origine aquarum & locorum, per quos fluunt, conditionibus poſſunt, uti jam ante dictum eſt, quædam vel bonitatis vel pravitatis ſigna deſumi. Verum, cum & optimæ viſæ, & origine ſua ſatis commendabiles aquæ, omnibus tamen, qui ad ſanitatis tutelam requiruntur, facultatibus, ſemper haud gaudeant, ex ſenſibili aliqua qualitate conſtare de illarum ſinceritate debet. Inſipida ſit maxime aqua, quæ ſitis cauſa bibitur, recte enim tunc illa ſapit; ſi tamen aliquid ſaporis aquæ ineſt, ſatius erit, eam auſteriorem eſſe, quod, ferri ramenta ſubeſſe, ſignificat, quam ſubdulcem. Amica cor-

(q) Inter opuſcula a Filio edita, Tom. I. Proluſione XV.

poribus ferri ſunt primordia. Hinc aliqua præ cæteris gentibus felicitate fruuntur populi, inter quos fons ferri particeps, cujus communis inter omnes uſus eſſe poſſit, ſcaturit. Enimvero haud facile provincia eſt, quæ acidulas haud fundat. Plurimum etiam refert, inter aquas, ſi optio datur, diſcrimen inſtituere & ſeligere limpidiſſimam, quod illis maxime, ut faciant, neceſſe eſt, qui, morbi cauſa, aquas ſinceras bibunt, cum, qui ſanus eſt, de minutis aquarum differentiis admodum non ſit ſolicitus (r). Ita HIPPOCRATES, convenienter admodum ad recentiorum, qui ſubtilius in aquarum indolem inquiſiverunt, mentem, aquas vult eſſe *ſapore gratas*, *leves*, *pellucidas* (s); ex effectu etiam, aquarum præſtantiam judicare juſſit: *Si urinas efficacius ducant, alvumque molliant* (t). Quapropter, ad morborum curas, pluviales præ-

(r) Ὅστις μὲν ὑγιαίνει τε καὶ ἔῤῥωται, μηδὲν διακρίνειν, ἀλλ' ἀεὶ πίνειν τὸ παρεὸν, ὅστις δὲ νούσου ἕνεκα βούλεται τὸ ἐπιτηδεύτατον, ὧδε ἂν ποιέων μάλιστα τυγχάνοι ὑγιείας. HIPP. *de aëre aquis & locis Libro.*

Qui ſanus eſt & valet, nihil diſcriminis ſtatuit, ſed ſemper bibit eam, quæ præſto eſt, qui autem, morbi cauſa, præſtantiorem vult, ita faciendo (optimam deligendo) ſalutem conſequetur plus.

(s) Τὰ γλυκύτατα συμφέρει, καὶ κουφότατα, καὶ λαμπρότατα, ibid.

Dulciſſimæ præſtant, & leviſſimæ, & pellucidæ magis.

(t) Damnat enim, ἃ διουρέεται

Quæ difficulter mingun-

præoptandas esse censuit, quæ, omnium nunc consensu, simplicitati elementari propiores, & destillatæ cuidam similes, omnino esse existimantur (u).

§. 10.

Singularis sane est aquarum potabilium diversitas, tantum etiam eorum, qui aqua pro potu utuntur, in dijudicandis illis acumen plerumque est, ut, ex saporis discrimine, excellentiores ab ignobilioribus distinguere didicerint, solo sensuum ministerio adjuti; Sed judicio accessit nunc experimentorum fides, quibus eam, quæ rarissima & leviſſima, adeoque in animato corpore facilius circumducenda est, distinguimus. Has sane virtutes in aqua propterea desideramus maxime, quandoquidem, quæ *rarissima*, sibi maximam partem relicta, homogenea ac uniformis, &, quod ex inde consequitur, *leviſſima*, aëri fere similis, per vasa corporis circumagitur liberius. Et raritas quidem aut simplicitas aquarum ea est conditio, quæ ad *homogeneum*, & illam fluidorum indolem, quæ *similaris* dicitur, accedit quam proxime, a qua partium similitudine

 oportet

ρίστας χαλεπῶς, καὶ πρὸς τὴν διαχώρησιν ἐναντία. ibid.

tur, & ad secessum contrariæ sunt.

(u) τὰ ὄμβρια κεφάτατα, καὶ γλυκύτατα, καὶ λεπτότατα, καὶ λαμπρότατα.

Pluviales levisſimæ, & dulcisſimæ, & tenuisſimæ, & clarisſimæ.

oportet *levitatem* omnino consequi, cum simplicitas fluidorum, a rerum pondus habentium absentia, dependeat. Diversis tamen experimentis unam vel alteram harum virtutum in aquis percipimus. Ea *levissima* dicitur, quæ ad stateram æstimata, inter plures ad experimentum deductas, levius pendet aliis, sed *tenuissima* est, quæ peregrinas res in se demersas habet parcissimas, ita ut hydrometrum subsideat, & fundo vasis, in quo experimentum instituitur, accedat propius, quam factum est cum aliis aquis eodem modo exploratis. Sed desperandum est, unquam fore aquam simplicem, ita, ne quid salini, vel terrei ad minimum, subsit; Aqua sæpius destillata, si pluries ad ignem evaporat, pluries etiam terrenum quid, in parietibus vasis relinquet, nec ulla erit, quin salis terreni minimam particulam in sese contineat; & vehementer sane dubitandum est, debeatne inter virtutes numerari, ista, si etiam in aliqua aqua deprehendi posset, *simplicitas* atque *levitas*. HERODOTVS, gravis autor, inter Aethiopes esse scribit, qui annum vigesimum supra centesimum vivendo excedant, idque propter victus simplicitatem, propter etiam aquarum insignem levitatem, ita contingere, asseverat (x). Verum, a natura

(x) Ἀιθίωψ ἔτεα μὲν εἴκοσι καὶ ἑκατὸν βιᾶ, τίνες δὲ καὶ ὑπερβάλλησι καὶ, ταῦτοις σίτησις δὲ ἐστὶ κρέατα ἑφθὰ καὶ

Aethiops annos viginti & centum vivit, quidam etiam excedunt, cibus carnes sunt coctæ, potus, lac. Est ibi aqua, cui nihil

tura potus, quem aliqua certe ex parte nutrire fas est, alienum esse arbitror, minimis vasis corporis ubique inferiorem esse volumine, adeoque subito transcurrere, nihilque habere, quod minimis apponi, augmenti causa, possit. Humores nostri, etiamsi subtilissimi sunt, manere tamen & subsistere in vasis suis aliquantulum debent, & vita cum nimia eorum fluxilitate stare nequit. Oportet adeoque omnibus aquis aliquid inesse mixti, ut illæ, etiamsi de suo adeo multum ad corporum expansionem & ponderis augmentum haud conferant, (y), solvere certe possint varia sanguinis nostri principia, salia, terras, olea, eademque secum educere, id quod simplicissimæ, etiamsi darentur, aquæ haud facerent, utpote quæ, intactis heterogeneis, transfluerent quam celerrime.

πόμα, γάλα, ἔστιν ἐκεῖ ὕδωρ, ἐφ' οὗ οὐδὲν ἐπιπλεῖ, μήτε ξύλον, μήτε ξύλοις ἐλαφρότερα, ἀλλὰ πάντα χωρέει εἰς βύσσον, καὶ διὰ τοῦτο τὸ ὕδωρ μακρόβιοί εἰσι. HERODOTVS, Libr. 3. c. 125.

nihil supernatat, neque lignum, neque ligno leviora, sed omnia descendunt ad fundum, & propter has aquas longævi sunt.

Dubitat de asserti veritate BOERHAVE, *Element. Chemiæ*, Tom. I. p. 462. & illustris HALLERVS *Comment. in prælectiones Academicas* BOERHAVE, Tom. I. putantque illi, lignum esse aliquod sua natura, lapidis instar, ita grave, quo illud ad fundum secedere oporteat.

(y) Post HELMONTIVM, WOODWARDVS & ipse HALLEVS in Statica Vegetabilium; aquam vegetabilibus vitam, sanitatem, & incrementum præstare, asserunt.

Sapienter adeoque adorandus Creator cavit, ne aqua unquam eſſet ſimpliciſſima, futura propterea inutilis. Ineſt enim omni aquæ aër, veluti experimenta, in vacuo BOYLEANO inſtituta, docent, & piſcium vita in aquis illud evincit, utpote qui, cum ſine aëris uſu vivere nequeant, ſuis branchiis aërem, qui in aqua occultus eſt, exprimunt, adeoque, quod SCHWAMMERDAMMIVS (z) docuit, reſpirant, & organon illud in aquatilibus animantibus pulmonum vices gerit. Eſt in aqua ignis, ſine quo ejus fluiditas haud ſubſiſteret, ſiquidem illa, ſi ad *trigeſimum ſecundum gradum Thermometri* frigus auctum eſt, in cryſtallum concreſcit, quæ glacies eſt atque nix (a). Vtraque, omni aqua, ad ſtateram, levior eſt, & optima, ætherea ſcilicet parte, privata, ut propterea, aquam ex glacie & nive fuſam bibere, perniciosum ſit (b). Ab illa ætheris ignea parte ſumma aquarum provenit fluiditas. Ineſt aquis terræ quidpiam ac ſalis parum, veluti *illam* ſubſidens ac vaſi adhærens materies, quæ, igne toſta, haud raro ferrum oſtendit, *hoc* autem ſapor, qualiscunque demum ille ſit, arguunt. Continet denique aqua aliquid pinguis rei, quam putredo manifeſtat. Hæc omnia, ſi temperata & æquali lege mixta ſunt, inſignibus ad nutriendum virtutibus aquam nobilitant,

(z) De Reſpiratione Piſcium diatriba.
(a) ROBERTVS BOYLEVS *in Medicina ſtatica.*
(b) Τὰ ὕδατα χιόνος καὶ κρυσάλλων πονηρὰ πάντα, Aquæ ex nive & glacie, malæ omnes: HIPPOCRATES, de aëre aquis & locis.

litant, quæ, sive *sola, sincera, & nativa*, sive cum vegetabilibus ac animalibus rebus cocta, sive per plantam transjecta, ejusque acido atque oleo unita, sub specie succorum vegetabilium accipiatur, humorum nostrorum majorem partem conficit, eosque ita miscet, ut circumduci commode, ad vitam & sanitatem, possint. Deberet autem in aqua potabili *aëris*, & rei illius, quæ aëre subtilior, atque *æther* vel *ignis* est, esse plurimum, *sed terræ*, *saliumque* paucissimum. Quare laudat HIPPOCRATES (c) aquas, quæ subito incalescunt & subito iterum frigescunt, quod simplicitatis, siquidem spissa fluida ignem diu tenent, argumentum est. Si aqua ponderosarum partium minimas rationes in se habet, tunc *lenis* est, nullamque partem contactu suo offendit, naribus insorpta, ad album oculi delata, nullum sui sensum facit, posses illa vulnus tendinis, sine doloris sensu, lavare; adeoque etiam ab ejus contactu, partes vitales quævis, per quas labitur, nihil quidquam incommodi, commodi autem plurimum, tam ad tuendam sanitatem, quam ad profligandos morbos, habebunt. Experimur, aquam, quantum fieri potest, simplicissimam esse, si præter adducta hactenus tentamina, instillato alcali, nihil turbidi in fundum secedit, si subito illa haud com-

 putrescit

(c) ὕδατα ἴψιστα τα χυτότατα. Aquæ cito ebullientes; hoc bonitatis in aqua argumentum alter HIPPOCRATES, BOERHAVIVS, Elem. Chem. Tom. I. pag. 461. suo suffragio comprobavit.

putrefcit (d), & parum terræ, poſt deſtillationem chemicam, relinquit, quod tamen minimum in aqua vitium eſſe, arbitror, ſiquidem potus omnis, vaſis lacteis inteſtinorum, nullam rem terrenam admittentibus, ita corrigitur, ut ne micula quidem durioris rei ad ſanguinem abire poſſit, veluti experientia docet, aquas thermarum, inſigni tophaceæ materiæ copia farctas, omne terreum in inteſtinis deponere, ut verendum neutiquam ſit, ne ab illius potu calculi forte in corpore humano concreſcant.

§. 11.

Varia etiam ſunt aquarum vitia, quacunque demum ſpecie, ſive coctæ, ſive nativæ, ſuique juris, bibantur. Non enim tantum morbi gentilitii, quos *endemicos* appellant, illi ſcilicet, qui a ſingulari aliqua circumſtantia alicui provinciæ propria, proveniunt, ex connato aliquo aquis vitio oriuntur, ſed populares etiam atque *epidemicæ*, ſeu illæ, quæ in vulgus graſſantur, ægritudines, haud raro, ab aliqua aquis ſuperveniente per aliquod accidens virulentia, accenduntur. Quod illos affectus attinet, qui gentibus quibusdam familiares ſunt, ſicut illorum cauſæ in victu & moribus populorum quærendæ ſunt, ita arbitror, ſingularem aliquam aquarum temperiem, quod aliqua afflictio alicui genti domeſtica ſit, efficere, ſiquidem & communem & con-

(d) Ὕδατα τάχιστα σηπόμενα. Aquæ cito putreſcentes inter malas numerat HIPPOCRATES, de aëre aquis ac locis.

conſtantem aliquam, qua illud fieri ita poſſit, cauſam adeſſe oportet. Vbi aquarum ſcaturigines per venas metallorum progrediuntur, imbibunt illæ haud raro hujus illiusve metalli contagium. PLINIVS autor eſt (e), in Germania, trans Rhenum, caſtris a Cæſare Germanico promotis, maritimo tractu, fontem fuiſſe, cujus potatoribus dentes intra biennium deciderent, & VITRVVIVS (f) *Suſis* inquit, *quæ erat Perſarum metropolis, fonticulus erat, ex quo, qui bibebant, dentes amittebant.* Nec ulli dubium ſupereſſe poteſt, aquas venarum metallicarum vel virtutes, vel vitia in ſe accipere, qui ſecum cogitat, *mox vim medicam ineſſe fontibus*, ſi ferro prægnantes ſunt, ſi ſalis terreni, amari, fiunt participes, ſi bitumen terræ abſorpſerunt, *mox eosdem venenatos fieri*, ſi, veluti ille fons ad Egram, urbem in confiniis Bohemiæ, haud procul a ſalutari acidularum ſcaturigine, cupri ramenta acceperunt, vel arſenico, peſſimo veneno, ſcatent, quales illi forte ſunt fontes mortiferi, quos PLINIVS, (g) cujus fidem ubique ſubleſtam haud eſſe puto, excitat. Quod quando ita eſt, ut aquæ, etiamſi cæteroquin omnia bonitatis ſigna oſtendant, & uti PLINIVS illo, quem adduxi, loco, loquitur, *aſpectu blandiantur*, minimam tamen rem, quæ nocere poteſt, in ſe habeant, mirum ſane eſſe nequit, qua fiat, quo gentibus variis

(e) Hiſt. Nat. L. 25. c. 3.
(f) Lib. 8. c. 5.
(g) Hiſt. Nat. Libr. 31. c. 1.

variis, ex potu, qui ſanitatis optimæ cauſa eſſe debebat, morbi naſcantur, qui alibi ita frequenter haud eveniunt. In Senenſi comitatu ad Luccam, celebrem Italiæ civitatem, vitio aquarum, incolis in collo ſcirrhi, ſcrophulæ, & ſtrumæ naſcuntur, quales etiam Alpium incolis proveniunt, ut illis choeradum & bronchoceles tumor a gutture ad pectus pendeat (h), id quod Noricis ultra Saltzpurgum, Oenopontem, & Curiam, Rhoetiæ oppidum, ac illis, qui Stiriam ac Carinthiam incolunt, non tantum domeſticum malum eſt, ſed illis etiam accidit, qui peregre accedunt. Conformem ubique aquis epotis incolarum ſpeciem eſſe, VITRVVIVS (i) vult, & ex habitu corporis pulchro vel deformi, naturas aquarum illius regionis explorare præcipit.

§. 12.

Morborum in vulgus graſſantium cauſa, aqua eſſe poteſt, quodſi illius ſcaturigines ob aliquam telluris ipſius mutationem, ob neglectam etiam munditiem, latentem contraxerunt virulentiam, vel, ſi ob ſinceræ aquæ penuriam, ad lacuſtrium aquarum compotationem, ſitis homines compulit. Peſtem illam magnam Athenienſium, a THVCYDIDE deſcriptam, terræ motus præceſſiſſe, hiſtoria refert. Hi fontium fundamenta everrere, halitu aliquo arſenicali ex terræ cryptis fumante corrumpere aquarum communium elementa

(h) Conf. IOHANN. LANGII Epiſt. Med. Libr. I. Epiſt. 43.
(i) Lib. 8. c. 4.

ta, illisque rem nocentem immiſcere, potuerunt, quæ hominibus in eadem ſocietate viventibus, illis autem maxime, qui bonitate viſcerum haud omnino excellebant, exitiales deinde evaſerunt, veluti iſtam conjecturam haud immerenter quis inſtituere poſſet, quandoquidem, illud frequenter eveniſſe, per fidem hiſtoriarum conſtat, quo terræ motus peſtem antecederent, quas excitat FABIVS PAVLINVS VTINENSIS (k). A quo eventu ſi receſſero, non omnino, quod Dei gratia eſt, inter populos frigidiore cœlo degentes frequente, illud ſane morbis epidemicis excitandis ſufficit, ſi putei negligentius habentur, ut illorum aquæ, fervida maxime æſtate, computreſcant. Ex illarum potu dyſenteria oritur, quæ ſæpe, ſine ulla apparente manifeſta cauſa ita graſſatur, ut aliquam univerſalem ſuſpicari oporteat, quam in aquarum corruptela haud obſcure invenias, veluti morbi caſtrenſes varii, ab aquæ putridæ uſu excitati, illud ita fieri poſſe, ſatis ſuperque docent.

§. 13.

Medicorum adeoque officium eſt, aquarum publicarum puritati ſtudere, deque illis, quas aquis ineſſe deprehenderint, noxis, magiſtratum admonere. Putei frequenter, & quotannis ad minimum, exhauriendi, omnique, quam ſenſim colligunt, fæce liberandi ſunt; licet enim, qui in illis

(k) Prælectiones Marciæ, ſive Commentaria in Thucydidis narrationem de Peſte, Venetiis 1603. 4

illis ex occulto aliquo ſeminio naſci poſſunt, vermiculi, quos varia ſpecie ſubeſſe, experimenta a LEVENHOECKIO, VALISNIERIO aliisque micrographis inſtituta, declarant, coctura deſtrui poſſint, eſt tamen tanta putredinis, ſi ſemel ab aquis ſuſcepta eſt, vis & pertinacia, ut vitium illud corrigi ita facile haud poſſit, maneatque venenum in aqua putrida, quocunque modo decocta illa fuerit. Mira tamen acidi in putridas aquas eſt efficacia, ut, ſi quid opis atque conſilii eſt, quo averti noxæ peſſimarum corruptiſſimarumque aquarum poſſint, illud in temperatura earum cum ſuccis vegetabilibus aceſcentibus, ponatur. Sic navigantes & ſub ardente ſidere iter facientes, putridas, quas ſecum vehunt, aquas, ſucco citri corrigunt, & conſultum a magno BOERHAVIO, in dyſenteria aliqua caſtrenſi, prout accepi, fuit, tinctas ſulphuris accenſi halitu aquas militibus bibendas præbere. Quod armenta & greges ovium attinet, caveant ſibi paſtores, ne aquam turbidam per prata & paſcua ſtagnantem a ſitibundis pecoribus bibi permittant, quod ſi faciunt, dyſenteriæ epidemicæ cauſam excitare poterunt. Verum de hoc argumento agendi, alibi quædam eſſe poteſt opportunitas.

§. 14.

Videbor quidem medicis publicis nimium largiri, ſi ad illorum cenſuram etiam potus arte factos, magisque mixtos, revocavero, ex quorum præparatione & mercatura non tantum victum lucrantur plebeji, ſed etiam magnatum atque principum

cipum æraria haud parum commodi habent, ut propterea damnosum forte sit, sanitatis publicæ causa criminari velle id, quod, quando pecunias in Republica circumducit, ad commercia & negotiosam civium vitam, quæ societatis humanæ anima est, conducit. Sed neminem fore arbitror eorum, qui Rempublicam curant, & salutem civium primam sibi legem statuunt, quin sanitatem subditorum omni lucro priorem esse, existimet, ut propterea haud alienum sit, quales noxæ ex potibus temulentis & in acorem proclivibus, summa cum licentia ubique venalibus, illis eveniant, qui sese continere nequeunt, nunc exponere. Legibus sane ac pœnis isthæc hominum libido, qua erga potus acriores & ferventiores feruntur, coërcenda esset, & quandoquidem illud, ob hominum sibi ipsis parcere nolentium intemperantiam, fieri nequit, illud certe curandum efficiendumque omnibus modis est, ut sinceræ, omnique noxia facultate liberæ sint sorbitiones, quibus illi sitim restinguere his in provinciis solent, qui aquas bibere vel nolunt, vel ob ventriculi intemperiem, nequeunt, *Vina* scilicet, *Cerevisiæ*, & potus ex vegetabilibus igne prolecti, quos ob igneam facultatem, *spiritus* appellamus. De horum præstantia, si modeste quis illis uti pro corporis & vitæ rationibus, velit, non habeo quod nunc moneam, verum, quod nocendi facultatem attinet, oportet me ideo in ista officii medicorum publici parte aliquantulum subsistere, quia eadem est potus cujusvis inebriantis, quam quæ

venenorum eſt, ratio, hac forte cum differentia, quod hæc certo occidant, illa poſſint occidere.

§. 15.

Habent autem potulenta ejusmodi, quæ publice venduntur, quibus adeoque in ſuam perniciem uti unicuique licet, vel communem aliquam, vel propriam unumquodque ex illis habebit virulentiam. Commune his omnibus illud eſt, quod, ſi intemperantius hauſta ſunt, accendere ſanguinem, &, ad febris leges, magnos æſtus humoribus vitalibus inducere, eosdemque ita confundere invicem, ut rationis etiam uſus intercipiatur, poſſint, quod *ebrietas* dicitur, vera ſcilicet phrenitis, ac inflammatorius aliquis vaſorum cerebri minimorum ſtatus, unde quilibet, quantum ille in ſe delinquat, qui ſæpe ebrius eſt, intelligit. Et recte quidem FONTIANVS apud ATHENAEVM, (l) ebrietatem malorum omnium maximum appellat. Non enim tantum ille ipſe ebrii hominis ſtatus, periculoſus in ſe morbus, & *Vertigo* quædam *caduca* eſt, quod IVVENALIS novit (m),

Quum bibitur concha, cum jam vertigine tectum
Ambulat, & geminis exſurgit menſa lucernis.

ſed morbi, qui ex ebrietate conſequuntur, ſane ſunt plurimi, quos PLINIVS (n) ita complexus eſt: *Ex ebrietate pallor, genæ pendulæ, oculorum ulcera, manus tremulæ, ferales ſomni, inquies noctur-*

(l) Dipnoſ. Libr. 10.
(m) Satyra 6.
(n) Hiſt. nat. Libr. XIV. cap. 22.

nocturna. ENNIVS, qui nisi bene potus carmina condere nescivit, teste SERENO (o), articulari morbo periit.

Vino forma perit, vino corrumpitur aetas (p). & DIOSCORIDES (q) *jugem & continuam ebrietatem valde pernitiosam esse, eo quod nervi singulis diebus obsessi corporis compagem solvant*, scribit. Equidem *majoribus nostris, veteribus germanis*, teste TACITO (r) *totos & dies & noctes potando continuare, opprobrium haud fuit*, sed, an salutare hoc illis fuerit, valde dubito. Deberent sane, veluti furiosis gladios, ita strenuis potatoribus temulenta pocula e manibus torquere imperantes, sicut, hoc sibi in sua republica ordinanda ita efficiendum esse, PLATO (s) existimavit: *Ille enim pueris vini usum ante octavum annum interdicit, ad furiosum juventutis habitum compescendum; deinde, ut vino moderate utantur, ad annum vigesimum usque suadet, ab ebrietate vero & immoderata intemperantia abstineant, cum absurdum simul & periculosum sit, ignem igni addere, agrestes enim inde & immanes appetitiones, ardentesque cupidines & ignei mores emergunt.*

§. 16.

(o) Ita de ENNII morbo ille exposuit.
ENNIVS ipse pater dum pocula siccat iniquè,
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.
(p) Mater. Med. Lib. V. c. 7.
(q) PROPERT. Lib. 2. Eleg. 4.
(r) De situ, mor. & pop. Germ. XXII. 3. germanor.
(s) De legibus Libr. 2.

§. 16.

Inter percuſſores atque veneficos omnino numerandi ſunt, peſſimi vinorum corruptores, qui novella vina vetuſtis miſcent, aut eadem malis artibus infucant, &, quod nuper ab impoſtoribus ita factum eſſe, novellis publicis relatum legimus, plumbi ſale & ejus vitro, quod Lithargyrium dicitur, lento utroque veneno, falſa dulcedine inficiunt. Quod ſane crimen, uti atrociſſimum eſt, ita ad veneficium refertur merito, & ad juris criminalis quæſtiones pertinet.

§. 17.

Vini carentia, ait PLINIVS (t) *cereviſia inventa eſt*, primique fuerunt Aegyptii, referente HERODOTO (u), qui *ex hordeo vinum pararent, deficientibus in ea regione vitibus.* Cereviſiæ huic, quam vocem etiam STRABO (x) habet, Zytho olim nomen erat, cujus uſus penes omnes gentes omni tempore, tum etiam penes germanos, fuit. *Potus*, ait TACITVS (y) de germanorum victu verba faciens, *eſt humor ex hordeo aut frumento in quandam ſimilitudinem vini concretus.* Inſignis nunc ubique iſtius potus, fermentatione in vini ſpeciem converſi, proſtat diverſitas, & omni arte effectum eſt, quo poſſint utriusque generis cereviſiæ, & illæ dulces acidæ, & illæ lupuli floribus incoctæ, amarulentæ, magna cum utilitate bibi, ſi

(t) Hiſt. Nat. Lib. 22. cap. ult.
(u) In Euterpe, Libr. 2.
(x) Ib. cap. XXI. 11.
(y) Libr. XVI.

ſi ſinceræ ſunt atque defæcatæ. Habent autem non ſecus, ac illæ veterum cereviſiæ, inſignem nocendi efficaciam etiam noſtræ. Tunc autem maxime virulentæ ſunt, ſi temulentæ. *Eſt & occidentis populis*, ait PLINIVS (z), *ſua ebrietas, fruge madida, pluribusque modis, nominibus aliis, ſed ratione eadem. Aegyptus quoque e fruge ſimiles ſibi potus excogitavit, nullaque in mundi parte ceſſat ebrietas, meros quippe tales hauriunt ſuccos, nec diluendo, ut vinum, mitigant, hinc miræ vitiorum inſolentia; inventum eſt quoque, quomodo aquæ inebriet.* Damnat cereviſias DIOSCORIDES (a) & GALENVS (b) *utpote flatuoſas, pravique ſucci & ex putredine genitas, quibus urinæ impellantur, cerebri membranæ afligantur, malique ſucci gignantur*, quod ideo forte tunc factum eſt, quod decoctores veram fermentationis formam ignorarent. Certe ex noſtris cereviſiis ſunt haud paucæ, quæ, debita providentia coctæ atque excultæ, inſignibus nutriendi facultatibus pollent, docetque experientia, gentes quæ zythum potant, illis hydropotis populis, ſtatura & robore eſſe excellentiores. Sed illis, ſi vitium habent, nihil poteſt eſſe nocentius, potiſſimum autem, ſi recentes ſunt, fæcem nondum depoſuerunt, aceſcunt, rancidæ ſunt & mala aliqua medicina corriguntur. Solent enim inſtitores, ſi per æſtatem cereviſia aceſcit, cinerum ſal, quod *Alcali* chemicis dicitur,

(z) Libr. XIV. c. 22. (a) Mat. med. Libr. 32. c. 3.
(b) Simpl. Med. 6.

immiſcere, cujus malitia tanta eſt, ut ſint, qui ſanguinem mingant, articulorum doloribus, aliisque, qui ex ſanguinis corruptela *alcaleſcente* oriri poſſunt, morbis corripiantur, ut eos, quæ ventriculum atque inteſtina excruciant, *choleras*, *diarrhœas*, *colicas*, nunc omittam, quæ ex cereviſia corrupta oriri poſſunt pernitioſiſſimæ: Mala fraude ſolent herbas temulentas incoquere impoſtores, imo ſuapte natura, ſi *avena temulenta* ſegetibus innaſcitur, inebriandi vim ſummam cereviſiæ acquirunt, ita quidem, ut ad juris criminalis cancellos vario modo iſta de cereviſiis corruptis quæſtio pertineat.

§. 18.

Etiamſi autem intemperantia hominum nullis coërceri legibus poſſit, illud tamen ſedulo curandum eſt, ne potus iſti efficaciores, quibus vel ad reſtinguendam ſitim, vel ad voluptatem, quidam utuntur, aliqua nocendi facultate ſint corrupti. Venditur uvarum ſuccus recens expreſſus, acris & ebulliens liquor, morborum variorum cauſa. Cum enim ille ſuccus nunc in eo ſit, ut motu inteſtino ſpontaneo, quem *fermentationem* vocant, ſeſe in vinum explicet, fieri ſane aliter nequit, quam quo, dum ille ipſe motus, dolia ſæpe & vaſa rumpens, intra ventriculum & inteſtina inchoatur atque perficitur, *cruditates acidæ*, *colici dolores*, *alvi fluores pertinaces*, *ipſaque diarrhœa iſta epidemica*, *quam dyſenteriam appellant*, exoriantur, maxime illis, qui intemperantius bibunt, veluti experientia quotannis docet, inter

ter cauſas, quæ epidemicos ejusmodi alvi cataclyſmos excitant, muſti abuſum referri, ut, cohibendam penitus ejusmodi nocentis liquoris venditionem eſſe arbitrer (b). Sunt etiam, qui ex vinaceis, poſtquam muſtum omne expreſſum eſt, ſuperfuſa aqua, vinum conficiunt ſecundarium, quod doliis receptum, per hyemem a pauperioribus bibitur, quo potu miſerrimi homines ſibi flatuoſitate diſtendunt inteſtina, & morborum cauſas latentes, ab inveterato quodam acido, accipiunt, quos ſatius eſſet ejusmodi venenorum mercatura ad errores haud incitari. Parum virulentia ſua diſcrepant & lentum aliquod bibentibus venenum ſunt, vina cruda, quæ ſtatim a vindemia, vel, altero poſtquam nata ſunt anno, venduntur, quorum acido nervis inimico rebellio in viſceribus oritur, illis maxime, quæ ſua natura crudos ſuccos facile in ſe recipiunt & pertinaciter tenent, veluti ſunt, hepar, lien, omnesque glandulæ.

§. 19.

Poſt potulentorum ſecuritatem proxima Magiſtratus cura eſto, ut victus, ſeu ſolidioris alimenti intra

(b) Laudatur tamen uvarum dulcium ſuccus, leni tortura expreſſus, τὸ γλεῦκος πρόβρημα HESYCHIO, & COLVMELLAE Libr. 3. c. 28. prodromum muſtum πρόδρομον & πρότροπον, primigenium, quod in preſſione primum eſt, ad mediam partem excoctum, ſapa & defrutum, innocentius illo δευτέρῳ, devtero, quod *Lora*, *Thamna*, de quibus inſpiciendi ſunt DIOSCOR. *Mat. med.* L. V. 5. CONSTANT. *in Geopon.* Libr. 6.

Rempublicam, adſit *ſufficientia* atque *ſinceritas*. Hæc enim utraque pabuli conditio cenſuræ publicæ ſubjacet, ideo, quod utrinque morborum tam privatorum & ad ſingulos pertinentium, quos *ſporadas* aut *ſporadicos* appellant, quam in vulgus graſſantium ſeu epidemicorum cauſæ naſci poſſint. Equidem Reipublicæ etiam intereſt, compeſcere luxuriem atque guloſitatem, leges ſumptuarias ferre, cum varietas ciborum, omnibus, vitam producere & valetudinem conſervare volentibus maxime infenſa ſit, illis maxime, qui molliter vivunt, & corpus ita haud exercent, ut vigor nativus ex motu auctus, errores, quos plebeji & duro vitæ genere uſi innocenter plerumque committunt (c), excuſare & emendare poſſit. Plebeculæ enim vivendi ordinem præſcribere, illam ad exquiſitiorem diætæ formulam adſtringere velle, non magis foret, veluti GALENVS eloquitur, (d), quam, *urſis, apris, leonibus aut aliis id genus brutis animantibus* normam vivendi condere. Illi etiam ſuo periculo peccent, qui romanam affectantes luxuriem, *apicianas* (e) menſas, *Plinianæ*

(c) Quando PLVTARCHVS 4. Sympoſ. Quæſtione 1. ſub Martii perſona, multis rationibus probare conatur, ciborum varietatem ad conſervandam bonam valetudinem eſſe ſimplici victu meliorem, oratorem magis agit, quam medicum, illisque ſcripſit, qui negotioſiorem vitam inter motus corporis agunt.

(d) Libr. 1. de ſanit. tuenda.

(e) APITIVS artis culinariæ ad omnem luxum archimagirus PLINIVS Hiſt. nat. Libr. 9. c. 17.

næ (f) cœnæ præferunt, & morborum cauſas ingurgitant. Creſcunt ſane morbi, veluti creſcunt commeſſationes, & pro oblectatione deinde dolor eſt: Sapienter admodum de hac re ita prodidit HIPPOCRATES (g): *Varios & inter ſe diſſimiles ſumere cibos ad pravam victus rationem ſpectat, ſeditionem enim in corpore movent, dum aliqui citius aliqui tardius concoquuntur.* Hos, ſi vel ſuo damno diſcere, vel medentes audire nolunt, ſinamus, quantum luxus noceat, experiri. Romani cenſura publica dignum putabant eſſe, ſi quis intemperantius cœnaret. Cœnabant ergo apertis januis in atrio, ut introeuntes Cenſores, num ſecundum leges victitaretur, viderent.

§. 20.

Pluris autem eſt, annonam curare, & ne rerum ad victum neceſſariarum copia unquam deſit, proſpicere. Annonæ enim caritas, & quæ eandem conſequitur, dira fames, peſtilentis cujusdam morbi cauſa fit ſæpiſſime, dum illa compulſi miſerrimi homines, maxime agreſtes & pauperes, ferarum more, cruda alimenta, radices, herbas, immaturos fructus, & id genus alia, comedunt, & primum quidem ſuos, deinde,

 halitu

(f) C. PLINIVS Epiſt. Libr. I. XV. Heus tu, promittis ad cœnam, nec venis: Dicitur jus, aſſis impendium redde: Paratæ erant lactucæ, ova bina, Alica, cum Vino. At tu, neſcio apud quem, oſtreas, vulvas, echinos.

(g) De Flatibus Libro.

halitu putrido corporum aliorum ſuccos vitales in febrem epidemicam, aut alios morbos contagioſos, accendunt. In exercitu Macedonico, ex pravis cibis, quos comedere milites, meliorum inopia cogebantur, ſæviiſſe peſtem, Q. CVRTIVS (h) autor eſt; Teſtatur etiam GALENVS, ex magna illa fame, quæ ſua tempeſtate, (medicinam autem ſub ANTONINIS Imperatoribus Romæ profeſſus eſt), agrum romanum devaſtabat, peſtem ortam fuiſſe. Dignus eſt, qui excitetur, locus (i). *Quantum ſit in mali ſucci cibis virium, ad procreandos morbos, declaravit fames, quæ per plurimas Romano imperio ſubditas gentes ſæviit, multis deinceps annis continua. Cum enim cives pro more ſuo, quidquid in agris tritici fuerat, una cum hordeis fabisque ac lentibus abſtuliſſent, reliquos agreſtibus fecere cereales fructus, ὄσπρια & χέδροπα, legumina & avenas, ſimul etiam non ſane paucis ex his in urbem exportatis. Conſumptis itaque hyeme iis quæ facta reliqua fuerant, agreſtes neceſſario, vere toto, ſucci pravi alimentis veſcebantur, adhibitis ad cibi uſum arborum fruticumque germinibus ac turionibus, bulbisque & ſtirpium malo ſucco præditarum radicibus; pleraque præterea, quæ agreſtia, ſeu fructus ſylveſtres atque auſteri dicuntur, prout unicuique horum ſe copia ſuggerebat, abunde, ad ſatietatem usque, ingur-*

(h) Alex. M. Libr. 9. 10.

(i) De cibis boni malique ſucci Libro, ſtatim ab initio.

ingurgitantes, ſimul herbas virentes totas edebant, elixas, quas alias nemo, ne periculi quidem faciundi cauſa, deguſtaverat. Itaque videre erat, ex his, quosdam, deſinente vere, plerosque, ineunte æſtate, ulceribus in cute quamplurimis correptos, quorum non una eſſet in omnibus facies; Atque hæc omnium placidiſſima erant, quibus, per cutem efflorescentibus vitioſus ſuccus de viſceribus profundoque corporis exinaniretur, alios vero quosdam, carbunculi & phagedænæ ſpecies, ubi apparuiſſent cum febre, plurimos interfecere, pauciſſimis, aegre, poſt multum temporis, ſervatis. Apud T. LIVIVM (k) *duo ſimul mala, fames & peſtilentia orta fuerunt*, & apud PLVTARCHVM (l) *ira numinis ſterilitatem agrorum primum immiſit ac famem, mox ſecuta eſt peſtilentia.* Talis fuit illa peſtis, tempore MAXIMINI Imperatoris, referente EVSEBIO (m), quæ cum fame ſimul acceſſit. Quid adeoque ad averrendam illam publicam calamitatem ex annonæ defectu per conſtantes hiſtoriarum obſervationes ſubſequi ſolitam, factu opus ſit, penes ſummos Imperantes poſitum eſt.

(k) Hiſtor. *Libr.* 3.

(l) De iis qui ſero a numine puniuntur, libro.

(m) Ταῦτον δὲ τὸν τρόπον δυσὶν ὅπλοις λοιμῷ δὲ ὁμοῦ καὶ λιμῷ στρατεύσας ὁ θάνατος ὅλας ἐν ὀλίγῳ γενεὰς ἐνεμήθη. Hiſtor. Eccleſ. Lib. 7.

Hac ratione, duobus armis, peſte ſimul & fame pugnans mors, integras depaſta eſt nationes.

§. 21.

Sæpe nulla melioris victus indigentia, sed solius inordinatæ appetentiæ vitio, homines epidemicorum morborum sibi accersunt materiam, veluti PAVLVS AEGINETA omnino recte scribit, dum causas morborum pandemiorum dicit esse ἔνδειαν καὶ πλησμονὰς, λιμῶ καταχόντος ἢ εὐθηνίας γινομένης, *indigentiam & abundantiam, annonæ defectum ejusque uberiorem proventum* (n). Nempe, ubi locupletior fructuum, quos horæos appellant, proventus est, tantum in se delinquunt, libidine, intemperantes homines, quantum penuria peccant, qui crudis vescuntur vegetabilibus. Est enim in istis fructibus, si per abusum ingurgitati fuerunt, dici nequit, quantus acor, qui non tantum ventriculis atque intestinis noxam infert, sed etiam succis omnibus vitalibus pertinax illud, quod cachexia, a malo corporis habitu, dicitur, vitium inurit, unde illi, a GALENO (o) & PAVLO AEGINETA (p) in ciborum, quibus malus succus est, seu *cacochymiorum* ordine, numerantur. Excusantur olera quævis omnesque fructus, quos coctura mitigat, vel acetum cum oleo temperat, sed crudis fructibus, etiam maturis, subigendis vis humani ventriculi

(n) Lib. 3. c. 34.

(o) Libro de mali & boni succi cibis.

(p) Lib. I. 53. Τὰ ὄπωρα λυπηρὰ ἐ τῷ πλήθει μόνον ἀλλὰ καὶ τῇ κακοχυμίᾳ. Fructus æstivi non copia tantum sed & malo succo nocent.

culi haud ſufficit, oportetque illi cibum quemvis, quo ad ſatietatem uſurus eſt, coctione cicurari, utpote qua, alimenta ita mutantur, ut, facili digeſtionis labore, porro abſolvi atque perfici poſſint. Quare fructus equidem, qui maturitate aut mora dulceſcunt, parca fruitione, propter amicum nobis vegetabile acidum, grati naturæ ſunt, aſt nocent, etiam athletica ſanitate pollentibus, quodſi vel immaturi vel jejuno ventre vel ad ventris plenitudinem ſumuntur; Etiamſi enim fuerint qui impunes aliquando abiverunt, illos tamen æquiores erga viſcera ſua, quorum bonitate eluctati ſunt, eſſe decet, quam quo repetito abuſu, qui male tandem cedere poſſet, defatigare ventriculum velint: Quo ſucci pleniores fructus æſtivi fuerint, eo plus faciliusque aceſcunt, hinc nocent. *Perſica mala* non tantum forte, referente GALENO *in proprio nativoque ſolo, Perſide ſcilicet, ubi exitioſa & lethifera ſunt*, ſed, velut experientia frequens docet, profuſior & intemperantior eorum uſus periculoſos alvi cataclyſmos ubique excitat. Nec *armeniacis* major gloria, eſt vel *prunis*, ſed quo fertilior his fructibus annus eſt, eo frequentiores & diarrhœæ & dyſenteriæ eveniunt, ut choleras, colicasque, quando quidem hi morbi adeo exitiales haud ſunt, nec in vulgus ita graſſantur, nunc non referam. Minus nocent, vel aquoſioris temperaturæ fructus, veluti *ceraſa*, vel durioris compagis, poma ac pyra, quæ, mora, per hyemem cicurantur: Divinum equidem hæc omnia donum, ſed periculoſum etiam munus ſunt illis, qui eo-

dem

dem recte uti nolunt. Deficcandos nobis fructus iſtos natura dedit, ut frugis inſtar utamur; Laudabili ſane inſtituto abiguntur frugilegæ mulierculæ, quæ pruna iſta, *fructu per maturitatem flavo vel puniceo vel rubro*, morborumque ſimul materiem divendunt, debentque medici res ejusmodi non ſane, uti quibusdam videri poterunt, minutas, vindicandæ ſanitatis publicæ cauſa, omni cura circumſpicere & ordinare.

§. 22.

Sunt præterea inter fruges atque olera haud paucæ vegetabilium ſpecies, quæ non tantum omni corpus nutriendi facultate deſtituuntur, ſed etiam illud vario modo deſtruunt, & venena ſunt peſtifera. Latent ſæpe morborum, tam ſingularium quam univerſalium cauſæ, quas eventus docet in victus pravitate ponendas fuiſſe, nec raro mortes accidunt ſubitaneæ, quas, venenum, non nocendi animo, ſed caſu aliquo, victui immixtum, induxit. Quapropter circa curam annonæ ita etiam ſoliciti eſſe debent civitatum Rectores & provinciarum Præſules, ne corruptus vetuſtate aut putredine cibus ad uſum publicum veniat, neque, noxia vegetabilia vel frumentis vel virentibus herbis, quibus ad victum utimur, innaſci, atque una cum illis divendi, incuria vel ignorantia, poſſint.

§. 23.

Inter frumenta, ſecale, triticum, hordeumque de quarum farinis panes coquimus, duplici modo vitium accipere poſſunt, quando vel comput-

reſcunt

treſcunt in granariis, vel agreſtium herbarum, quæ ſegetibus innaſci ſolent, ſeminibus mox ineptam farinam habentibus mox etiam ſua natura nocentibus, miſcentur, vel prava vegetatione corrumpuntur. Novimus, ait GALENVS (q) *quod comeſti ſemiputridum triticum, famis neceſſitate compulſi quidam, communi morbo ex communi cauſa correpti fuerunt.* Videant rei familiaris ac agriculturæ gnari, qua ratione farra in annos conſervare, eaque contra *Curculionum* grana corrumpentium illuviem ſecura ſervare, vel farinas, in ſeros uſus, integras tenere poſſint. VARRO granaria vult excelſo loco extrui, vento ab exortu & ſeptentrione perflata eſſe, ad quæ nulla aura humida ex propinquo loco tranſpiret, & quorum parietes atque pavimentum opere marmoreo loricetur. Per Africæ illas regiones, quas peragravi, Numidiam partemque Libyæ ac Africæ illius, quæ Proconſularis, Romanis dicta eſt, omnemque Mauritaniam, in quibus provinciis maximus frumentorum proventus eſt, ſolent incolæ profundos excavare, ſublimiore loco, maxime, ubi arenoſum ſolum eſt, puteos, & arenæ ſtrato tegere; Hinc per plures annos intemerata ſervantur grana, curculionem haud experiuntur, nec putrilagine tentantur. Hac ratione quondam per quinquaginta annos Cerealia ſemina ſincera manſiſſe, VARRO ſcribit (r). Hæc equidem

(q) De ſanit. tuenda Libr. 3.

(r) Libr. I. de re ruſtica.

dem medicum non attinent, verum audiendus ille omnino eſt, ſi vetuſta grana venduntur, aut farinæ annoſiores in caſtris ad victum militarem pinſuntur. Quodſi enim frumentacea grana negligentius habita corruptelam acceperunt, molendine fracta farinam edunt putidam, amaricantem, quæ, præſtantiore ſui parte glutinoſa acidoque ſuo vegetabili orbata, fermentationem non recipit, nec in panes coquitur optima nutriendi facultate præditos, ſed paſta manet iners, quæ digeſtioni reſiſtit; putredinem iſtam nulla ars, etiamſi panis bis coctus exinde conficiatur, extinguit, & ab ejusmodi putrida farina comeſta malignarum febrium cauſæ proficiſcuntur.

§. 24.

Vna cum frumentis ſegetum vitia

Infelix Lolium & ſteriles naſcuntur avenæ. (s) Eſt utrique illi germini, ex *graminum temulentorum genere*, mira nocendi efficacia, ut, veluti cum hordeo coctum cereviſias corrumpit, quo, qui illas bibunt, ad furorem usque inebrientur, ita, farina ſua, præſtantiſſimum quodvis farris vel tritici amylum inficiat, quo, niſi ſtudioſe ſeparentur ejusmodi grana, cauſa morborum epidemicorum naſci exinde poſſit. Lolium quod attinet, GALENVS ſuo jam tempore illius novit peſtilentiam (t), *cum prava*, ait, *eſſet anni conſtitutio, Lolium affatim tritico innaſci contigit, quo cum neque agricolæ, accommodatis ad eam rem cribris*

(s) VIRGIL. Georg. Lib. I. v. 154.
(t) Lib. I. de alimeut. Fac. c. 37.

cribris exacte purgaſſent, neque piſtores, quod paucus eſſet tritici proventus, ſtatim quidem multis caput dolere incepit, ineunte vero æſtate in cute multorum, qui comederant, ulcera aut aliud quoddam ſymptoma, quod ſuccorum pravitatem indicaret, eſt ſubnatum. Nonigitur, inquit, *oportet nos in purgandis ſeminibus, quæ ad eſum comparantur, eſſe negligentiores, perſuaſos, etiamſi noxam, quæ quotidie fit, ob exiguitatem ſenſu non percipimus, attamen id, quod longo tempore coacervatur malum, denique erupturum eſſe. Naſcitur*, ait PLINIVS, *herba alba, panico ſimilis, occupans arva, pecori quoque mortifera* (u). Qua induſtria cavendum ſit, ne Lolium vel mala ſiligo & id genus alia agreſtia plantarum ſemina cerealibus granis ſeſe intermiſceant, rei ruſticæ autores docent: Adorea grana cribris, quæ *Loliaria* propterea appellabantur, defæcabant penitus, utque pura ſeges eſſet, optimam quamque ſpicam legebant, cujus grana ſererentur omnibus frumentorum vitiis deſtituta. Sunt etiam præterea herbularum ſemina, quæ frumentaceis granis ſeſe immiſcent, *Convolvuli*, *Lychnides*, *Raphaniſtra*, *Lathyri*, *Cyani*, *Cardui*, *Lappæ*, quæ, niſi nocent, male tamen nutriunt. Curent adeoque rei frumentariæ cenſores, ne farra male mixta vendantur aut in granariis ad futuros uſus conſerventur.

§. 25.

Degenerant ſæpe frumentacea grana, interea dum matureſcunt & aliqua veluti peſte ſegetes, *triticeæ hordea-*

(u) Hiſt. Nat. Libr. 18. c. 19.

hordeaceæ, ſecalinæ, avenaceæ, contaminantur, ut manifeſtam nocendi vim exinde cerealia acquirant ſemina: Eſt aliquis abortivus veluti frumentorum partus, uti PLINIVS (x) eleganter ſcribit, *quo protinus, cum defloruere aut matureſcere incipiunt, ventorum afflatu noxio, incaſſum atque inane quid excreſcunt*: Naſcuntur ſcilicet ex glumis longa nigra fungoſa corpora, corniculis ſimilia, unde noſtris corniculatum hoc frumentum dicitur, quæ farinam continent albam ſapore gratam ac dulcem; Falſa iſthæc germina in ariſtis frumenti naſcuntur ſæpiſſime, verumque venenum ſunt ſtupefactivum; Non enim raro evenit, quo incauti homines frumenti hujus abortivi dulcedine illecti ſibi morbos imo mortem devorent. Quodſi ergo integras ſegetes malum illud corrumpit nec magno ſtudio grana ſpuria a genuinis ſeparantur, poteſt ſane fieri, quo, ſtupores, lethargi, apoplexiæ, mortesque aliæ repentinæ paſſim eveniant. Præterea rubigo eſt, *coeleſte malum* tritici frumentorumque omnium a PLINIO *loco citato* appellatum, morbus cerealium, quo, ob vitioſum terræ ſuccum grana, maturando nigreſcunt. Ejusmodi vitiatum triticum ſi qua ciſitare civitas cogitur, obſervante FORTVNATO FIDELI (y), multa videas morborum genera populariter graſſari: Nonnulli enim a putridis ac peſtilentialibus febribus intereunt, alii puſtulas inſtar ſcabiei ac lepræ in corpore contraxerunt.

§. 26.

(x) Hiſt. Nat. Libr. 18. c. 17.
(y) De Relationibus Medicis, Libr. I. c. 1.

§. 26.

Quis credat, vendi una cum oleribus venena, cauſasque tam morborum quam mortis emi poſſe? Et ita quidem res ſeſe habet, ſunt enim quædam herbæ noxiæ, ſalutaribus valde ſimiles, ut, niſi olitores acute videant, poſſint ferales lactucas miſcere atque divendere. Scilicet Petroſelino ſimilis *Cicutæ* ſpecies eſt, quam Cynapium vocant, hanc ubique videas petroſelini, nobiliſſimæ herbæ, ſegetibus innaſci, magna foliorum & totius habitus ſimilitudine: quos illa planta comeſta effectus edat, WEPFERVS (z) deſcripſit; Convelluntur illorum, qui eam devoraverunt, muſculi, ſubſultant tendines, ſtupor fit, ſæpe inſania, vel certe languor viriumque enormis proſtratio. Ipſa *Cicuta*, virulenta planta, aliqua ad Staphylinum ſimilitudine accedit, & ex radice creſcit, quæ ſapore atque odore haud injucunda eſt, ut imponere propterea ignaris poſſit, quando inter Staphylinos ſativos naſcitur. Inter fungos, quibus quotidie veſcimur, haud pauci ſunt venenati, illi ſcilicet nigri, virides, pulverulenti, fœtidi, quorum alii narcoſin & ſtuporem inferunt, alii ſtrangulant, alii ventriculum rodunt, veluti Tiberium Claudium Imperatorem boletorum venenatorum uſu interiiſſe PLINIVS refert (a). Solet *Stramoneum*, quod *Datura* dicitur, cujus ſemen infatuat,

(z) IOH. IAC. WEPFERI de Cicutæ aquaticæ hiſtoria & noxis, Baſil. 1679. 4. p. 19.

(a) Hiſt. Nat. Libr. XXII. c. 22.

tuat, paſſim inter ſegetes naſci. Sunt quædam provinciæ, in quibus *Solanum furioſum*, cui ob baccarum cum ceraſis ſimilitudinem, *Melanoceraſo* nomen eſt, paſſim creſcit. Quis ignorat *Hyoſcyamum*, atrox venenum, ubique ad compita viarum creſcere, cujus ſemen, ob aliquam cum ſemine papaveris ſimilitudinem, a puerulis manducari poſſet; ipſum *Papaveris* ſemen, quod ubique proſtat, incautos ſæpe invitat ſua dulcedine puerulos, ut illo veſcantur ſaturatius, & lethali deinde ſomno corripiantur (b). *Napelli* flores virulentum ſuo in nectario ſuccum alunt, quos tamen hortulani corollis ac florum faſciculis innectunt. Magiſtratus adeoque officium eſt, curare ſedulo, ne ejusmodi nocentes herbæ inter ſegetes publico loco ſerantur, aut neglectu hortulanorum ita creſcant, ut ab incautis hominibus errore aut mala appetentia accipi poſſint. Vrſos atque lupos & id genus alia nocentia animalia extinguunt principes, ſcorpiones atque viperas, ne punctura vel morſu noceant, delent per Italiam; ſimili providentia auferendæ ſunt res ejusmodi ex Republica, quæ, etiam minimi momenti eſſe viſæ, vehementer tamen lædere poſſunt ac ſolent.

§. 27.

Sunt etiam in paſcuis herbæ, quæ animalibus brutis nocent. Licet enim illa ſenſuum, odoris, atque guſtus beneficio, noxias plantas evitare (c), natura

(b) Lethæo perfuſa pavavera ſomno. VIRGIL. Georg. Libr. I. v. 78.

(c) PLIN. Hiſt. Nat, L. XVII. c. 3.

tura magiſtra, didicerint, ſame tamen compulſa devorant haud raro peſſimum quodvis pabulum. Nihil nocentius eſt graminibus, quæ in locis uliginoſis creſcunt, & putridæ aquæ malitia fœta ſunt: Gramina in fœnu torrefacta, ſi madentia, vel inundationibus corrupta domum convehuntur, peſſime nutriunt. *Colchicum* in pratis naſcens, & illa *Rorella* quam *Rorem ſolis* appellant, ovium greges corrumpit, *Solanum* ante adductum, quod furioſum dicitur, a bove devoratum, illum in furorem exagitat, ut cornubus irruat in armenta, eaque ac homines vulneret. Adeoque, cum plurimum interſit Reipublicæ, quo greges valeant, haud parvam penes omnes gratiam inibunt medici, ſi vitia paſcuorum ſedulo annotaverint, admonuerintque eos, ad quos pertinet, hanc etiam ſanitatis publicæ partem procurare.

§. 28.

Non minima victus pars caro eſt, quam optimo pabulo nutriti, ſani, & recens mactati animalis eſſe oportet: quod illam carnem attinet, quam nobis domeſtica ac ſylveſtria animantia ſuggerunt, recte omnino laudabiliterque ita conſtitutum eſt, ſine cenſura publica eam divendi haud poſſe. Sunt enim varia carnium vitia, quorum alia viventi animali inſunt, nec ipſum ejus cadaver deſerunt, alia ex putredine, quæ ſubito, ex quo animal extinctum eſt, calida maxime tempeſtate, oritur, proveniunt: Macilentæ carnes omnes morbum quemcunque demum animalis, cujus ſunt, ſignificant, quas, ut illis pinguedinis ſpeciem procurent,

curent, immiſſo inter cutem follibus aëre, in tumorem elevare impoſtores ſolent. Deberent carnium cenſores viſcera animalium inſpicere, quibus ſalvis, carnes etiam innocuæ futuræ ſunt. Vervecum maxime carnes, ſi illi phthiſi ac ulceribus pulmonum, familiari iſtis animantibus morbo, tacti ſunt, peſtilentis ac contagioſi quidpiam habent & LVDOVICVS KEPPLERVS illam epidemicam febrem, quæ anno 1649. ſtudioſos in Academia Regiomontana communi victu nutritos, invaſit, carnibus animalium putridis maximam partem tribuit (d). Porcinæ carnes illud habent, quo intra illarum pinguitudinem grandines, ac vitiligines gignantur, quod cauſæ eſſe, cur Judæis ſuillæ carnis uſus interdictus eſt, putat CORNELIVS TACITVS (e) *ne lepræ aut vitiliginis contagione coinquinentur.* Ferinas carnes, etiamſi putredine jam tactæ ſunt, magni facere quidem ſolent, arbitror tamen, putridum omne inimicum naturæ eſſe, poteſtque putrilago victus animalis ſynochum putridam accendere, ut conſultum ſit, ferinas ac domeſticas carnes, quam primum fœtores exhalant, ex macellis proſcribere. Piſcium eſus haud raro morborum in vulgus graſſantium cauſa fit, quodſi magna illorum copia venum detur, & appetentiores novæ eſcæ plebeji homines fuerint. Maximam autem nocendi vim habent piſces lacuſtres, qui in aquis limoſis ac ſordidis

(d) De Febre epidemica Regiomontana Anni 1649. Elbingæ 1650. 4. p. 56.
(e) *Hiſtor. Libr.* V. c. 4.

didis degunt, vel in ſtagnis nutriuntur, quæ transfluentem aquam in ſe haud recipiunt, nec fontes habent, nec largum effluvium, & in quas viarum publicarum ſordes & cloacæ, ac alia ſterquilinia corrivantur. Ejusmodi enim piſces, veluti ex illorum ſapore rancido ac paludoſo judicandum eſt, teſte GALENO, *propterea vitioſi ſunt, quod aëre utantur deteriore, ac natatu ſeſe haud exerceant, maxime, ſi ex magna urbe profluat aqua, qua cloacæ, balneæ & culinæ repurgantur, & eorum ſordes, qui veſtes & lintea eluunt. Caro namque piſcium in ejusmodi aquis degentium deterrima omnino fit.* Nocentiſſimus eſt piſcium triduanorum ac illorum, qui mortui coëmuntur, uſus, veluti ſunt illi minuti piſciculi, quos *pungititios* appellant, inter Luſatos inferiores frequentes. Cum mare æſtuat, piſces, qui in ſicco manentes pereunt, exitialis eſca ſunt litoralibus incolis, & magnam hominum ſtragem ac aliquam veluti peſtilentiam ſæpe inducunt, id quod fortaſſe cauſæ fuit, quod Alexander Magnus, referente PLINIO, (f) *Ichthyophagos omnes piſcibus vetuit vivere.*

§. 29.

Quis putaret, medicos etiam morum cenſores eſſe debere? integrum hoc illis eſt, maxime, ubi ex peſſima ac corruptiſſima commeſſandi ac ſcortandi libidine calamitas publica metuenda eſt: Vt ab aliis, quibus juvenes potiſſimum corrumpuntur, vitæ male actæ opprobriis, nunc diſcedam, impura vagaque venere ac lupanaribus in Republica nihil

(f) Hiſt. Natur. Libr. VI. c. 23.

poteſt eſſe indignius, nihilque peſtilentius. Diſſeminatur longe lateque, fœdo cum ſcortis commercio, infernale luis gallicæ virus, & in nobiliſſimas etiam familias irrepit, nullaque libido ſibi ipſi tam atrox pœna eſt, quam laſcivia. Inſinuat ſeſe malignum venenum ipſis, quibus peccatum fuit, partibus, easque deſtruit, hinc totum corpus carioſum putridumque reddit, ac in verum cadaver convertit, vel certe, ſi latet, viſcera corrumpit & libidinoſos juvenes vix ad mediam vitæ ætatem pervenire ſinit, manetque illis ſemper, etiamſi extinctum medicina venenum illud utcunque eſt, languor & putrida quædam colluvies, qua denique ſtrangulantur miſerrime: Hanc peſtem nobis afferunt putidiſſima proſtibula, quæ in pernitiem juventutis ubique, pecorum ritu, ſtabulantur, & mala noſtrorum fortuna undique confluunt, aliis urbibus depulſa, non aliter, ac in iſta obſidione Neapolitana factum eſt, cum anno 1495. Hiſpani, Regis Ferdinandi tempore, quo Lues gallica primum in Europam invecta eſſe dicitur, ſcorta ex urbe in caſtra Gallorum propulſarent, & milites novo & crudeli morbo, vindictæ cauſa, inficerent. Malus certe dæmon nobis iſtam mittit impudicarum mulierum peſtilentiam. De Alexandro Magno ARISTOTELES (g) memoriæ tradidit, illi a Rege quodam Indo puellam cicutæ veneno nutritam, dono miſſam fuiſſe, cujus ſcintillantes & ſerpentum more nictitantes oculos

(g) Excitat hunc locum IOANNES LANGIVS Epiſt. Medic. Libr. I. p. 59. ex Libro Ariſtot. de regimine principum.

los quum Ariſtoteles, illius præceptor, vidiſſet, cave tibi ab hac, inquit, o Alexander, hac tibi exitium paratur. Nec judicio Ariſtotelis defuit eventus, nam plerique proci, puellæ commercio uſi, intoxicati ab illa interierunt; neque ſane aliter evenit laſcivis juvenibus, qui, omni ejurato rationis uſu, turpi voluptate ſibi mortem, certe peſſimos morbos, coëmunt.

§. 30.

Hactenus de illis ſanitatis publicæ offendiculis ex Republica tollendis actum eſt, quæ corpus ſubeunt & maligna ſua materie illi exitium afferunt: Dictum autem fuit, poſt ingeſtorum bonum ordinem, eorum etiam rationem habendam eſſe, quæ ſanitatis conſervandæ ſtudio fiunt & geruntur. Græci, velut ex PLATONE (h); & Romani, veluti ex HIPPOCRATE, CELSO, GALENO, CAELIO AVRELIANO, medicis, ſingulis ſuo tempore celeberrimis, diſcimus, tam fortitudinis militaris, quam ſanitatis bonique habitus, quem ἐυεξίαν vocant, ſtudio, exercitia publica ordinabant, iisdemque præficiebant magiſtros, quos *Gymnaſtas* vocabant, vel *pædotribas*, ſi pueri ad conſequendam ſanitatem exercendi eſſent. Medicos fuiſſe iſtos ludorum magiſtros, exemplo GALENI cognoſcimus, qui gladiatores curabat, veluti de ſe ipſo ſcribit, eosque, qua ratione ad robur acquirendum exercenda ſint corpora, docuit. Ex omnibus iſtis, quæ magno cum ſtudio, ſecundum artis gymnaſticæ præcepta, tunc tractatæ fuerunt exercita-

 tioni.

(h) In Phædro.

tionibus, nunc, præter ὀρχηστικὴν ac παλαιστικὴν, *saltatoriam & digladiatoriam, & pilæ magnæ ac parvæ*, seu *sphæristicæ* ac *discoboliæ* lusum, nihil supereſt, neque ista exercitia nunc, veluti olim, publicis sumptibus, & sub aliquo regimine ad artis regulas accommodato (i), celebrantur, ut propterea hæc res nunc privatorum sit, & ad Rempublicam nihil, adeoque nec ad medicos quidquam, pertineat. Illius industriæ, qua Magistratus olim sanitatis publicæ curam gerebat (k), particula ac veluti umbra nunc supereſt, qua balnea publica hodie-

(i) Gymnasticæ artis præcepta erant: Pueros mature, conveniente illi ætati exercitio, ad robur corporis exercitare, quod *Pædotribarum* fuit, adultos, veluti vel militiæ vel saltim sanitatis causa exerceri volebant, severiore vel mitiore disciplina, nunquam tamen ultra vires, movere; Erat enim motus muscularis, tanquam causa sanitatis optimæ, primarium hujus artis studium, siquidem, docente CELSO de re medica Lib I. c. 1. Ignavia corpus hebetat, labor firmat. Lassos, balneis, frictionibus ac unctionibus, quæ ἄλειμμαι dicebantur, reficiebant, unde ἀποθεραπία, *lassorum curatio*, dicta est: Erant autem exercitia varia, gladiatoria, saltatoria, parvæ magnæque pilæ lusus, palæstra & colluctatio, ἐγχειρισμὸς, seu contentio luctantium consertis manibus, ἀναφώνησις seu vociferatio aut clara lectio, & quædam alia incerta ab HIPPOCRATE Libr. 3. de diæta citata, chironomia, corycomachia, alindesis. Conf. PLATNER. *de arte Gymnastica Veterum*. Extat cum scriptis ejus a Filio editis.

(k) Romani ad luxum usque balneorum apparatum instruebant; Erant in illis, apodyteria, hypocausta,

hodienum inſtituuntur, in quibus corpus curare unicuique licet. Neſcio tamen, qua factum eſt, quod, balneum publicum ingredi, minus honeſtum nunc eſſe plerique putent, cum ſalutare hoc, tam ad munditiem, quam ad ſuſtinendam inſenſibilem tranſpirationem eſſe, nemo dubitet, dummodo debito regimine, habitaque ratione mutationum, quæ circa caloris & frigoris moderamen ſervari debent, iſtud negotium expediatur, tunc enim nullum ſupereſt dubium, multos graviſſimosque morbos hac corporis cura evitari curarique poſſe. Quamvis enim, qui commode vivunt, nihil facile deſiderari in ſe patiantur eorum omnium, quæ ad corporis nitorem & cutis munditiem ſpectant, ita tamen ſibi, omni linteorum nitidiſſimorum apparatu, proſpicere haud poſſunt, ne cryptæ cu-

 taneæ

ſta, præfurnia, vaporaria, caldaria, piſcinæ ad natatum, ſeu colymbythra, vaſa & pelves ad ζεσολασίαν, balneumque calidum, ad ψυχρολασίαν balneumque frigidum. Erat ſudatorium vel Laconicum balneum, quod ſicco calore vel vapore fiebat, omnia præparata quam ſumptuoſiſſime; Erant lectuli penſiles, quibus deſeſſi ex balneo jacerent, & ſomnum ſuccuſſione invitarent. Iatroaliptæ mox ſtrigili, mox ſpongia fricabant, oleoque vel unguento poliebant cutem, omnibus his ad luxuriem plus quam ad utilitatem compoſitis. GALENVS ſub ANTONINIS ad ſanitatem balneorum uſus plus accommodavit; Voluit in illis eſſe ſtationes quatuor; prima, calidi aëris modo, incaleſcebat, altera calentior ad ſudorem erat, ex hac ad tepidam, tandemque ad frigidam ibatur; GALENVS Meth. med. Libr. 10.

taneæ ſuo, quem quotidie fundunt, muco, adytos iſtos imperceptibiles præcludant, quibus oportet tenuem vaporem continuo aliquo halitu ſanitatis cauſa effundi; adeoque utile omnino eſt, quo unusquisque, qui recte valere cupit, corpus perluendum & probe dedolandum, aliquoties per annum, Iatroaliptæ tradat, tunc maxime, ubi ſeſe ad dolores articulares, vel ad maciem, quæ ex cutis inperſpirabili rigiditate eſt, proclivem eſſe intellexerit. Maxime autem invitandi ad balnea ſunt duro vitæ generi dediti homines, quibus cutis ſorditie varia ſqualet, quique morbis variis ſæpe impuris ac ulceroſis, propterea addicti ſunt, quod cutis munditiem negligunt. Qua ratione autem inſtruenda ſint balnea, quid conducat calentius frigidiusve aut frigidiſſime lavari, quid utilitatis frictiones afferant, quid curæ ac ſtudii eſſe oporteat, ne impura corpora, iisdem, quibus ſana, baptiſteriis laventur, quid ſtillicidia, quid vapores juvent, deſcribere, præſentis inſtituti ratio ſecum haud affert.

§. 31.

Supereſt, ut de iis, quæ ab extra accidunt & corporā ſanorum lædere poſſunt, pauca ediſſeram. Non enim ſufficit, exhibuiſſe ea, quæ proſunt, & in quorum ſincero uſu ſanitatis tutela conſiſtit, ſed opus etiam eſt, ut e medio tollantur varia ſanitatis offendicula, variæque injuriæ, ex quibus morborum ipſiusque mortis cauſæ naſci poſſunt, veluti illæ hominem ac animalia, quæ pars bonorum ſunt,

nec

nec minus a Magiſtratu curari volunt, forinſecus affligere poſſunt ac ſolent. Sed adeo multum in hac curæ publicæ particula haud eſt, ſuper quo audiendi ſint medici, ipſi enim Magiſtratus, pro illo, quo erga cives feruntur amore, caſuum frequentia edocti, ruinoſas domus fulciendas aut deſtruendas, præcipitia cancellis munienda, quod ex alto labi poteſt, auferendum firmandumve, rabida animalia vel domi continenda vel occidenda eſſe, probe intelligunt. Id unicum forte eſt, quod cenſuræ medicorum ſubjacet, ſcire, an ſtudioſe cuſtodiendi & in locum ſecuritatis ablegandi, adeoque e Republica tollendi ſint homines, de quibus ob animi incontinentiam ex morbo, metuendum eſt, ne vel ſibi vel aliis injuriam faciant: Nempe accidere haud raro ſolet, quo miſerrimi homines, aut furore exacti aut triſtitia oppreſſi, ſibi aliisque pernitiem ſtruant; Tales ſunt illi, qui ex amore inſaniunt, Lunatici aut Noctivagi, Lycanthropi, qui, cum ſe lupos eſſe exiſtiment, ſanos mordent, noctuque ex domibus aufugiunt, hinc λυσσόδηκτοι aut a morſu canis rabidi furentes, & ſi qui alii ſunt, ejusmodi calamitatibus oppreſſi; Hi enim, ſi ex morboſo corporis ſtatu inſanire per ſigna cognoſcuntur, qua de re medicus publicus conſulendus omnino eſt, continendi ſunt, ne ſanos offendant, de quibus ex inſtituto agendi, major alibi futura eſt opportunitas.

CAP.

CAP. III.

De ordinandis convaleſcendi mediis.

§. 1.

Veluti pacis tempore de bello, inque rerum affluxu de penuria cogitandum eſt, ita, qui ſani ſunt, calamitates ab humanitate inſeparabiles morbosque mature proſpicere, deque mediis convaleſcendi ſoliciti eſſe debent. Quamvis autem hoc ſingulorum erga ſe ipſos officium poſtulet, liceatque quodammodo unicuique ſui ipſius eſſe medico, veluti Aegyptios fuiſſe PLVTARCHVS refert, cum & ipſa animalia, per naturam, in moribus habeant, inſtinctu aliquo edocta, ſuis neceſſitatibus ſubvenire (1); Ea tamen eſt plerorumque hominum in rebus ad ſanitatem conſequendam neceſſariis ſocordia, illa quoque morborum, qui evenire vel omnibus vel ſingulis poſſunt, eſt varietas, atque eventuum incertitudo, ut, quod ſuo tempore neceſſarium atque utile futurum ſit, nemo

(1) Τὰς αἰγυπτίας πάντας, ἰατρὰς ἀνάγομεν εἶναι, τῶν δὲ ζώων ἕκαστον πρὸς ἴασιν αὐτοτεχνόν ἐστι: Aegyptios omnes audimus medicos eſſe, & unumquodque animal, ad curam ſui, ſponte artem invenit. *In bruzorum Dialogo.* Canes, gramina comedendo, vomitus movendi rationem ægyptios docuiſſe, AELIANVS Hiſt. animal. L. 29. c. 4. autor eſt. De animalibus ſuorum ipſorum medicis multa agit CICERO Libr. 2. de nat. Deorum. PLINIVS Hiſt. nat. L. 8. c. 27. Libr. 9. c. 6. ARISTOTELES Hiſtor. anim. L. 9. c. 6.

nemo facile prævidere ac procurare possit. Quapropter Reipublicæ rectores, sui erga cives ac subditos officii ratione, se adstrictos esse sentiunt, quo morborum præsidia mature ordinent, medicos instituant, tabernas myrepsicas, quas Pharmacias vel Apothecas vocant, bene instruant, pauperum, post egestatem, durum sane morbum, aliis ægritudinibus afflictorum curam gerant, illisque convalescendi commoditates, constructis hunc in finem nosocomiis, liberaliter impertiantur.

§. 2.

Non desunt, qui universam medendi artem convitiis proscindunt, suis unumquemque viribus, optimo vivendi ordine, solius naturæ beneficio convalescere posse prætendunt, unam forte, quæ manu medetur, scientiam seu chirurgiam alicujus pretii esse, largientes (m). Irascuntur enim medicis inepti homines, quod immortalitatem vivendi cupidis largiri non possint, multi etiam peccata quorundam imputant omnibus, artemque criminantur, quia vident, aliquando delinquere artifices. His equidem suo periculo vaga experimenta capere, suoque ingenio abundare liberum est, verum aliter sentiunt, qui Rempublicam curant, illi enim, monente PLATONE, non sinunt,

(m) Indignissime proscindit medicos PLINIVS Hist. Nat. Libr. 29. c. 1. *Periculis nostris discunt, experimenta per mortes agunt, animas nostras negotiantur, & in nullo mendacio periculum majus est*: recte quidem, si de impostoribus.

nunt in civium ſocietate deeſſe, qui vel conſiliis eorum facultates, vel auxiliis ſanitatem tueri poſſunt. Veluti enim in fronte hujus opuſculi ſcriptum eſt, voluit præſtantiſſimus ille legislator in Republica neutiquam deſiderari medicos, eosque eruditione claros & uſu comprobatos (n). His, poſtquam ſuæ ſcientiæ documenta publica ediderunt, in tanti, quanti vita atque ſanitas eſt, momenti negotio, fides habenda eſt unice Nec tamen propterea quis magni faciendus eſt, quod in artis exercitio diu fuerit, & ſe experientia doctum eſſe glorietur, veluti illi faciunt, qui, quoniam coeco caſui morborum eventus relinquunt, pharmaca a ſe aliisque uſu, uti putant, comprobata divendunt, & ſine cognitione vel morbi ipſius, vel temporis, vel virium ægroti, ad unum pedem ligneum omnium pedes metiuntur, empirici dici ſolent. Enimvero *non exercitio ſaltem & experientia*, ait PLATO, *ſed etiam arte opus eſt, ſi, medicamenta & alimenta exhibendo, ſanitatem & robur indere velis* (o). Cum enim admirabilis ſit morborum omnium in diverſis hominibus varietas, ut nihil in eorum curationibus conſtans eſſe poſſit ac perpetuum, & propterea una medendi ratio in omnibus eſſe nequeat, ſane quilibet intelligit, quam miſera ſit ægrotantium conditio, ſi illi ab ignorantibus

(n) Τίς δὲ ἐυπραγία ἀγαθὸν ἰατρὸν ποιεῖ, δῆλον, ὅτι ἡ μάθησις! Qualis bona actio præſtantem facit medicum, manifeſtum, eruditio: PLATO in Protagora.

(o) In Phædro.

tibus omnique cogitandi auxilio deſtitutis ex infima plebe hominibus ſanitatem poſtulant atque expectant: *Innumerabilia ſunt morborum genera, ut nec dici, nec numero comprehendi poſſint* (p), quandoquidem nec febricula quidem eſt, quin, propter intercurrentem, quæ ab hominis ætate, ſexu, viribus, vitæ genere, loco, dependet, aliquam conditionem, nova quandoque dici poſſit.

Nunquam ita quidquam, ait TERENTIVS (q),
bene ſubducta ratione ad vitam fuit.
Quin res, ætas, uſus, ſemper aliquid apportet novi,
Aliquid moveat, ut illa, quæ te ſcire credas, neſcias,
Et, quæ tibi putaveris prima, in experiundo repudies.

Ita CICERO (r) diſertis verbis: *In medicina idem, quod in foro evenit. Vt in cauſis non ſemper utimur eodem ſtatu, ſed ad tempus, ad controverſiæ naturam, accommodamus, ſic in ægritudine leniendâ, quam quisque curationem accipere poſſit, videndum eſt.* Poſſetne aliquis a ſtupido agyrta, fumivendulo ac impoſtore, qui literas penitus ignorat, corporis humani tam ſani quam ægroti facultates, modos convaleſcendi varios, & medicamentorum in corpus agendi

(p) L. ANN. SENECA Epiſtola 95.
(q) Adelph. Act. V. Scen. 4. v. 1. 2.
(r) Libr. V. Tuſcul. Quæſt. c. 30.

agendi rationes penitus nescit, talem, qua opus est, circumspectionem, providentiam, medicamentorum prudentem inter plura optionem, & eorum ad vires hominis compositionem, sibi promittere? Interim non desunt, qui fraudibus ejusmodi hominum se induci patiuntur, ut vitam ac sanitatem credere audeant homini, qui, propter ignaviam, illud vitæ genus, ad quod institutus ab infantia fuerat, cum rusticus esset, opilio, faber ferrarius, deseruit, vel dilapidatis summa vivendi licentia bonis, velut AESCHINVS iste apud ATHENAEVM (s), ad artem exercendam se contulit, quam nunquam didicit, quoniam facillimam in ista professione fraudem, certissimam vero lucri consecutionem esse, intellexit. Mirari sane subit animum, unde tamen ista hominum, sæpe in aliis negotiis gerendis satis perspicacium, oriatur levitas animi atque credulitas. *In hac artium sola evenit*, ait PLINIVS (t), *ut cuicunque, medicum se professo, statim credatur: Nulla præterea lex, quæ puniat insciti am, nullum exemplum vindictæ.* Certe nemo sutori nisi artis suæ gnaro calceandos pedes tradit, (u) ast sapientes viri sua capita tradere rustico homini,

(s) In *Dipnosophista* Libr. I. AESCHINVS cum paterna bona prodegisset, jam alieno ære & danistarum foenore subæratus, ut trapezitis versuram solveret, μυρεψῶν & unguentorum venditione ditescere voluit.

(t) Lib. 29. c. 1.

(u) ἀ γὰρ ὑφάντης ἢ σκυτότομος ἀγαθὸς ἄνευ μαθήσεως τε καὶ ἀσκήσεως. Neque enim textor aut sutor

homini, non verentur, cui fides habenda propterea haud esset, quandoquidem se præstitisse gloriatur, quæ nunquam facere didicit. Quapropter summam laudem merentur principes, si ejusmodi impostores, quos agyrtas (x), circumforaneos, pharmacopolas (y), seplasiarios (z) appellant, severis pœnis comprimunt, illosque tanquam diram

sutor bonus est sine scientia & experientia. GALEN. de method. med. L. 3.

(x) Agyrtæ erant medicastri, qui ad fores ægrotantium carmina canebant, & superstitiosis ritibus morbos se abigere posse, persuadebant. Ita habet PLATO *Libr. 2. de Republica.* Agyrtæ & vaticines, divitum atria perambulantes, carminibus expiare volunt illorum peccata, dum Deos ajunt se eo adducere posse, ut obsequiosos illos sibi esse oporteat.

(y) Pharmacopolæ dicti sunt circumforanei, qui pharmaca in foris circumducerent, inque triviis venderent, unde φαρμακαπόλαι ἐν τριόδοις HIPPOCRATI dicuntur. Talis erat *L. Clodius* ille apud CICERONEM, orat pro A. Cluente, percussor ac veneficus. Et MAXIMVS TYRIVS Diss. X. μιμᾶ φαρμακοπώλης ἰατρὸν, καὶ συκοφάντης ῥήτορα καὶ σοφίστης φιλόσοφον. Imitatur pharmacopola medicum, deblaterator rhetorem, sophista philosophum. Ambubajarum collegia pharmacopolæ HORATIVS I. Sat. 2. I.

(z) Seplasiarii erant, qui, sub artis prætextu, summam quamvis, prout nunc etiam fit, exercebant nequitiam Talis fuit ille Aesopi, qui anum lippitudine laborantem & cœcutientem se curaturum profitebatur, & interea, dum deliburos collyrio ac devinctos oculos habebat mulier, indies aliquid furabatur ex domo; cui pretium postulanti, so-

ram peſtem, ex Republica ſubmovendos jubent, (a) quorum delicta, utpote qui in facto illicito verſantur, ad juris criminalis leges æſtimari debent.

§. 3.

Nihilo pluris faciendi ſunt eruditi iſti pharmacopolæ ac medicamentorum inſtitores, dum perſuadere intendunt, a ſe inventa eſſe auxilia, his aliisque, veluti nugantur, morbis ſalutaria, ſuasque merces maximo ſuo, quando pecunias malo fœnore lucrantur, ægrotantium autem nullo commodo, ſæpe damno, longe lateque divendunt. Illi eo plus magisque taxandi ſunt, quo plus imponunt credulis, quando nominis ſui celebritate infames fraudes occultant, &, quam ejusmodi medicamentis per naturam ineſſe haud poſſe ſciunt, publice tamen impudenter & prorſus illiberaliter deprædicant efficaciam. Indigna ſane erudito viro res eſt, perſuadere velle aliis, quod ſibi perſuadere haud poſſit. Condonandum

ſtrum ſe daturam negavit fœmina, dixitque, ſe minus nunc videre, quam ante.

(a) Hac fæce hominum, qui medicorum nomine abuſi ſint, nulla tempora caruerunt: Ita VLPIANVS Libr. I. §. 3. ff. Non tamen medicus eſt, ſi incantavit, ſi imprecatus eſt, ſi, ut vulgari verbo impoſtorum utar, exorciſavit, non ſunt iſta medicinæ genera, tametſi ſint, qui, hos ſibi profuiſſe, cum prædicatione affirment. Montiſpeſſuli, referente CONRINGIO *diſſert. de antiquitatibus academicis*, illis, qui medicos ſe mentiebantur, pœna fuit, aſino ſtrigoſo ac ſcabioſo imponi, & averſa facie in urbe circumduci.

dum hoc neutiquam eſt, quando ſunt, qui libellis ad exteros miſſis, neſcio quas ſuis inventis virtutes attribuunt, & gladium ſæpe tradunt, quibus ſeſe trucidant ægroti, ſi, magna erga celebre medicamentum delati fiducia, inconſultis medicis, accipiunt pharmacum, quod morbi cauſæ, tempori, viribus, ætati, ſexui, aliisque ſingularibus hominum conditionibus accommodatum haud eſt: Neque vero alia intercedit ruſticis impoſtoribus atque doctis hiſce ſeplaſiariis differentia, quam, quod *illi* ſæpe neſcientes, *hi* facinoris ſui conſcii, deque ineptitudine vaniloquentiæ ſuæ omnino, niſi in arte omnino rudes ſunt, convicti, fallant impudentius. Ejusmodi merces vendibiles eſſe haud debebant, & laudandum ſane illud inſtitutum eſt, quo, ſummi imperantis juſſu, niſi experimentum antea a medico publico factum eſt, peregrinas illas medicamentorum formulas *novellis publicis* divulgare haud licet, quas penitus exulare oportebat, cum alia, quam quæ ex natura præſentis morbi inveniuntur, medicamenta, ſalubria eſſe nequeant.

§. 4.

Veluti ergo publicæ leges illiberales homines, ſi medicam artem facere inſtituerint, damnant (b), ita illos, qui hoc ſibi datum eſſe intelligunt, quo poſſint vitam ac ſanitatem humanam conſiliis auxiliisque juvare, ſuæ eruditionis ſcholaſticæ documenta

(b) Lege Athenienſium, narrante HYGINO Fab. 274 cautum fuit, ne quis ſervus vel fœmina medicinam diſceret.

menta publica, antea quam artem ſuam profiteri licitum eſt, edidiſſe oportet, ut conſtet, quibus manibus ſalus publica tradita ſit: ſub Imperatoribus Chriſtianis Romæ, niſi examen ante ſubiiſſet (c), nemini in ordine medentium eſſe licebat. Quapropter etiam nunc nulli, niſi qui in aliqua Academia omnes diſciplinas, ad artem exercendam neceſſarias, recte didicit, & qui præſtitæ diligentiæ documentum ſecum attulit, medicinam profiteri vel facere integrum eſt. Ita enim Potentiſſimi Regis mandatum per ſuas provincias promulgatum fieri jubet:

Allermaaſen denn auch bey der, dem Vernehmen nach, in Städten und auf dem Lande ſich täglich häuffenden Menge derer Medicaſtrorum, das von ihnen mit ihrer Unwißen- und Verwegenheit, wodurch ſie manche Patienten um ihre Geſundheit, auch wohl gar umb ihr Leben bringen, bishero und noch ietzo anrichtende Unheil ſich ie mehr und mehr vergröſſert; Alſo wollen wir, daß ſolchen vor das künftige ernſterer Einhalt, als ſeithero geſchehen, gethan, mithin keinem Doctori bullato, Empirico, Apotheker, Barbierer und Bader die Unternehm- und Verrichtung innerlicher Curen, als welche denen rechtmäßig promovirten, examinirten, und ad praxin ſich zu legitimiren fähigen Medicis, allein billig vorbehalten bleibt, geſtattet, vielmehr auf deren erſten Unfug von iedes Ortes Obrigkeit genaue Aufſicht geführet werden ſolle ꝛc.

§. 5.

(c) Cod. Theodoſ. Tit. de Medicis & Profeſſoribus.

§. 5.

Tolerandi tamen & consiliis adjuvandi sunt, qui morborum externorum curam in se suscipiunt, & quibus, ut facere hanc medicinam possint, lege publica concessum est, artifices. *Quum enim*, ait SCRIBONIVS LARGVS, *vix hominis vitam omnibus medicæ artis partibus addiscendis sufficere intelligerent Romani, factum est, ut ille quoque plenum medici nomen haberet, qui unius partis sanandæ peritiam profiteretur* (d). Gaudeant adeoque suis juribus ac privilegiis, qui manu medentur *chirurgi*, nolint autem arbitrari, sibi in rebus magni momenti, ut aliquid inconsultis medicis audentius agendum suscipere possint, liberas manus relictas esse. Licet enim videatur chirurgia a medicina divortium fecisse penitus, certe nunc Parisiis Chirurgi imperium medicorum haud agnoscant, suique juris sint (e), & illorum exemplo passim inducti alii, *nomine sane multi, re autem pauci* (f), confidentius agant, quam par est; Attamen, cum plerique chirurgorum a literis, sine quibus nunquam quidquam curiosius in universa medicina discitur, sint remotissimi, illis sane magnum facinus tentare, sine conductione eru-

 diti

(d) *Epistol. ad C. Iul. Callistum.*

(e) Legatur Celeberrimi PLATNERI Prolus. I. de Chirurgia artis medicæ parente.

(f) Ἰατροὶ φήμῃμὲν πολλοί, ἔργῳ δ' ὀλίγοι. Medici nomine multi, re pauci. HIPPOCRATES.

diti viri, artis, quæ manu medetur, gnari, permiſſum haud eſt. *Omnes*, ait CELSVS (g) *medicinæ partes ita connexæ ſunt, ut ſeparari ex toto haud poſſint.* Propterea etiam ita nunc ubique conſtitutum eſt, ne ulli, vel eorum, qui a chirurgiæ exercitio nomen nunc habent, vel illorum, qui corporum munditiem balneis curant, niſi ante de rebus artis ſuæ coram medico publico, in examine hunc in finem inſtituto, expoſuerit, docueritque, ſe ſcientiæ ſuæ gnarum expertumque eſſe, artem facere liceat. Ferendi etiam ſunt *ocularii*, *dentarii*, quos jam apud Aegyptios ſuam artem a reliquo corpore medicinæ ſeparatam exercuiſſe, CELSVS enarrat. Verum omnibus his certi conſtituendi ſunt limites, ne aliquid, in quo facilis & periculoſus error eſt, in ſe agendum ſoli ſuſcipiant, cumque morbi externi curari nequeant, niſi ſimul & corpus decenti modo expurgetur ac diæta ordinetur, ideoque, quandoquidem neceſſaria ad illud agendum providentia a chirurgis, uti nunc ſunt, expectari nequit, conſulendi illis ubique ſunt medici. Quodſi a cauſa interna morbus aliquis partem externam affligit, veluti ſi *ophthalmia* oculum, *cynanche* gulam invadit, ſi *eryſipelas* efflorefcit, inconſultis medicis nihil quidquam a chirurgis tentandum efficiendumve eſt, ut, ſi ſecus illi fecerint, mortis cauſa fuiſſe recte arguantur: Venas, niſi ubentibus medicis, haud pertundant, cum ſanguinis

(g) *Libr. 7. Proœm.*

guinis missio abortuum, & siniſtri eventus in morbis gravibus, causa esse possit. Si efficacior chirurgia exercenda est, qua in vitam ægrotantis delinqui possit, a sapientis medici consiliis stare chirurgum fas est. Multo nocentior quorundam hominum est temeritas, qui sese *operatorum*, *Herniotomorum*, *Lithotomorum* ac *Ophthalmoiatrorum* titulis efferunt, & heroicam aliquam, quæ vix artem recte callentibus feliciter ubique succedit, medicinam facere audent. Non tolerandi sunt isti homines, utpote artis anatomicæ, ad ejusmodi præclara facinora recte expedienda necessariæ, penitus ignari; Multo minus, Hippiatris Mulomedicis, quos Veterinarios antiqui appellant, aut carnificibus integrum est, vaga experimenta in homine capere. Quamvis enim isti in levis momenti expeditionibus, *fracturis*, *luxationibus*, aliquando succeſſibus haud destituantur, errant tamen peccantque, quod ob ignorantiam eorum fieri aliter nequit, in magnis negotiis, &, quodsi illorum peccata frequenter haud innotescunt, illud causæ est, quod illos, qui sese corrumpi passi sunt, temerariæ suæ erga sceleratos fiduciæ pudeat, ut ferre calamitatem suam, quam criminari impostores, malint. *Verum nunc hominem occidere summa est licentia* (h).

§. 6.

Sine armis militarum ire, sine velis ac remige navigare, & sine pharmacis ubique mederi velle, a ratione alienum est. Opus adeoque est, quo in

(h) PLINIVS Hist. Nat. 29. 1.

promptu ſint medicamenta varia, exquiſita & legitima, quibus pro morborum varietatibus uti medentes poſſint. Eſt autem tantus materiæ medicæ per tria naturæ regna ambitus, tantaque prolixitas, tanta pharmacorum arte prolectorum aut mixtorum ſeries, ut impedimentum ſtudiorum, & nobilioris, quæ in meditatione de morbi cauſis ac mutationibus ponitur, induſtriæ, ex medicamentorum præparatione medicus habiturus ſit maximum. Equidem ad magnas in re medica expeditiones magno remediorum apparatu opus ſemper haud eſt: *Naturæ* ait PLINIVS (i) *placuerat, eſſe remedia parata vulgo, inventu facilia, ac ſine diſpendio: ex quibus vivitur. Poſtea fraudes hominum ac ingeniorum capturæ officinas invenere illas, quibus ſua cuique homini venalis promittitur vita, ſtatim compoſitiones & mixturæ inexplicabiles decantantur, Arabia atque India in medicamento æſtimantur, ulcerique parvo medicina e rubro mari imputatur, cum remedia vera pauperrimus quisque coenet.* Attamen ita injurium in divina, quæ ampliſſima ubique proſtant, ſanitatis conſequendæ auxilia, neminem eſſe decet, ut aſpernari velit ea, quorum uſus quotidie haud eſt. Neque navita omnibus ſemper velis navigat, habet tamen in promptu, quibus uti poſſit. Proinde laudabili ſane inſtituto Pharmacorum tabernæ, quas nunc *Apothecas* appellant, omnibus, uti caſus exigit, medicamentis inſtructæ ſunt. Quamvis enim negandum non ſit corpora pharmacevti-

(i) *Hiſt. Nat.* Libr. 24. c. 1.

macevtica ſua fere mole nunc opprimi, poſſimusque magna ſuperfluarum rerum copia carere, & ſumptus minuere, quos tabernarum myrepſicarum magiſtri utilibus & frequentius obviis impendere pharmacis poſſent; Non tamen, niſi omnium medicorum conſenſu, quidpiam circa utilium homini auxiliorum ſupellectilem mutari aut innovari poteſt, quandoquidem, ſi ullibi, certe circa medicamentorum virtutes, largiendum aliquid eſt experientiæ rerum magiſtræ. Quid autem medici pharmacevtis tribuant, quantaque erga illos ferantur fiducia, quando illos ſuæ voluntatis adminiſtros atque executores conſtituunt, quilibet intelligit: Sæpe conſilium in ſe optimum, ſucceſſu, ob auxilii ineptitudinem, deſtituitur, ſæpe effectus voluntati oppoſitus conſequitur, ſi medicamentum vel ſecus, quam juſſum fuit, exhibeatur, vel debita dexteritate haud præparetur. Aequum adeoque ac neceſſarium omnino eſt, quo pharmacevtæ ad rem, ſecundum artis regulas, ſecundum conſcientiæ præcepta, & ſecundum normam ſibi a medentibus præſcriptam, fideliter agendam, a magiſtratu adſtringantur. Poſſunt enim vitæ ac ſanitatis præſidia, ſed ſolent etiam quandoque morborum mortisque cauſæ in officinis emi. Propterea tabernarum medicinalium magiſtri, aut qui eorum locum tenent, *Proviſores* dicti, animum atque oculos mercibus ſalutaribus colligendis, diſponendis, aſſervandis, præparandis, miſcendis, diſtribuendisque intentos habere debent; Habent illi normam, legis publicæ

loco a principe præſcriptam, quam *Taxam* vel *Diſpenſatorium* appellant, ad cujus mentem compoſita, quæ in uſu ſunt, medicamenta miſcent. Verum, ſi præparata chemica aliasque ſimpliciores formulas excipis, vix quidquam conſtans eſt & perpetuum, nec eſſe quidem poteſt, cum nemo facile ſit medentium, quin ſibi ipſi, ad ægrotantis neceſſitatem, combinare pharmacum, quam aliquo ab aliis excogitato uti, malit: Detrectat medicina omnem ſervitutem, cum, qui ſapit, ſe in una medendi ratione conſtanter perſiſtere haud poſſe, ſponte intelligat. Adeoque conſultum eſſe haud videtur, ad unam legem, præſcripta aliqua norma generali, metiri velle omnes ejusdem provinciæ officinas pharmacevticas. Hoc medicis relinquendum eſt, qui ipſi curabunt, quo armamentaria habeant, telis contra morbos efficaciſſimis inſtructa. Deinde ex magiſtratus voluntate medicis publicis, & quod Academias attinet, Facultatibus medicis datum hoc eſt, quo officinas pharmacevticas inſpiciant, &, cum omnia pharmaca explorari non poſſint, de efficacioribus certe experimenta capiant, an dextre præparata illa, an etiam, quod ſimpliciora exotica attinet, genuina ſint, nec obſoleta, carioſa, alioque vitio contaminata. Maxima autem cura habenda, atque hoc Tabernarum dominis aut famulis ſerio injungendum eſt, ne venenorum ſint incurii, quæ, ſi tamen ad officinæ rationes pertinent, in domini vel famuli manibus eſſe

esse unice, & ab eodem quam curiosissime custodiri debent, ne vel errore, vel malo animo, contra vitam humanam delinquatur: Quapropter etiam aromatariis ac mercium medicinalium institoribus, quos Materialistas appellant, imperatum est, ne suspectis incognitisque personis res nocentes, *Arsenicum*, *Auripigmentum*, *Cobaltum*, sub quocunque demum prætextu postulentur, exhibeant. Similiter lege cautum est, ne, si aromatarii vel institoris facultates publice divenduntur, nisi catalogus mercium sub censura medici publici fuerit, distrahi materia medica possit, licet enim medico expungere omnia pharmaca, quæ in manibus temerariorum aut maleficorum hominum, ad pernitiem generi humano struendam inservire poterant; multo minus intra salutis officinam publice prostare debet homicidii opportunitas. Jam periculi satis est, committi quandoque errores in dosium mensura ac pondere, in ipsorum medicamentorum nomenclatura male intellecta, suppositis fraudulenter mercibus, quas pharmacevta solicite satis haud examinavit, malaque herba ob similitudinem salutaribus immixta, in quibus omnibus evitandis, qui officinam curat, debet esse providus atque sagax. Non adeoque fas est periculum studiose quæri, venditis in vulgus toxicis, & quæ nihilo his mitiora sunt, pharmacis efficacioribus, *vomitoriis*, *purgantibus*, *dolorum sedativis*, *acribus causticis*, *adstringentibus*, & aliis etiam medicamentorum formulis, quæ, etiamsi in se innocuæ sunt, propterea, quod

ad

ad morbum, tempus, ſexum, ætates, accommodatæ haud fuerunt, noxiæ evadere poſſunt. Quam ſæpe meretriculæ gravidæ, vomitoriis acribusque purgantibus, contra fœtus ſui vitam conſpirant, ſibique ac illi ſæpe mortem conſciſcunt? Caveant ſibi pharmacopolæ, ne, nimia lucri cupidine ducti, omnibus poſtulata divendant pharmaca: Equidem ſunt ex illis haud pauci, qui aliqua ſui fiducia elati, quandoquidem medicos frequenter audiunt, eorumque conſilia ex formulis ſubintelligunt, in ſanitatis conſiliarios ſeſe erigere audent, ut vel ex emptoris narratiuncula ſe morborum cauſas ſatis perſpicere, & remedia contra illas ordinare poſſe putent, vel ipſi ad ægrotos accedant, falcemque ſuam in alienam meſſem mittant audacter, injurioſe, &, quod præſentis loci eſt, magno cum periculo eorum, quorum curam in ſe, ſine mente & intellectu cognitionis ad illam neceſſariæ, ſuſcipiunt, quos adeoque, ſi id facere auſi fuerint, leges publicæ non tantum caſtigant, ſed judex etiam, ſi quid atrocius commiſſum contra vitam ſanitatemque hominis eſt, tanquam criminis reos in jus vocat. Atque hæc eadem eſt ratio, qua fit, quo pharmaca miſcere non poſſit pharmacevta, quem per intervalla inſanire, aut periodica melancholia laborare, aut oblivioſum ſtupidumve eſſe, medicorum aliorumque fide dignorum hominum teſtimonio, conſtat, cui propterea alius artifex, examine, quod ipſi magiſtri detrectare haud poſſunt, exploratus ad latus jungitur, eumque *minores*, ob animi facultates parum plenas, ad longe inferiores nego-

negotiorum geſtiones, quam illa pharmacopœi eſt, cenſeantur inepti eſſe, æquum omnino eſt, quo pharmacopœorum diſcipulis formularum medicarum executio & medicamentorum mixtio haud committatur, ut omnis errorum metus atque ſuſpicio abſint longiſſime. Inconſultum denique haud eſt, ſub officii initio, dominos aut eorum locum tenentes, ad munus recte obeundum, reſpondente aliqua rebus gerendis ſacramenti formula adſtringi.

CAP. IV.

De præcavendis curandisque morbis popularibus.

§. 1.

Quo plus afflicta eſt Reſpublica, eo etiam plus curæ atque providentiæ adhibere magiſtratus, ad opem publicis calamitatibus ferendam, debet. Veluti autem vita & ſanitas civium, omnes reliquas, quæ ad ſalutem & incrementum civitatis omnino requiruntur, facultates antecellit, veluti PLATO (k) docet; Ita ſocietatum humana-

(k) PLATO in Gorgia, quando, majorne medicorum quam mercatorum in Republica ſit neceſſitas, diſputat, ita habet: ἐκ ἐστὶ ἡ τῶ χρηματιστῶ τέχνη περὶ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν τοῖς ἀνθρώποις, ἀλλ' ἡ ἰατρική. Τίδ' ἐστὶ μᾶζον ἀγαθὸν ἀνθρώποις, ὑγιείας. Mercatoris ars non verſatur circa maximum hominis

manarum rectores uniuscujusque arbitrio aut cœco casui haud relinquunt convalescendi negotium, sed, veluti morbos *sparsos, quorum magna eodem tempore haud est frequentia* (1) medentibus in arte sua claris, doctrina atque experientia valentibus, traduunt, satisque suo fecerunt officio, ubi media convalescendi publica autoritate ordinaverint, causasque, quæ morbum facere possent, e medio tulerint; Ita morbos in vulgus grassantes (m), quibus, utpote a communi aliqua causa pendentibus, medici, solius artis præsidio, pares esse nequeunt, propiore jure ad se spectare intelligunt, quo magnis atque communibus malis magna atque communia parari possint auxilia.

§. 2.

Verum, quodsi morbi in vulgus grassantes, ab internis quibusdam causis, quæ sub censura publica haud sunt, progrediuntur, conferre quidpiam ad eorum curam magistratus nequit, neque, si ægritudines ab aliqua aëris constitutione, & universali ejus temperie proficiscuntur, ulla providentia humana effectum tempestatum in corpora mutare potest. Nihil adeoque ad curam magistratus

nis bonum, sed medica. Quid enim majus hominibus bonum, sanitate.

(1) Νοσήματα ἐν πάντι χρόνῳ καὶ τόπῳ γινόμενα, σποραδικά. Autor. definit. GALENI. Morbi, qui omni tempore & in omni loco fiunt, sparsi ac solitarii.

(m) "Οταν παρκπλήσιοι ὑπὸ τῶν νοσημάτων ἀποθνήσκωσι πλείες, HIPPOCR. de salubri diæta, Libr. I. Quando confertim morbis pereunt plures.

ſtratus attinet febrium catarrhalium malignitas, qualis illa erat, quæ anno 1737. univerſam pervaſit Europam, & plurimos equidem ægrotos, frequentia tamen funera haud fecit, niſi curatio intercederet mala, quam deſcripſit HVXHAM (n). Poſſentne tuſſes, catarrhi, rhevmata coërceri legibus publicis? nec adeo multum leges valent, quodſi morbi, vim ſeſe in corpora ſana propagandi habentes, ſeu contagioſi dicti circumeunt, plures eodem tempore, aliqua ſymptomatum ſimilitudine invadunt,& quosdam opprimunt. Hos, quia *multos*, *non plurimos* aggrediuntur, *epidemicos* (o) appellant, quando, qui *multos* & *plurimos* adoriuntur, *παυδήμιοι* & *πάγκοινοι*, *graſſantes in populum & univerſales*, veluti peſtis eſt, audiunt. Illi enim ſub aliqua anni atque aëris conditione eveniunt (p), varii

(n) IOANNES HVXHAM Obſervationes de aëre & morbis epidemicis ab anno 1728. ad finem anni 1737. Londin. 1739. 8.

(o) Non confundendi ſunt morbi *ἔνδημοι*, *ἐπιχώριοι*, *ἐγχώριοι*. Populares, regionibus addicti, patricii, cum epidemicis, *illi* vernaculi ſunt & conſtantes, uti Athenis erat Podagra & Arthritis, in Achaja Lippitudo, in Aegypto Elephas. LVCRET. Lib. 6. Bronchocele Narbonenſibus Galliæ, AETIVS Tetrab. 4. L. 3. & hodienum Strumæ Tyrolenſibus, *hi* ſunt vagi & tranſitorii.

(p) HIPPOCRATES Aphor. 3. 19. *Νοσήματα μὲν πάντα ἐν πάσῃσι τῇσι ὥρῃσι γίνεται, μᾶλλον δ' ἔνια κατ' ἐνίας αὐτέων καὶ γίνεται καὶ παροξύνεται.* Morbi quidem omnes omnibus anni temporibus fiunt, magis tamen quidam in quibusdam fiunt, & exacerbantur.

varii ſane, mox certis ætatibus addicti, veluti *Variolæ*, quas, ſi conjecturæ locus eſt, DIONYSIVS *Halicarnaſſæus* in mente habuit, quando morbi haud conſueti, *qui puellas atque pueros invaderet*, mentionem injicit (q), itidemque Aphthæ ac maligna faucium ulcera (r), mox adultis infeſti, acuti, inflammatorii, in maculas cutis erumpentes lentis forma, rubras, lividas, nigras, & peſtis ſpecie graſſantes (s), quas novo nunc nomine *Petechias*, febres autem his junctas petechiales appellant, celeri curſu magnoque cum periculo in mortem frequentius exeuntes; His ſane, quandoquidem cauſas agnoſcunt in homine reconditas (t), publica cura nihil commoditatis afferre poteſt,

(q) Οὐκ ἐωθυῖα νόσος ἐς παρθένους τε καὶ παῖδας. Non conſuetus morbus in puellas & pueros ſæviens. DIONYS. Halicarn. L. 9.

De antiquitate variolarum commentati ſunt Illuſtres viri, qui rempublicam eruditam hodienum ornant, IOH. GOTH. HAHNIVS de Variolis veterum, cum Exc. *Dan. Trilleri* ſuper hoc argumento, epiſtolis, ipſe TRILLERVS his Epiſtolis, de anthracibus & Variolis Veterum ſeorſim editis 1735. & PAVL. GOTTL. WERLHOF, de Variolarum ſeu Anthracum antiquitatibus, Hannov. 1735. 4.

(r) Cruſtoſa peſtilentia tonſillarum. AET. Tetrab. 2. Serm. 4. 46. Diſſertation hiſtorique ſur l'eſpece de mal de gorge gangreneux, qui a regné parmi les enfans l'année derniere. à Paris 1749. 8.

(s) φλυκταινέμενοι ἐξερύθροισιν ἐπιπολαίοις, ἀποθηήσκεσι rubris in ſuperficie maculis notati intereunt, HIPPOCR. Coac. Libr. 7.

(t) Διαφθορὰ ἐν τοῖς ζώοις δύναται γενέσθαι τηλικαύτη

poteſt, & negotium illud gerendum medicis *ſingulorum* curam habentibus relinquendum eſt unice. Interea, quod petechias attinet, quandoquidem illæ ipſi peſti intercurrunt, & ab illa abſunt proxime, ne in veram peſtem degenerent, in tantum publicæ cenſuræ ſubjacent, in quantum, ubi pauperes invadunt, ob ſqualorem & immunditiem pernitioſius aliquod acquirere poſſunt contagium.

§. 3.

Quam primum autem morbi in vulgus graſſantes, a cauſa aliqua externa mutabili vel oriuntur vel augentur, opus omnino eſt, quo, qui Reipublicæ clavo aſſident, optimo regimine ſuffocare allaborent omne id, quod ſuccis hominum interanea corroſuris, quo naſcantur, occaſionem ſubminiſtrare poteſt. Vt enim de illa cauſarum morbiferarum ex corpore in corpus translatione, quam *contagium* ac *miaſmata* appellare ſolent, in univerſum aliquid moneam, quamvis in magnis peſtiferis malis aër excuſandus haud omnino ſit, non tamen, vel ubique illius halitus morborum graſſantium cauſa eſt, vel ſi quid confert, ſolus, niſi præſto ſit diſpoſitio (u), vitia-

τὸ μέγεθος ὡς ἰῷ θηρίε παραπλησίαν ἔχειν δύναμιν. Corruptio in animalibus tanta fieri poteſt magnitudine, ut veneno viperarum ſimilem habeat vim. GALEN. Lib. 6. de Loc. aff.

(u) Ἡ τῶ μέλλοντος πάσχειν σώματος ἑτοιμότης, Corporis morbum habituri diſpoſitio. GALEN. de differ. Febr. Libr. I. c. 4.

vitiare hominem valebit. Propterea universale hoc contagiosis morbis omnibus ferendum est consilium: sanitatis publicæ conservandæ media omnia (Sect. hujus c. 2.) procurare civibus, hinc morbidorum corporum curam, ne sana tangant, gerere.

§. 4.

Vt singulorum, qui publicam animadversionem postulant, morborum, a communi causa mutabili ortorum, mentionem nunc injiciam, oportet me eorum, qui frequentius eveniunt, memoriam primo loco facere.

§. 5.

Lepram, dirum malum, nostræ terræ ignorant; Erat autem fœda & contagiosa scabies, quam sacra æque ac profana historia, propter hanc sese communicandi facilitatem, proscripsit exRepublica. *Quoniam in contagiosis est*, hæc passio, ait PAVLVS AEGINETA *non minus quam pestis, habitandum illis longissime est ab urbibus, in mediterraneis & parum habitatis locis* (x). Verum alio non minus virulento ac contagioso morbo genus humanum nunc affligitur, quem *Luem veneream*, alii morbum Neapolitanum vel Gallicum appellant, quem equidem sponte nasci posse HIERONYMVS FRACASTORIVS arbitratus est (y), quem tamen, plerorumque consensu, libido, vel contactus corporum hac peste contaminatorum, excitat. *Neque sane*, ait

(x) Lib. 4. c. 1.

(y) In Carmine, quod Siphyllis, sive de morbo gallico, extat cum ejus operibus 1555. 4.

ait TVLLIVS, *ſine magna utilitate conſtitutum eſſe videtur, ut homines caſtigationibus affici ſe in delictis dolerent* (z). Novus omnino morbus ille eſt, quem, omnium hiſtoricorum fide, ex Indiis ſecum attulerunt Chriſtophori Columbi remiges. Tanta hujus morbi, cum Italiam invaſiſſet, erat fœditas, ut *Pauperes hoc malo affecti expellerentur ab hominum converſatione tanquam purulenta cadavera* (a), ſintque hodienum intra magnas urbes Noſocomia, quæ, præter ejusmodi corruptos homines, ægrotos alios haud ſuſcipiunt (b). Cavendum ſane, & a Magiſtratibus curandum ſedulo eſt, ne hac lue tacti vel cum ſanis, vel cum ægrotis aliis ullum alant commercium, quorum ſcilicet halitus, omnesque, qui de corpore illorum exeunt, ſucci, contagioſum illud, quod τὸ μεταβλητικὸν, τὸ μεταδοτικὸν, *ſuſceptibile & translatitium* dicitur, in ſe habent, utpote in quo omnis contagii natura conſiſtit, ut ſit materies, quæ a corpore vitali *ſuſcipi*, per meatus majores *cum alimentis* per minimos, *ſorbitione cutanea*, transferri, humores vitales in rem ſibi ſimilem convertere, illos ſua nutriendi facultate privare, hinc ſolida deſtruere, ac in putridum ulceroſumque tabum convertere valet.

I 2 §. 6.

(z) Tuſculan. Quæſt. Libr. 4.

(a) IOANNES ASTRVC, de morbis venereis Libr. VI. Lib. I. c. 4. p. 28.

(b) LORENZO GAETANO FABBRI, del' uſo del Mercurio e della fondatione dell' Arciſpedale degl' Incurabili nella citta di Firenze, in Colonia 1749. 8. cap. I. p. 6.

§. 6.

Hæc lues clam ſubrepit; aſt aperto marte militant reliquæ ægritudines, quæ eodem tempore plures invadunt, & cauſam aliquam popularem ac communem agnoſcunt. Frequentior reliquis Dyſenteria eſt, atrox morbus; ἕλκωσις ἐντέρων μετὰ φλεγμονῆς καὶ ἀποκρίσεως αἱματωδῶν (c). *Exulceratio inteſtinorum cum inflammatione & excretione ſanguinolentorum.* Hunc clare pingit CELSVS (d); *intus inteſtina exulcerantur, ex his cruor manat, isque modo cum ſtercore aliquo ſemper liquido, modo cum quibusdam mucoſis excernitur, interdum quædam ſimul carnoſa deſcendunt, frequens deſidendi cupiditas dolorque in ano eſt. Cum eodem dolore exiguum aliquid emittitur, atque eo quoque tormentum intenditur, idque poſt aliquod tempus levatur, exiguaque requies eſt, ſomnus interpellatur, febricula oritur, longoque tempore id malum, cum inveterauerit, aut tollit hominem, aut, etiamſi finitur, excruciat.* Magnam hominum ſtragem iſta lues edit ſæpiſſime, & integras haud raro hominum ſocietates evertit, ut & illi, qui aliqua vivendi licentia, quando horæis fructibus, uvis, earumque ſucco abuſi ſunt, hoc ſibi malum conſciverunt, & illi, qui nullius rei, qua deliquerint, ſibi conſcii ſunt, eadem calamitate opprimantur. Quamvis ergo intemperantia victus & aquarum corruptela hujus morbi cauſa frequens ſit, obtinere tamen a me nequeo, ut unicam

(c) Autor definit. GALENI Libr. 4.
(d) De re med. Libr. 4. c. 15.

unicam mali iſtius originem in prava vivendi ratione poſitam eſſe cenſeam, cum noverim, nullo ægrotantium peccato, ab intrinſeca aliqua cauſa, maxime autem a bile acri (e) inductam fuiſſe ægritudinem, viderimque, omni regimine, quo averteretur morbus, effici nihil potuiſſe. Eſt adeoque in Dyſenteria epidemica aliquid, quod ad cenſuram magiſtratus haud pertinet, interna ſcilicet humorum pravitas (f), quam multi communem habent ab occaſionali cauſa, calore maxime æſtivo, excitatam, ut, cum hactenus latuit, illa ſeſe nunc in plurimis ejusdem temperaturæ hominibus, cujuscunque ætatis fuerint, manifeſtet. Interea nullum ſupereſt dubium, ſuccos vegetabiles aceſcentes cum fructibus horariis intemperantius ingurgitatos, hinc aquas aliquo vitio contaminatas, putridas, paludoſas, aut frigidas, æſtuante corpore epotas, dyſenteriæ cauſam eſſe poſſe. Quod ergo cautionem venturo malo opponendam attinet, ſuccidendæ omnino plebi, quam illa potiſſimum lues adoritur, in ſe ſuamque ſanitatem peccandi opportunitates ſunt, cavendumque eſt ſedulo, ne, ſi quando per vicinos agros iſta graſſatur peſtilentia, ſanis liberum ſit, cum ægrotis commercium alere, quandoquidem, etiamſi nulla foret miaſmatum ex corpore in corpus migratio, terrôr tamen & imaginationis vis, penes infirmos animo homines,

(e) Δυσεντερίη ἀπὸ χολῆς μελαίνης. Dyſenteria ab atra bile. HIPPOCR. Aph. Sect. 4. 24.

(f) Χυλοὶ φθείροντες ἔσωθεν. Succi interanea corrumpentes, ARETAEVS de ſign. acutorum Libr. 1.

ad propagandos morbos valere poſſit plurimum, nec diſputationi locus ſit, ubi haud dubitato eventu facta liquent. Multa ſane in iſto, quod translationem morborum attinet, argumento ſunt, quæ ad demonſtrationis evidentiam deduci nunquam poterunt.

§. 7.

Plus valere humana poteſt providentia, quodſi homines arctiore ſocietatis vinculo juncti, eodem victu enutriti, & paribus vitæ conditionibus utentes, communi aliquo morbo tentantur. Tunc enim communem etiam, quæ averti mutarique optimo aliquo regimine poſſit, morborum epidemicorum cauſam ſubeſſe, dubitari nequit; Morbos Caſtrenſes innuo, quibus plures ſæpe, quam ferro, pereunt milites, quando omnibus, quæ ad vitam ſuſtinendam pertinent, commoditatibus deſtituuntur, victu ſuſtentantur duro, parco, immundo, aquis ſitim reſtinguunt putridis, mox ſole calent, mox imbribus ac frigore torpent, paludoſa regione caſtra metantur, & ſi quid aliud calamitatum eſt, quod iſtud hominum genus vexat. Quare mirum non eſt, exercitus magna ſæpe clade affici, ducum culpa, de ſanitate militum conſervanda non ſatis ſolicitorum, quos decebat annonam curaſſe, copias ſecundum flumina duxiſſe, ſtationes hibernas recte ordinaſſe, longis itineribus militum vires non fregiſſe, noſocomia inſtruxiſſe, illisque medicamentorum copia ac medicorum ſelectu providiſſe, id quod ſi ſecus factum eſt, mirari neminem decet, ſi quan-

quando ſicca morte, ſine cæde & ſanguine, militaribus morbis, ab inopia, ſqualore, intemperante crudi victus vegetabilis uſu, & ſi quid aliud peccatorum in turbido iſthoc vitæ genere uſu venit, ortis, numeroſiſſimæ inſtructiſſimæque copiæ deleantur. Præter enim, quam quod bella ipſa contagioſos morbos ſecum afferant (g), dum fames atque indigentia, bellorum indivulſi comites, una cum ſorditie & ſqualore caſtrorum, & cadaverum fœtore, tam ipſas legiones, quam incolas invadunt atque deſtruunt, ipſa vitæ militaris ratio morbos communes ſecum adducit frequentes, febres ardentes malignas, & illam maxime, quæ a Pannonia dicta eſt, inflammatoriam faucium & reliquorum viſcerum febrem, anginam ſcilicet petechiis junctam, hinc dyſenteriam, colicam (h), articulares morbos, ſæpe ipſam peſtem, quæ non ſemel numeroſiſſimos exercitus magna clade affecit (i).

(g) Ita oraculum peſtem vaticinans, apud Thucydidem, de peſte Athenienſi, infra excitandum

"Ηξει Δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

Doriacum veniet bellum, peſtis quoque junctim.

HOM. Iliad. Lib. I. Ἤδη γὰρ πόλεμός τε δαμᾷ καὶ λοιμὸς Ἀχαιούς

Nunc etenim bellum græcos peſtisque fatigant.

(h) Colicam inter morbos caſtrenſes refert TOBIAS COBERVS Obſerv. Med. Caſtrenſ. Dec. 3. Helmſt. 1685. 4. Præf. Hanc epidemice graſſari PAVLVS AEGINETA Libr. 3. c. 43. docet, & IOANNES HVXHAM de morbo colico Damnoniorum maxime epidemico, Londin. 1739. 8. obſervat.

(i) TIT. LIVIVS Hiſt. Lib. 25. Acceſſit peſtilentia per utraque caſtra, & contactus ægrorum vulgabat morbos.

§. 8.

Habent adeoque medici caſtrenſes, publica autoritate ad curandam militum ſanitatem conſtituti, ampliſſimum rerum bene gerendarum campum, in quo cum laude verſari poterunt, ſi ſuo conſilio duces bellicos adjuvent, victum ordinent, a luxu & commeſſationibus, ſi rerum affluxus eſt, militem cohibeant, aquas coctura corrigant, niſi recentes fuerint, languentes a ſanis ad noſocomia mature deportandos curent, ſanos autem, etiam ſeveriore diſciplina, in optimo victus regimine contineant, contra nocturnum frigus corpora militum defendant, cum recte omnino & ad hunc ſcopum appoſite inter cauſas epidemiæ CELSVS numeret, *ſi corpus, ſubinde meridianis caloribus relaxatum, ſubito frigore veſpertino, nocturno, matutino, excipitur*; militem novum convenienter ad regionem, in quam militatum ivit, dlæta, regant, cum nulla ſtrages major ſit illa, quam legiones peregre accedentes ſub novo cœlo, victus ac aëris inſuetudine, patiuntur: Ita MARIVS Imperator apud POLYAENVM; *Cimbri ex frigidis regionibus profecti glaciem & nives ferre poſſunt, calorem & ſolem non item, æſtu confecti, plurimum ſudorem cum ſpiritu emittunt* (k).

§. 9.

Ne unquam, peſtis cauſa, conſiliis medicorum & magiſtratuum auxiliis opus ſit, divina exoranda eſt

(k) ΠΟΛΙΑΙΝΟΥ στρατηγημάτων βιβλιοι ὀκτω. Libr. 8. c. 10.

eſt clementia. Interea, quid in iſta calamitate conſuli agendumque inſtitui oporteat, neminem eorum, qui Reipublicæ clavum tenere, quique cuſtodiam ſanitatis publicæ in ſe ſuſcipere aliquando volunt, ignorare decet. Quidquid morborum eodem tempore plures celeriter invadit & ſubito occidit, aut, etiamſi convaleſcere datum eſt, inter graviſſima, & inaudita hactenus ſymptomata, ſummo cum periculo magnaque cum contentione decurrit, Peſtis eſt. Proinde, cum forma morbi in omnibus haud una ſit, generalius φθορὰ τῶν ἀνθρώπων (l), hominum ſtrages, & ἐπιδημία ὀλέθριος (m), morbus popularis pernitioſus, peſtis dicitur; Et *Autor Definitionum* GALENI ita habet: λοιμός ἐστι κοινὸν πάθος πλείοσιν ὑπὸ τὸν αὐτὸν καιρὸν κατὰ πόλεις ἢ ἔθνεα ὀξεῖς κινδύνους ἢ θανάτους ἐπιφέρον. *Peſtis eſt communis morbus, multis eodem tempore per urbes & gentes, acuta pericula & mortes inferens.* Peſtem ſine febre quibusdam accidiſſe HIPPOCRATES (n), & in illa quæ Lipſiam anno ſuperioris ſeculi LXXXII. invaſit, Præceptor meus AVGVST. QVIRINVS RIVINVS, viderunt(o). Si enim illos, qui de peſte, propria experientia edocti, ſcripſerunt, legas, non unam mortis rationem fuiſſe percipias. Quod RIVINVS

(l) THVCYDID. Narrat. de peſte.

(m) GALEN. Comm. in 2. Acut. HIPPOCR.

(n) λοιμὸς ἄνευ πυρετῶ, Lib. 3. Epid.

(o) De peſte Lipſienſi, 4.

Lipſiæ vidit, DIONYSIVS *Halicarnaſſæus* (p) factum eſſe obſervavit, quando ab illo *νόσος λοιμικὴ εἰς τὰς ἐγκύμονας*, morbus peſtilens gravidarum, adducitur, quo, ſalvis matribus, fœtus abortione corrumperentur. Qui propius ad noſtra tempora & ad hujus provinciæ indolem adpoſite ſcripſit, & eam, quæ illo, cum viveret, tempore, per Hermundoros atque Saxonas graſſata eſt, peſtem expoſuit, GEORGIVS AGRICOLA (q), non unam morborum ſpeciem tunc extitiſſe, commentatus eſt, erant enim, qui catarrhis ſuffocarentur, aliis lenta tabe enectis; In illa Athenienſium peſte, eo, quo quis ante laboraſſet morbo, oppreſſus fuit. Sudoribus aliquando colliqueſcunt peſte affecti, veluti ſudore anglico tactis accidit. Quotquot autem legas Loimographos, omnes in eo conſentiunt, eos, qui vera peſte affligerentur, ſubito, quaſi fulmine tactos, concidiſſe, & quamvis ſub certo aliquo titulo morbi omnes illo tempore graſſantes comprehendi haud potuerint, febrem tamen peſtilentem dici potuiſſe, quæ, cum ſubito invaderet, ſubito etiam jugulabat, aut cum aliqua ſalutis fiducia, in glandularum tumores, quos *bubonas* appellant, inque *carbunculos*, *vibices* ac *petechias* erumpebat. Unica enim, qua malignum virus de corpore propulſari potuerit, per cutem via deprehenſa eſt. Quibusdam tamen ſalutaris ſanguinis fuit fluxio. In illa Lipſienſi peſte, niſi primis diebus bubo erumperet,

(p) Antiqv. Rom. Libr. 9.
(q) De peſte, Libri 3. Baſil. 1554. 8.

ret, vel ſeptimo efflorescerent petechiæ, ſubito, ſæpe ſub ipſo invaſionis tempore, mors conſecuta eſt, cum illi, quorum vis vitæ morbo fuit ſuperior, inter graviſſima ſymptomata, decimo & quarto die eluctarentur.

§. 10.

Publicam illam, quacum Respublica, quando dira lues populos devaſtat, conflictatur, calamitatem gravibus verbis & hiſtorica fide deſcripſit THVCYDIDES, quandoquidem GALENVS ad Thucydideam peſtem provocat, ejusque, in romana ſui temporis peſtilentia, imaginem agnoſcit, ut propterea, quandoquidem legenti mihi quam plurimos, qui de peſte omnium temporum omniumque provinciarum ſcripſerunt Autores, eadem, quæ THVCYDIDES adduxit, ſymptomata annotata obvenerunt, exempli loco Græci iſtius Hiſtoriographi elegantem ſane peſtis deſcriptionem huic libello inſerere haud dubitem, eoque minus quoniam ex illa, quantum miſeriarum plus ſit, ſi in iſto rerum turbine, omnia ſine ordine confunduntur, clare intelligi, diſcique poteſt, quid magiſtratibus illo tempore agendum inſtituendumque ſit.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΟΥ ΟΡΟΛΟΥ ΞΥΓΓΡΑΦΗ περὶ λοιμοῦ τῶν Ἀθηναίων, ἢ λοιμικὴ διήγησις.

THVCYDIDIS, OROLI Filii, historia de peste Athenienſium, vel peſtilentiæ narratio.

Τῷ δὲ θέρει εὐθὺς ἀρχομένῳ Πελοποννήσιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι τὰ δύο μέρη, ὥσπερ καὶ τὸ πρῶτον, εἰσέβαλον εἰς τὴν Ἀττικὴν (ἡγεῖτο δὲ, Ἀρχίδαμος ὁ Ζευξιδάμου, Λακεδαιμονίων βασιλεὺς) καὶ καθεζόμενοι ἐδήουν τὴν γῆν, καὶ ὄντων αὐτῶν ἐ πολλὰς πω ἡμέρας ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἡ νόσος πρῶτον ἤρξατο γενέσθαι τοῖς Ἀθηναίοις, λεγόμενος μὲν καὶ πρότερον πολλαχόσε ἐγκατασκῆψαι καὶ περὶ Λῆμνον καὶ ἐν ἄλλοις χωρίοις. ἐ μέν τοι τοσοῦτός γε λοιμὸς, ἐδὲ φθορὰ ἅτως ἀνθρώπων ἐδαμοῦ ἐμνημονεύετο γενέσθαι, ἅτε γὰρ ἰατροὶ ἤρκων τὸ πρῶ-

Aeſtate autem ſtatim ineunte Peloponnenſes & ſocii ex duabus partibus, quod ante jam factum erat, invadebant Atticam: Ducebat autem illos Archidamas Zeuxidami filius, Lacedæmoniorum Rex, & caſtris poſitis devaſtabant provinciam, qui cum commorati non multos dies eſſent, in Attica morbus primum apud Athenienſes cœpit exoriri, qui dicebatur & antea multis in locis ingruiſſe, & circa Lemnum, & in aliis quoque regionibus. Non tamen tanta peſtilentia, neque corruptela, ſtragesque tanta hominum usquam memorabatur extitiſſe: neque enim Medici ab ini-

τον

τον θεραπεύοντες ἀγνοίᾳ, ἀλλ' αὐτοὶ μάλιστα ἔθνησκον, ὅσῳ καὶ μάλιστα προσήεσαν, ἔτε ἄλλη ἀνθρωπίνη τέχνη ὠφέλιμα ὅσα τε πρὸς ἱεροῖς ἱκέτευσαν, ἢ μαντείοις, καὶ τοῖς τοιούτοις ἐχρήσαντο, πάντα ἀνωφελῆ ἦν, τελευτώντές τε αὐτῶν ἀπέστησαν, ὑπὸ τῶ κακῶ νικώμενοι. Ἤρξατο δὲ τὸ μὲν πρῶτον, ὡς λέγεται, ἐξ Αἰθιοπίας τῆς ὑπὲρ Αἰγύπτε, ἔπειτα δὲ καὶ ἐς Αἴγυπτον καὶ Λιβύην κατέβη καὶ ἐς τὴν βασιλέως γῆν τὴν πολλήν, ἐς δὲ τὴν Ἀθηναίων πόλιν ἐξαπινέως ἐνέπεσε, καὶ τὸ πρῶτον ἐν πειραιεῖ ἥψατο, ὥστε καὶ ἐλέχθη ὑπ' αὐτῶν, ὡς καὶ πελοποννήσιοι φάρμακα ἐσβεβλήκοιεν ἐς τὰ φρέατα, κρῆναι γὰρ ἔτω ἦσαν αὐτόθι, ὕστερον δὲ καὶ εἰς τὴν ἄνω πόλιν ἀφίκετο

tio adhibendæ pares erant medicinæ, ob ignorationem, ſed ipſi præcipue moriebantur, ut, qui præcipue ægros adibant, neque ulla alia humana ars, & quæcunque in templis precationes uſurpabantur, vel divinationes, & hujusmodi alia adhibebantur, omnia erant inutilia, & ab ipſorum uſu demum receſſerunt a malo ſuperati. Incepit autem primum, ut fertur, ab Aethiopia, quæ eſt ſuper Aegyptum: deinde in Aegyptum Libyamque deſcendit, & in Regis regionem plurimam, in Athenienſium porro urbem derepente incidit. Et primum in Piræo affecit homines contagione, quare jactatum quoque ab illis eſt, quod etiam Peloponnenſes venena conjeciſſent in puteos, fontes enim nondum ibi

κετο

κετο κὴ ἔθνησκον πολλῷ μᾶλλον ἤδη.

Λεγέτω μὲν ἕν περὶ αὐτῶ ὡς ἕκαστος γιγνώσκει, κὴ ἰατρὸς, κὴ ἰδιώτης ἀφ' ὅτε εἰκὸς ἦν γενέσθαι αὐτὸ, κὴ τὰς αἰτίας, ἅσινας νομίζει τοσαύτης μεταβολῆς ἱκανὰς εἶναι δύναμιν ἐς τὸ μεταφεῖσαι σχεῖν, ἐγὼ δὲ οἷόντε ἐγίγνετο, λέξω, κὴ ἀφ' ὧν ἄν τις σκοπῶν, εἴποτε κὴ αὖθις ἐπιπέσοι, μάλισα ἄν ἔχοι τι προειδὼς μὴ ἀγνοεῖν, ταῦτα δηλώσω αὐτός τε νοσήσας, κὴ αὐτὸς ἰδὼν ἄλλους πάσχοντας.

Τὸ μὲν γὰρ ἔτος, ὡς ὡμολογεῖτο ἐκ πάντων, μάλισα δὴ ἐκεῖνο ἀνοσον ἐς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ἐτύγχανεν ὄν. εἰ δέ τις, κὴ προέ-

erant extructi; mox vero & in superiorem urbem pervenit, & moriebantur jam multo magis ac frequentius.

Dicat igitur de hoc, ut quisque sentit novitque, & medicus & idiota, a quo verisimile sit illud extitisse, & causas, quas tantæ permutationi putat idoneas vim habuisse ad rerum orbem convertendum. Ego autem, cujusmodi fuerit, explicabo, & ea, quæ contemplans quis, si forte fortuna rursus incidat, præcipue aliquid prænoscens non possit omnino ignorare, declarabo, cum & ipse morbo fuerim correptus, & conspexerim alios patientes.

Annus enim ille, ut universa hominum confessione constabat, ex omnibus maxime fuit immunis ab aliis morbis. Si vero quis etiam ante

καμνέ

καμνέ τι, ἐς τᾶτο πάντα ἀπεκρίθη. Τὰς δὲ ἄλλας ἀπ' ἐδεμιᾶς προφάσεως, ἀλλ' ἐξαίφνης ὑγιεῖς ὄντας πρῶτον μὲν τῆς κεφαλῆς θέρμαι ἰσχυραὶ, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἐρυθήματα, καὶ φλόγωσις ἐλάμβανε, καὶ τὰ ἔντος, ἤτε φάρυγξ, καὶ ἡ γλῶσσα ἐυθὺς αἱματώδη ἦν, καὶ πνεῦμα ἄτοπον, καὶ δυσῶδες ἠφίει. ἔπειτα ἐξ αὐτῶν πταρμὸς, καὶ βράγχος ἐπεγίγνετο.

Καὶ ἐν ὀ πολλῷ χρόνῳ κατέβαινεν ἐς τὰ σήθη ὁ πόνος μετὰ βηχὸς ἰσχυρᾶ, καὶ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν σηρίζας, ἀνέσρεφέ τε αὐτὴν, καὶ ἀποκαθάρσεις χολῆς πάσας, ὅσας ὑπὸ ἰατρῶν ὠνομασμέναι εἰσὶν, ἐπήεσαν, καὶ αὗται μετὰ ταλαιπωρίας μεγάλης, λύγξ τε τοῖς πλέοσι ἐνέπιπτε κενὴ σπασμὸν

aliquo laborabat, in hunc omnia convertebantur. Alios ex nulla evidenti causa, sed subito cum sani essent, primum quidem capitis ardores vehementes, & oculorum rubores, ac inflammatio corripiebant, & interiora, guttur inquam, & lingua, repente sanguinolenta erant, & spiritum tetrum & graveolentem emittebant. Deinde ex his sternutatio & raucitas accedebant.

Et in non multo tempore descendebat in pectus dolor, cum tussi vehementi, & in corde hærens, subvertebatque ipsum, & excretiones bilis omnes, quotquot a medicis nominatæ sunt, sequebantur, & ipsæ cum cruciatu insigni: singultusque plerisque multis incidebat inanis, convulsionem excitans vehementem, ali-

ἐνδι-

ἐνδιδῶσα ἰσχυρὸν τοῖς μὲν μετὰ ταῦτα λωφήσαντα, τοῖς δὲ καὶ πολλῷ ὕστερον.

quibus quidem ſtatim ceſſantem, nonnullis multo ſerius.

Καὶ τὸ μὲν, ἔξωθεν ἁπτομένῳ, σῶμα οὐκ ἄγαν θερμὸν ἦν, οὔτε χλωρὸν, ἀλλ' ὑπέρυθρον, πελιδνὸν, φλυκταίναις μικραῖς, καὶ ἕλκεσιν ἐξηνθηκὸς, τὰ δὲ ἐντὸς ὅτως ἐκαίετο, ὥστε, καὶ μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων ἐπιβολὰς, μήτ' ἄλλό τι ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι, ἥδιστά τε ἂν ὡς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτὰς ἐῖπτειν, καὶ πολλοὶ τοῦτο τῶν ἠμεληµένων ἀνθρώπων. καὶ ἔδρασαν ἐς φρέατα ἀπαύστῳ τῇ δίψῃ ξυνεχόμενοι, καὶ ἐν τῷ ὁμοίῳ καθεσήκει τότε πλέον καὶ ἔλασσον ποτόν.

Et corpus quidem exterius attingenti non admodum calidum erat, neque pallidum, ſed ſubrubrum, lividum, puſtulis exiguis & ulcuſculis efflorescens. Interiora vero ita flagrabant, ut neque tenuiſſimorum veſtimentorum, aut linteorum injectiones ſuſtinerent, neque aliud quidpiam præter nuditatem, jucundiſſime vero in aquam gelidam ſe ipſos abjicerent, & multi hoc etiam fecerunt ex his hominibus, qui neglecti, & ſine cuſtodia jacebant, in puteos ſe demittentes, inexhauſta ſiti perpetuo laborantes, & in pari periculo verſabatur nimius & parcus potus.

Καὶ ἡ ἀπορία τοῦ μὴ ἡσυχάζειν, καὶ ἡ ἀγρυπνία

Et requietis penuria, ac vigiliæ perpetuo urge-

πνία

πνία ἐπέγειτο διὰ παντὸς. καὶ τὸ σῶμα, ὅσονπερ χρόνον ἡ νόσος ἀκμάζοι, οὐκ ἐμαραίνετο, ἀλλ' ἀντεῖχε παρὰ δόξαν τῇ ταλαιπωρίᾳ, ὥστε ἢ διεφθείροντο οἱ πλεῖστοι ἐννατάιοι, καὶ ἑβδομαῖοι ὑπὸ τοῦ ἐντὸς καύματος ἔτι ἔχοντές τι δυνάμεως, ἢ, εἰ διαφύγοιεν, ἐπικατιόντος τοῦ νοσήματος ἐς τὴν κοιλίαν, καὶ ἑλκώσεός τε αὐτῇ ἰσχυρᾶς ἐγγιγνομένης, καὶ διαῤῥοίας ἅμα ἀκράτου ἐπιπιπτούσης, καὶ πολλοὶ ὕστερον διὰ τὴν ἀσθένειαν διεφθείροντο.

bant. Et corpus, quoad morbus quoque vigeret, non extenuabatur, ſed reſiſtebat præter opinionem malo, adeò, ut vel morerentur plurimi nona & ſeptima die ex interno æſtu adhuc habentes aliquid roboris, vel ſi effugerent, deſcendente morbo in ventriculum, & exulceratione vehementi in ipſo excitata, profluvioque ſimul ſincero incidente, & multi poſtea ex imbecillitate interibant.

Καὶ διεξήει γὰρ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἄνωθεν ἀρξάμενον τὸ ἐν τῇ κεφαλῇ πρῶτον ἱδρυθὲν κακόν. καὶ εἴ τις ἐκ τῶν μεγίστων περιγένοιτο, τῶνγε ἀκρωτηρίων ἀντίληψις αὐτοῦ ἐπεσήμαινε, κατέσκηπτε γὰρ καὶ ἐς τὰ αἰ-

Percurrebat enim univerſum corpus a ſupernis partibus inchoans, cui in capite primum ſedes fuerat, malum. Et ſi quis fuiſſet ex maximis periculis ſuperſtes, extremorum prehenſio id ſignificabat. Invadebat enim verenda, &

δοῖά, καὶ ἐς ἄκρας χείρας, καὶ πόδας. καὶ πολλοὶ περισκόμενοι τούτων διέφευγον, εἰσὶ δὲ οἱ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν. τὰς δὲ καὶ λήθη ἐλάμβανε παραυτίκα ἀναστάντας τῶν πάντων, ὁμοίως καὶ ἠγνόησαν σφᾶς τε αὐτὰς, καὶ τὰς ἐπιτηδείας.

in ſummas manus, ac pedes, & multi his amiſſis effugerunt. Sunt etiam qui oculos amiſerunt, nonnullos vero oblivio cepit ſtatim a morbo vendicatos omnium rerum pariter, nec agnoſcebant ſe ipſos quoque, aut familiares.

Γενόμενον γὰρ κρεῖσσον λόγου τὸ εἶδος τῆς νόσου τάτ' ἄλλα χαλεπώτερος ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν προσέπιπτεν ἑκάστῳ, καὶ ἐν τῷ δὲ ἐδήλωσε μάλιστα ἄλλό τι ὂν ἢ τῶν ξυντρόφων τι, τὰ γὰρ ὄρνεα, καὶ τετράποδα ὅσα ἀνθρώπων ἅπτεται πολλῶν ἀταφων γιγνομένων ἢ ὐ προσήει, ἢ γευσάμενα διεφθείρατο. τεκμήριον δὲ τῶν μὲν τοιούτων ὀρνίθων ἐπίλειψις σαφὴς ἐγένετο, καὶ ὐχ

Cum enim genus morbi eſſet majus, quam ratiocinatione comprehendi poſſet, & in aliis rebus acerbius, quam humana pati natura poſſet, & invaſit unumquemque, & in hoc potiſſimum ſignificavit ſe quiddam majus eſſe malum, quam ea ſunt, quæ ſolent homini contingere: Aves enim, & quadrupedes quæcunque hominum carnes attingunt, cum multa eſſent inſepulta cadavera, vel ad ea non accedebant,

ἑωρῶν-

ἐωρῶντο ἔτε ἄλλως, ἔτε περὶ τοιοῦτον ἐδέν.

vel si gustassent, moriebantur. Validoque meum dictum argumento confirmant, quod scilicet manifestus erat avium hujusmodi defectus, & neque visebantur usquam alibi, neque circa tale quicquam.

Οἱ δὲ κύνες μᾶλλον αἴσθησιν παρεῖχον τῶ ἀποβαίνοντος διὰ τὸ ξυνδιαιτᾶσθαι.

Canes vero magis sensisse significabant eventum ob suum cum hominibus contubernium.

Τὸ μὲν οὖν νόσημα, πολλὰ μὲν ἄλλα παραλιπόν τι ἀτοπίας, ὡς ἑκάστῳ ἐτύγχανέ τι διαφερόντως ἑτέρῳ πρὸς ἕτερον γιγνόμενον, τοιοῦτον ἦν ἐπίπαν τὴν ἰδέαν, καὶ ἄλλο παρελύπει κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἀδὲν τῶν εἰωθότων, ὁ δὲ μὴ γένοιτο, ἐς τοῦτο ἐτελεύτα. ἔθνησκον δὲ οἱ μὲν ἀμελείᾳ, οἱ δὲ καὶ πάνυ θεραπευόμενοι.

Morbus igitur iste (omissis multis aliis de admirabili illius præter naturam eventu, ut unicuique accidebat aliquid alii ab alio diversum) ejusmodi erat omnino natura, & alius nullus morbus ex his, quæ solent hominibus contingere, illo tempore vexabat, quique exoriebatur, in hunc desinebat. Moriebantur vero alii quidem neglecti, alii vero etiam exquisita adhibita diligentia curati.

Ὃν τε ἐδὲν κατέσῃ ἴαμα, ὡς εἰπεῖν, ὅ τι χρῆν προσφέροντας ὠφελεῖν. τὸ γὰρ τῷ ξυνενεγκὸν, ἄλλον τῦτο ἔβλαπτε, σῶμά τε ἄυταρκες ὂν ἐδὲν διεφάνη πρὸς ἀυτὸ, ἰσχύος περὶ, ἢ ἀσθενείας, ἀλλὰ ξυνήρει πάντα, κ) τὰ πάση διαίτῃ θεραπευόμενα.

Neque ullum extitit medicamentum, (ut ita dicam) quod posset sperari ægrum, si quis illud offerret, adjuvaturum: nam quod alicui contulerat, alium id lædebat. Et corpus nullum visum est par, quod posset illi morbo reluctari ratione roboris, aut imbecillitatis, sed omnia tollebat corpora, & omni cum victus ratione curata.

Δεινότατον δὲ παντὸς ἦν τᾶ κακᾶ ἥτε ἀθυμία, ὁπότε τις αἴσθητο κάμνων, πρὸς γὰρ τὸ ἀνέλπιστον ἐυθὺς τραπόμενοι τῇ γνώμῃ πολλῷ μᾶλλον προϊεντο σφᾶς ἀυτὲς κ) ἐκ ἀντεῖχον, κ) ὅτι ἕτερος ἀφ' ἑτέρᾳ θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνησκον, κ) τὸν πλεῖστον φθόρον τῦτο ἐνεποίει.

Graviſſimum vero in toto hoc malo erat tum animi conſternatio, ubi quis ſe morbo correptum ſentiret (ad deſperationem enim ſubito converſa mente, multo magis projiciebant ſemet ipſos, neque morbo reſiſtebant) tum, quod alter ab altero curatione repleti, veluti pecudes interibant, & ingentem iſtud ſtragem edebat.

Εἴτε γὰρ μὴ θέλοιεν, δεδίοτες ἀλλήλοις

Sive enim nollent, timore perterriti, ſe mu-

προσ-

προσιέναι, ἀπόλλυντο ἔρημοι, καὶ οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν ἀπορίᾳ τοῦ θεραπεύσαντος, εἴτε προσίοιεν, διεφθείροντο, καὶ μάλιστα οἱ τῆς ἀρετῆς τι μεταποιούμενοι, αἰσχύνῃ γὰρ ἠφείδουν σφῶν αὐτῶν ἐσιόντες παρὰ τοὺς φίλους, ἐπεὶ καὶ τὰς ὀλοφύρσεις, τῶν ἀπογιγνομένων τελευτῶντες, καὶ οἱ οἰκέται ἐξέκαμνον, ὑπὸ τοῦ πολλοῦ κακοῦ νικώμενοι.

tuo adire, peribant deserti, & domus quam plures exhaustæ sunt inopia curantium, siue accederent, eadem vi morbi repleti interibant, & præcipue qui virtutis aliquid profiterentur: præ pudore enim non parcebant sibi ipsis, ingressi ad amicos visendos, quoniam & lamentationes morientium domestici tandem exhausti labore, negligebant, a magno malo superati.

Ἐπιπλέον δὲ ὅμως οἱ διαπεφευγότες τόντε θνήσκοντα, καὶ τὸν πονούμενον ᾠκτίζοντο, διὰ τὸ προειδέναι τε, καὶ αὐτοὶ ἤδη ἐν τῷ θαρσαλέῳ εἶναι, δὶς γὰρ τὸν αὐτὸν, ὥστε καὶ κτείνειν, οὐκ ἐπελάμβανε, καὶ ἐμακαρίζοντό τε ὑπὸ τῶν ἄλλων, καὶ αὐτοὶ τῷ παραχρῆμα περιχαρεῖ, καὶ ἐς τὸν ἔπειτα

Magis illi, qui evaserant, & morientem, & laborantem miserebantur, tum quia malum ante experti cognoscerent, tum quod ipsi jam in tuto essent: bis enim eundem hominem morbus non ita corripiebat, ut interficeret. Et beati ab aliis dicebantur, & ipsi subito gaudio elati etiam in sequens tempus spem quandam

χρόνον ἐλπίδος τι εἶ-
χον κάφης, μήδ' ἂν ὑ-
πὸ ἄλλα νοσήματος
ποτὲ ἔτι διαφθαρῆναι.

levem habebant, ſe neque ab ullo alio morbo amplius interfectum iri.

Ἐπίεσε δ' αὐτὰς
μᾶλλον πρὸς τῷ ὑπάρ-
χοντι πόνῳ καὶ ἡ ξυγ-
κομιδὴ ἐκ τῶν ἀγρῶν
ἐς τὸ ἄστυ, καὶ ἐκ
ἧσσον τὰς ἐπελθόν-
τας, οἰκιῶν γὰρ ἐκ
ὑπαρχουσῶν ἀλλ' ἐν
καλύβαις πνιγηραῖς
ὥρᾳ ἔτους διαιτωμέ-
νων, ὁ φθόρος ἐγίγνε-
το ἀδενεῖ κόσμῳ, ἀλ-
λὰ, καὶ νεκροὶ ἐπ'
ἀλλήλοις ἀποθνήσκον-
τες ἔκειντο, καὶ ἐν ταῖς
ὁδοῖς ἐκαλινδοῦντο, καὶ
περὶ τὰς κρήνας ἅπά-
σας ἡμιθνῆτες, τῆ τοῦ
ὕδατος ἐπιθυμίᾳ, τά-
τε ἱερὰ οἷς ἐσκήνηντο
νεκρῶν πλεα ἦν, αὐτῶ
ἐναποθνησκόντων, ὑπερ-
βιαζομένω γὰρ τῶ κακῶ,
οἱ ἄνθρωποι, ἐκ ἔχον-
τες ὅ τι γένωνται, ἐς

Afflixit vero ipſos magis præter præſentem laborem, etiam comportatio ex agris in oppidum, & non minus ipſos advenientes: Cum enim non ſuppeterent ædes, ſed in tuguriis æſtuoſis tempore anni æſtivo habitantibus, ſtrages fiebat nullo ornatu aut ordine, ſed mortui illi ſuper alios morientes jacebant, & in viis volutabantur, & circa fontes omnes ſemimortui aquæ deſiderio, & templa ipſa, in quibus tabernacula conſtruxerant, mortuis erant corporibus referta, qui ibidem moriebantur, præter modum enim ſæviente malo, homines non ha-

ὁλι-

ὀλιγωρίαν ἐτράποντο, καὶ ἱερῶν, καὶ ὁσίων ὁμοίως. νόμοι τε πάντες συνεταράχθησαν, οἷς ἐχρῶντο πρότερον περὶ τὰς ταφὰς, ἔθαπτον δὲ ὡς ἕκαστος ἠδύνατο, καὶ πολλοὶ ἐς ἀναισχύντους θήκας ἐτράποντο, σπάνει τῶν ἐπιτηδείων, διὰ τὸ συχνὸς ἤδη πρεστεθνάναι σφίσιν. ἐπὶ πύρας γὰρ ἀλλοτρίας, φθάσαντες τὸς νήσαντας, οἱ μὲν ἐπιθέντες τὸν ἑαυτῶν νεκρὸν, ὑφῆπτον, οἵδε καιομένῳ ἄλλῳ, ἄνωθεν ἐπιβαλόντες, ὃν φέροιεν, ἀπήεσαν.

bentes quid agerent, in eam mentem verſi ſunt, ut ſacra, ſanctaque omnia pariter negligerent, legesque omnes ſepulchrorum perturbatæ ſunt, quibus antea utebantur, ſepeliebantque ut quiſque poterat, & multi ad impudentia ſepulchra animum converterunt penuria neceſſariorum, quod jam frequentes ſibi domeſtici ante occubuiſſent. In alienas enim pyras alii antevertentes eos, qui extruxerant, & imponentes ſuum mortuum, ignem accendebant, alii dum cremaretur alterum, ſuum ipſi cadaver injicientes, quod ferebant, abiere.

Πρῶτόν τε ἦρξε καὶ ἐς τ' ἄλλα τῇ πόλει ἐπιπλέον ἀνομίας τὸ νόσημα, ῥᾷον τε ἐτόλμα τις, ἃ πρότερον ἀπεκρύπτετο, μὴ καθ'

Primumque cœpit & ad alia in civitate majoris improbitatis ſcelera auctor eſſe morbus, facilius enim audebat quisque, quæ prius occulta-

ἡδονὴν ποιεῖν, ἀγχίσροφον τὴν μεταβολὴν ὁρῶντες τῶντ' εὐδαιμόνων, καὶ ἀφνιδίως θνησκόντων, καὶ τῶν ἀδὲν πρότερον κεκτημένων, εὐθὺς δὲ τ' ἀκείνων ἐχόντων. ὥστε ταχείας τὰς ἐπαυρέσεις, καὶ πρὸς τὸ τερπνὸν ἤξιον ποιεῖσθαι, ἐφήμερα τότε σώματα, καὶ τὰ χρήματα ὁμοίως ἡγούμενοι, καὶ τὸ μὲν προσταλαιπωρεῖν τῷ δόξαντι καλῷ ἀδεὶς πρόθυμος ἦν, ἄδηλον νομίζων, εἰ, πρὶν ἐπ' αὐτὸν ἐλθεῖν, διαφθαρήσεται, ὅτι δὲ ἥδεταί τε ἤδυ, καὶ πανταχόθεν τὸ ἐς αὐτὸν κερδαλέον, τοῦτο καὶ καλὸν καὶ χρήσιμον κατέστη.

bat, ne libidine patrare videretur; repentinam rerum commutationem aſpiciebant, & divitum ſubito tamen commorientium, & eorum, qui nihil ante poſſidebant, repente eorum bona conſequentium. Quare velociter perfruendum bonis ad voluptatem judicabant, momentanea diemque vix duratura & corpora, & bona pariter, exiſtimantes, & nemo ad obeundos labores, pro eo quod videretur honeſtum, promtus erat, incertum exiſtimans, an, priusquam id aſſequeretur, interiret; quod vero noverat jucundum, & ex omni ſibi parte queſtuoſum, hoc & honeſtum & utile conſtituebat.

Θεῶν δὲ φόβος, ἢ ἀνθρώπων νόμος ἀδεὶς ἀπεῖργε. τὸ μὲν κρίνοντες ἐν ὁμοίῳ, καὶ σέ-

Deorum vero metus, vel hominum lex nulla deterrebat, illud quidem judicantibus ex

βειν,

βειν, ϗ μὴ, ἐκ τῦ πάντας ἐρᾶν ἐν ἴσῳ ἀπολλυμένυς. τῶν δὲ ἁμαρτημάτων ἑδεὶς ἐλπίζων μέχρι τῦ δίκην γενέσθαι βιὸς ἂν τὴν τιμωρίαν ἀντιδῶναι. πολὺ δε μείζω τὴν ἤδη κατεψηφισμένην σφῶν ἐπικρεμαθῆναι, ἢν πρὶν ἐμπεσεῖν, εἰκὸς εἶναι τῦ βίυ τι ἀπολαῦσαι.

æquo esse, sive colerent, sive non colerent, quod omnes viderent pariter interire. Nemine vero sperante, quoad judicium peccatorum constitueretur, se vitam productum, ut pœnas daret, multoque majorem jam sibi decretam pœnam impendere arbitrantibus, priusquam illa incideret, æquum judicabant aliqua vitæ voluptate frui.

Τοιύτῳ μὲν πάθει οἱ ἀθηναῖοι περιπεσόντες ἐπιέζοντο, ἀνθρώπων τε ἔνδον θνησκόντων, ϗ γῆς ἔξω δηϊμένης. ἐν δὲ τῷ κακῷ, οἷα εἰκὸς, ἀνεμνήσθησαν, ϗ τῦ δε τῦ ἔπυς φάσκοντες, οἱ πρεσβύτεροι πάλαι ἄδεσθαι.

Tali igitur calamitate Athenienses circumventi affligebantur, & hominibus intra urbis mœnia intereuntibus, & regione foris ab hostibus vastata; In malo vero hoc, ut videtur esse consentaneum, in memoriam revocarunt carmen hoc, quod seniores asserebant cani solitum antiquitus.

Ἥξει δωριακὸς πόλεμος, ϗ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

Doriacum adveniet bellum, & Loemos simul ipso.

Ἐγένετο μὲν ἔν ἔριϛ τοῖϛ ἀνθρώποις μὴ λοιμὸν ὠνομάσθαι ἐν τῷ ἔπει ὑπὸ τῶν παλαιῶν, ἀλλὰ λιμὸν, ἐνίκησε δὲ ἐπὶ τοῦ παρόντος εἰκότως, λοιμὸν εἰρῆσθαι. οἱ γὰρ ἄνθρωποι πρὸς ἃ ἔπασχον τὴν μνήμην ἐποιοῦντο. ἤνδε γε, οἶμαι, ποτὲ ἄλλος πόλεμος καταλάβοι δωρικὸς τοῦ δε ὕϛερος, ἢ ξυμβῆ γενέσθαι λιμὸν, κατὰ τὸν ἔτως ἄσοντας.

Orta igitur altercatio inter homines, cum dicerent, non Lœmon peſtilentiam eſſe nominatam in verſu ab antiquis, ſed Limon, famem: ſed evicit in præſentia non immerito, ut peſtilentia diceretur. Homines enim ad mala, quæ patiebantur, carminis revocatam memoriam accommodabant. Si vero, ut opinor, aliud aliquando bellum invadat Doricum, poſt hoc, ſi forte fortuna contingat adeſſe famem, veri ſimiliter hoc modo canent.

Μνήμη δὲ ἐγένετο, ἢ τοῦ Λακεδαιμονίων χρηϛηρίῳ τοῖϛ εἰδόϛι, ὅτε ἐπερωτῶϛιν αὐτὸν τὸν θεὸν, εἰ χρὴ πολεμεῖν, ἀνεῖλε

Memorabatur etiam Lacedæmoniorum oraculum ab his, qui norant, cum ſciſcitantibus ipſis deum, an oporteat bellum gerere, illud reſpondit.

Κατὰ κράτος πολεμοῦϛι νίκην ἕϛεσθαι.
Victoriam fore fortiter bellantibus,
Opemque ſe laturum eis.

Καὶ αὐτὸϛ ἴφη ξυλ- De oraculo quidem ea,

λήψα-

λήψασθαι περὶ μὲν ὧν τῷ χρησηρίῳ τὰ γιγνόμενα εἰκαζον ὅμοια εἶναι. ἐσβεβληκότων δὲ τῶν Πελοποννησίων, ἡ νόσος ἤρξατο ἐυθὺς, καὶ ἐς μὲν Πελοπόννησον, οὐκ ἐσῆλθε, ὅτι καὶ ἄξιον εἰπεῖν. ἐπενείματο δὲ ἀθήνας μὲν μάλιστα, ἔπειτα δὲ καὶ τῶν ἄλλων χωρίων τὰ πολυανθρωπότατα. ταῦτα μὲν τὰ κατὰ τὴν νόσον γενόμενα.

quæ fiebant, conjiciebant esse consentanea. Vbi enim Peloponnenses impressionem primum fecerunt, morbus statim cœpit, & ipsam quidem Peloponnesum non invasit, quod sit dignum commemoratione. Depastus vero est Athenas præcipue, deinde & ex aliis locis ea, quæ erant hominibus refertissima. Et hæc quidem sunt ea, quæ in morbo evenerunt.

Eleganti carmine, hunc locum, licet obsoleta latinitate transtulit

TIT. LVCRETIVS CARVS de rerum natura Lib. VI.

Hæc ratio quondam morborum, & mortifer æstus,
Finibus in Cecropis, funestos reddidit agros:
Vastavitque vias: exhausit civibus urbem.
Nam penitus veniens Aegypti finibus ortus,
Aëra permensus multum, camposque natantes,
Incubuit tandem populo Pandionis omnes
Inde catervatim morbo, mortique dabantur.
Principio caput incensum fervore gerebant:

Et

Et duplices oculos ſuffuſa luce rubentes.
Sudabant etiam fauces intrinſecus atræ
Sanguine: & ulceribus vocis via ſepta coibat:
Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu gravis, aſpera tactu.
Inde ubi per fauces pectus complerat: & ipſum
Morbida vis in cor moeſtum confluxerat ægris:
Omnia tum vero vitai clauſtra labebant.
Spiritus ore foras tetrum voluebat odorem:
Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.
Atque animi prorſum vires totius, & omne
Languebat corpus, leti jam limine in ipſo.
Intolerabilibusque malis erat anxius angor
Aſſidue comes, & gemitu commiſta querela.
Singultusque frequens noctem perſæpe, diemque
Corripere aſſidue nervos, & membra coactans,
Diſſoluebat eos defeſſos ante fatigans.
Nec nimio cuiquam poſſes ardore tueri
Corporis in ſummo ſummam ferueſcere partem:
Sed potius tepidum manibus proponere tactum:
Et ſimul ulceribus quaſi inuſtis omne rubere
Corpus: ut eſt, per membra ſacer cum diditur ignis.
Intima pars homini vero flagrabat ad oſſa:
Flagrabat ſtomacho flamma, ut fornacibus, intus.
Nil adeo poſſes cuiquam leve, tenueque membris.
Verteret utilitatem adventum, & frigora ſemper.
In fluvios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum jacientes corpus in undas.
Multi præcipites lymphis putealibus alte
Inciderunt ipſo venientes ore patente.

Inſe-

Inſedabiliter ſitis arida corpora merſans
Aequabat multum paruis humoribus imbrem.
Nec requies erat ulla mali: deſeſſa jacebant
Corpora: muſſabat tacito medicina timore.
Quippe patentia cum toties ardentia morbis
Lumina verſarent oculorum expertia ſomno.
Multaque præterea mortis tum ſigna dabantur.
Perturbata animi mens in mœrore, metuque
Triſte ſupercilium: furioſus vultus, & acer:
Sollicitæ porro, plenæque ſonoribus aures:
Creber ſpiritus, haud ingens, raroque coortus:
Sudorisque madens per collum ſplendidus humor:
Tenuia ſputa, minuta, croci contacta colore,
Salſaque per fauces rauca vix edita tuſſi.
In manibus vero nervi trahere: & tremere artus:
A pedibusque minutatim ſuccedere frigus
Non dubitabat: item ad ſupremum denique tempus,
Compreſſæ nares: naſi primoris acumen
Tenue: cavati oculi: cava tempora: frigida pellis,
Duraque in ore jacens rectum frons tenta meabat,
Nec nimio rigida proſtrati morte jacebant,
Octavoque fere candenti lumine ſolis,
Aut etiam nona reddebant lampade vitam.
Quorum ſi quis (ut eſt) vitarat funera leti
Viſceribus tetris, & nigra proluvie alui:
Poſterius tamen hunc tabes, letumque manebat.
Aut etiam multus capitis cum ſæpe dolore
Corruptus ſanguis expletis naribus ibat:
Huc hominis totæ vires, corpusque fluebat.
Profluvium porro cui tetri ſanguinis acre
Exierat:

Exierat: tamen in nervos huic morbus, & artus
Ibat: & in partes genitales corporis ipſas:
Et graviter partim metuentes limina leti
Vivebant ferro privati parte virili:
Et manibus ſine nonnulli, pedibusque manebant
In vita tamen: & perdebant lumina partim:
Vſque adeo mortis metus his inceſſerat acer,
Atque etiam quosdam cœpere oblivia rerum
Cunctarum: neque ſe poſſent cognoſcere ut ipſi.
Multaque humi cum inhumata jacerent corpora ſupra
Corporibus: tamen alituum genus, atque ferarum
Aut procul abſiliebat: ut acrem exiret odorem:
Aut ubi guſtarat, languebat morte propinqua.
Nec tamen omnino temere illis ſedibus ulla
Comparebat avis: nec triſtia ſecla ferarum
Exibant ſylvis: languebant pleraque morbo:
Et moriebantur: cumprimis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus ægram.
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.
Incomitata rapi certabant funera vaſta:
Nec ratio remedi communis certa dabatur.
Nam quod ali dederat vitales aëris auras
Voluere in ore licere: & cœli templa tueri:
Hoc aliis erat exitio: letumque parabat.
Illud in his rebus miſerandum magnopere unum
Aerumnabile erat: quod ubi ſe quisque videbat
Implicitum morbo: morti damnatus ut eſſet:
Deficiens animo mœſto cum corde jacebat
Funera reſpectans: animam & mittebat ibidem.
Quippe etenim nullo ceſſabant tempore apiſci

Ex

Ex aliis alios avidi contagia morbi.
Idque vel inprimis cumulabat funere funus.
Nam quicunque ſuis fugitabant (ut fit) ab ægris,
Vitai nimium cupidos, mortisque timentes
Pœnitet: & paullo poſt turpi morte, malaque
Deſertos, opis expertes, incuria mactat:
Lanigeras tanquam pecudes, & bucera ſecla.
Qui fuerant autem præſto, contagibus ibant,
Atque labore: pudor quem tum cogebat obire,
Blandaque laſſorum vox, mixta voce querelæ.
Optimus hoc leti genus ergo quisque ſubibat.
Inque aliis alium populum ſepelire ſuorum
Certantes lacrymis laſſi, luctuque redibant.
Inde bona ex parti in letum mœrore dabantur.
Nec poterat quiſquam reperiri, quem neque morbus,
Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.
Præterea jam paſtor, & armentarius omnis,
Et robuſtus item curui moderator aratri,
Languebant: penitusque caſa contruſa jacebant
Corpora: paupertate & morbo dedita morti.
Exanimis pueris ſuper exanimata parentum
Corpora nonnunquam poſſes, retroque videre
Matribus, & patribus natos ſuper edere vitam.
Nec minimam partem ex agris moeroris in urbem
Confluxit: languens quem contulit agricolarum
Copia, conveniens ex omni morbida parti.
Omnia condebant loca, tectaque: quo magis æſtus
Confertos ita acervatim mors accumulabat.
Multa ſiti proſtrata viam per proque voluta
Corpora

Corpora silanos ad aquarum strata jacebant
Intercluſa anima nimia ab dulcedine aquarum.
Multaque per populi paſſim loca promta, viasque
Languida ſemianimo cum corpore membra videres,
Horrida paedore, & pannis cooperta, perire
Corporis illuvie: pellis ſuper oſſibus una,
Viſceribus tetris prope jam, ſordéque ſepultis.
Omnia denique ſancta deum delubra replerat
Corporibus mors exanimis: oneirataque paſſim
Cuncta cadaveribus cœleſtum templa manebant:
Hoſpitibus loca quæ complerant ædituentes.
Nec jam religio diuûm, nec numina magni
Pendebantur enim: præſens dolor exuperabat.
Nec mos ille ſepulturæ remanebat in urbe:
Vt pius hic populus ſemper conſuerat humari.
Perturbatus enim totus repedabat: & unus
Quiſque ſuum pro re conſortem mœſtus humabat.
Multaque vis ſubita, & paupertas horrida ſuaſit:
Namque ſuos conſanguineos aliena rogorum,
Inſuper exſtructa ingenti clamore locabant:
Subdebantque faces, multo cum ſanguine ſæpe
Rixantes potius, quam corpora deſererentur.

Thucydidem in deſcribenda peſte imitatus eſt

OVIDIVS METAM. Libr. 7.

Corpora fœda jacent, vitiantur odoribus auræ,
Mira loquar, non illa canes, avidæque volucres,
Non

Non cani tetigere lupi, dilapſa liqueſcunt,
Afflatuque nocent, & agunt contagia late.
Pervenit ad miſeros damno graviore colonos
Peſtis, & in magnæ dominatur mœnibus urbis,
Viſcera torrentur primo, flammisque fatiſcunt,
Indicium rubor eſt, & ductus anhelitus ingens.
Aſpera lingua tumet, tepidisque arentia ventis
Ora parent, auræque graves captantur hiatu,
Non ſtratum, non ulla pati velamina poſſunt,
Dura ſed in terra ponunt præcordia, nec fit
Corpus humo gelidum, ſed humus de corpore feruet,
Nec moderator adeſt, inque ipſos ſæva medentes
Erumpit clades, abſuntque autoribus artes,
Quo propior quisque eſt, ſervitque fidelius ægro,
In partem leti citius venit, atque ſalutis
Spes abiit, finemque vident in funere morbi.
Indulgent animis, & nulla, quid utile, cura eſt.
Vtile enim nihil eſt, paſſim, poſitoque pudore,
Fontibus, & fluviis, puteisque capacibus hærent,
Nec ſitis eſt extincta prius, quam vita bibendo,
Inde graves morbo nequeunt conſurgere, & ipſis
Immoriuntur aquis, aliquis tamen haurit & illas.
Tantaque ſunt miſeris inviſi tædia lecti,
Proſiliunt, aut ſi prohibent conſiſtere vires,
Corpora devolvunt in humum, fugiuntque penates
Quisque ſuos, ſua cuique domus funeſta videtur,
Et quia cauſa latet, locus eſt in crimine notus.
Semianimes errare viis, dum ſtare valebant,

Aſpiceres, flentes alios, terraque jacentes
Laſſaque verſantes ſupremo lumina motu.
Membraque pendentis tendunt ad ſidera cœli,
Hic, illic, ubi mors deprenderat exhalantes.

§. II.

Etiamſi autem ſumma illa calamitas eſt, & quædam veluti deſperatio, nihil tamen omittendum eſt vel conſilii vel auxilii, quo peſtilentiæ per populum progreſſus impediri, ipſisque ægrotantibus ſubveniri vel cultura corporum, vel ipſa arte poſſit. Variis ſcilicet inſtitutis & machinationibus verſus epidemiæ cujusvis cauſas directis, mature proſpiciunt magiſtratus, ut vel materiem peſtis ex longinquo advectam, vel eandem, ſi prope, & in ipſis forte Reipublicæ viſceribus abſcondita eſt, ex medio tollere poſſint. Quæ ex longinquo accedunt peſtis cauſæ, mediante aere transferuntur, obſervavitque FRACASTORIVS (r), ventos ex regionibus peſtilentia tactis ſanam perflantes provinciam morborum ſeminia ſecum attuliſſe. Culpat HIPPOCRATES paſſim auſtrinas conſtitutiones, quandoquidem auſtri ex Aethiopia illuviem putridam per totam Græciam ſpargere potuerunt, veluti etiam illi noſtris terris non admodum favent, utpote quibus aër ultra gradum caloris illius, qui cum ſanitate ſtare poteſt, repeſcit, ut peſtifera abinde oriatur ejus conſtitutio

(r) De Contag. L. 1. c. 13. c. oper. ejus, Venet. 1555. 4.

tio (s), quæ ſine dubio divinum illud Hippocraticum, τὸ θεῖον, in morbis epidemicis eſt, quandoquidem ſolius numinis omnipotentia mutari illa poteſt. Empedocles phyſicus, referente PLVTARCHO (t), obturato quodam montis hiatu, unde gravis in planitiem halabat auſter, & Acro medicus, referente eodem (u), accenſis rogis peſtem depulerunt. Alia peſtis peregrinatio eſt, dum illa, veluti communis fert ſententia, ſub virulenti ac tenuiſſimi halitus ſpecie, animalibus mercibusque variis inhærens, transferri ex loco in locos poſſe perhibetur. Quapropter omnes ubique gentes in moribus poſitum habent, calamitoſo iſto tempore, quo triſtes ubique graſſantis peſtilentiæ audiuntur nuntii, peregre accedentes curioſius perquirere, neque illos, niſi exhibita ſanitatis ſchedula, admittere, eosque, ſi ex regionibus graſſanti alicui morbo obnoxiis ventum eſt, vel a finibus arcere, vel intra ſtationes ſolitarias per aliquot ſeptimanas integrumve menſem, ſæpe ad quadrageſimum usque diem, detinere, ea fiducia, fore, quo intra hoc tempus malignum virus de corpore animato aut mercibus, peſtis contagium uti putatur excipere valentibus, penitus tranſpiret. Magna ſane hujus providentiæ paſſim eſt celebritas. Pro-

(s) Λοιμώδης ἀέρος κατάστασις. Contagioſa aëris conſtitutio. GALENVS Lib. I. de diff. Febr.

(t) De curioſitate, *ab initio.*

(u) De Iſide, Oſiride.

uti enim longius propiusve abeſt locorum diſſitorum peſtilentia, eo etiam brevior diuturniorve mora nectenda peregrinis eſt in agrorum limitibus. Qui mare mediterraneum navigant, quodſi navem in Africa, quæ peſte vacua nunquam eſt, ſolverint, appellere, niſi abſoluto tempore quadrageſimali, nequeunt. Si animal vivum ex Africa adducitur, poſtquam illud moram intra noſocomium paſſum eſt, aqua marina porro perfunditur. Merces rarioris texturæ & peſtilentiæ, veluti putantur, capaciores, in ſtationibus aëri perviis detinentur, multæ, ſi recens in regione, ex qua adductæ ſunt, peſtis fuit, concremantur aut demerguntur. Superato quadrageſimali tempore, anteaquam trans mare vectis ſubire hominum conſortium licet, luſtrantur peſſimi odoris fumis, ex Galbano, Opopanace, Aſa fœtida, Sulphure, confectis, qua ſolemnitate, ex Africa reduci, cum portum Melites Inſulæ, quæ nunc Maltha dicitur, ſubirem, cumque Maſſilias accederem, mihi, hilariter valenti, bis de corpore peſtis propulſata fuit. Literas immergunt aceto, metalla atque pecunias igne luſtrant. Eſt fortaſſis in iſto cerimoniarum ritu veræ utilitatis quidpiam, certe ſecuritas atque perſuaſio penes plebem ad peſtis rumores, qui ex neglecta hac providentia oriri poſſent, ſubito ita perculſam & timoris plenam, ut ſolius pavoris atque deſperationis effectus peſtis eſſe poſſet.

§. 12.

Niſi peſtifer halitus terrarum orbem circumit, & nubis inſtar ex provinciis ad provincias pellitur, quod

quod neminem ita arbitrari velle puto, opus ſane eſt, quo illa aliquando ex cauſis hominem ambientibus ac pervadentibus oriatur, ſitque domeſtica & intra populum nata. A pravo victu, annonæ caritate & fame, ex fœtore aquarum lacuſtrium ſole excoctarum, cadaveribus alta tellure haud defoſſis, hinc ſua virulentia aëra contaminantibus, a locuſtis gregatim per agros ductis (x), & alicubi magna frequentia cadentibus putreſcentibusque, ex peſte brutorum (y) ad homines transeunte, tanquam ex totidem cauſis communibus, ita quidem vitiari homines, in eadem ſocietate viventes, maxime pauperes & incongruo victu ob egeſtatem fruentes, poſſunt, quo ſubito, in ipſo veluti Reipublicæ gremio, peſtilentia exoriatur. En totidem providentiæ publicæ objecta; Nihil ad avertendam luem valebunt excubiæ & milites in limitibus agrorum poſiti, niſi cauſæ ſanitatis publicæ, pro avertenda lue, magna cum cura atque ſolicitudine ordinentur, quæ vera ac genuina eſt peſtilentium morborum cautio atque prophylaxis. Quo propius autem accedunt contagia, eo plus ad imminentes neceſſitates, ne incautos malum opprimat, dirigenda ſunt conſilia. Excedant urbe pauperes & ad ſumma montium juga, ſi eorum opportuni-

 tas

(x) FORTVNAT. FIDELIS Relat. med. p. 104.

(y) De romana peſtilentia DIONYSIVS HALICARNASSAEVS: πρῶτον ἵππων καὶ φορβάδων καὶ βοῶν ἀγέλας προσῆλθεν, ἔπειτα τὰς νομέας διέφθαρεν καὶ διελθοῦσα διὰ πάσης τῆς χώρας, εἰς τὴν πόλιν ἐνέπεσεν. Primo equorum & jumentorum & boum armenta aggreſſa eſt, deinde corrupit paſtores, &, toto agro progreſſa, ad urbem venit.

tas eſt, ſe conferant; niſi quis ſibi ſuisque victum procurare poteſt, haud interſit Reipublicæ. In magna enim hominum frequentia, ubi ſemel invaluit malum, eo ſemper fit peſtilentius, quo plures occidunt. Conſtituendi interea ſunt medici, chirurgi, noſocomium inſtruendum, annona largiter convehenda, cuſtodes, qui domus infectas curent, ægrotantiumque miniſtri vel famulæ, quique mortuos efferant, ordinentur, cum nulla cura erga poſſibiles ærumnas ſit ſuperflua, ſatisque ac ſuper lucri captum ſit, ſi vana ac irrita fuit providentia (z).

§. 13.

Qui miſerrimam ſocietatis humanæ conditionem, qualis peſtis tempore eſt, memoriæ tradiderunt, varia ſimul pro continenda ejus ſævitie & progreſſu luis impediendo, tulerunt conſilia, quorum alia ad *omnes*, alia ad *ſingulos*, tam ſanos, quam ægrotos, pertinent. Omnium eſt, aëris, ſi procurari arte humana poſſet, correctio. Hanc incendiis emendare quondam tentavit HIPPOCRATES, veluti de illo GALENVS docet (a): *Laudo admiratione digniſſimum* HIPPOCRATEM, *quod peſtem illam ex Aethiopia Græciam invadentem non aliter curavit, quam convertens aërem & mutans, ut neutiquam talis inſpirari potuerit. Iubens ergo per totam urbem ignes accendi, & non vulgari materia nutriri, ſed coronas & flores fragrantiores*

(z) Leipziger Peſt-Ordnung de anno 1607.
Leipziger Peſt-Ordnung de anno 1680.
(a) Libro de Theriaca ad Piſonem.

tiores consuluit esse ignis nutrimentum, & insuper projici aromatum pinguissima & fragrantem odorem habentia, ut ita purum aërem homines, hac mutatione facta, inspirarent. Tormenta bellica eo tempore explodi vult BOVDEWYN (b), ad elidendum fragore aërem; Suffumigia ex fœtidis alii consulunt (c). Verum, desperandum fere est, hac ratione aërem, etiamsi in illo causa pestis primaria quærenda foret, corrigi posse. Si quid ergo magistratus ad impediendum morbi progressum institutione aliqua, quæ omnibus salutaris esse possit, efficere valet, illud est: curare sedulo, ut, qui sani sunt, ægrotorum commercia vitent, sese in suis domibus contineant, illasque ab omni fœtore spurcaque illuvie liberas servent. Renovandus, quod intra ædes facilius quam in publico fieri potest, aër est quotidie, consperſis aqua pura pavimentis, vel aëre ventilabris ad mentem HALLESII subinde commoto, aut domo odoribus perfusa, quod equidem in peste Lipsiensi parum utilitatis attulisse RIVINVS censet (d), improbandum tamen penitus haud est consilium, quandoquidem in fiducia erga medicamentum, inque securitate animi exinde consequenda, magnum contra morbos contagiosos omnes esse solet præsidium.

(b) MICHAEL BOVDEWYN, Ventilabrum Medico-Theologicum. Antwerp. 1666. Part. 2. Qv. 6. p. 326.

(c) IVLIANVS PALMARIVS de morbis contagiosis Libri septem, Paris. 1578. de febr. pest. c. 15.

(d) De peste Lipsiensi.

Qua de cauſa apud PLVTARCHVM legitur (e), Thaletem quendam Cretenſem a Lacedæmoniis peſtem fugaſſe ſola Muſica, quam HIERONYMVS MERCVRIALIS (f) nihil aliud fuiſſe exiſtimat, quam ſpem, gaudium & lætitiam, quibus fiat, ut & animi & corpora valentius pugnent adverſus morbi peſtilentiam. Eſt enim in morbis contagioſis ſumma penes ſanos æque ac ægrotos animorum deſperatio & terror aliquis panicus, veluti DIEMERBROECKIVS (g) & RIVINVS prorſus convenienter ad THVCYDIDIS narrationem, referunt, qui, veluti ſua natura maximum in humores imperium habet, ita ad legem idearum in corpora animata agentium prima peſtis imprimere poteſt veſtigia. Perplacet adeoque PLVTARCHI (h) ad peſtem, meracioris vini potu profligandam, conſilium. Narrat enim, τὸ νόσημα λοιμῶδες, id eſt morbum peſtilentem, qui in exercitu Cæſaris vagabatur, τὴν ἀτοπίαν τῆς διαίτης ποιησάμενον ἀρχήν, quique duxerat originem ab inſolita cibi & victus ratione, quia radicibus veſcebantur milites, curatum fuiſſe hilari meri potione, licet illud *præter rationem*, id eſt caſu magis quam conſilio ita evenerit. In omnibus enim morbis malignis, quorum forma ſumma virium eſt proſtratio, multum valet

(e) Libr. de Muſica.
(f) HIERONYMVS MERCVRIALIS Lection. de peſtilentia cap. 22. p. 83.
(g) ISBRANDI de DIEMERBROECK. op. omnia Vltraj. 1685. de peſte libro.
(h) In C. IVL. CAESARE.

valet *vitalis*, quam & *cardiacam* appellant, *indicatio*, seu, super medicamentis robur vitale augentibus consultatio. Adeoque vini generosi largitione publica ad recreandos pauperum animos & oblivionem periculi illis inducendam, aliqua ratione pestis progressum impediri posse, arbitror: Ad securitatem etiam & animorum fiduciam medicamenta faciunt publicę & ad communes usus proposita, quæ sudoris movendi effectum habeant, quandoquidem, ad leges febrium malignarum, alia ad salutem, quam sudoris, via nulla est. Præterquam enim, quod talis medicina generalibus morbi causis respondet, securitas etiam & timoris absentia, quam plebeji ex simili pharmaco consequuntur, magnum salutis conservandæ est auxilium, ut, si a superstitione recesseris, amuleta quoque, quibus de collo & pectore gestatis, & ex fragranti aromate mixtis, pia aliqua fraude, immunitas a morbo promitti posset, singularem ad terrores abigendos efficaciam sint editura. Eadem ex ratione, omnia, quæ animos percellere possunt, terriculamenta, semovenda sunt ex publico. Noctu efferantur mortui; Si quis in via publica concidit, quod evenire in atrociſſimis pestibus, referentibus, quos supra excitavimus, THVCYDIDE, LVCRETIO, OVIDIO, solet, subito deportetur ad nosocomium. Consulit equidem AGRICOLA (i) illos, qui cum pestiferis rem habent, quando per plateas ambulant, signo, quo ex longinquo discerni evitarique possint, describendos

(i) De peste libello. supr. alleg.

bendos esse, & THOMAS BARTHOL. larvam pingit horridam aspectu, qua induendi sint Loimoiatri (k). Enimvero ex isto spectaculo plus terroris quam securitatis esse, penes occursantes, RIVINVS (l) putat. Canes occidendos esse IOVBERTVS (m) autumat, quandoquidem ista animalia contagium ex domibus ad domus exportare posse dicuntur, id quod, si opinio vulgi hoc fert, efficiendum omnino ad obfirmandos animos esse, videtur; Etiamsi enim modum propagandi ignores contagii, negare tamen eventus possibilitatem haud possis, valentque in rebus vitam humanam attinentibus experimenta etiam, dummodo secura sint, levissima. Ad omnes quoque pertinet, inque *constitutione publica durante peste divulganda* moneri debet, qua ratione vestes suas sani instruere debeant: Præter enim, quod illas ad aëris tempestatem compositas esse oportet, cum, historiarum fide, omni anni tempore pestis oriri possit, sæpe etiam per annos duret, in ipsa materie vestium selectus aliquis esse debet: *Vestium* ait IOVBERTVS (n) *laudatur materia spissior textaque pressius, quia, quo minus cutem nostram subeat venenatus aër, prohibet. Conveniunt igitur ex coriis animalium confectæ, præsertim hircinis, tum quæ villos non habent, ut præter holosericum villutum germ.*

(k) Observ. Cent. V. Hist. 71
(l) de Peste Lipsiensi.
(m) LAVRENT. IOVBERT. de Peste Liber unus. Lugd. 1567. cap. XI. p. 63.
(n) Loco citato.

germ. Sammt, *ſericeæ omnes ac ex camelorum pilis textæ, his enim quum ſit lævis utrinque ſuperficies denſiorque contextus, aër venenatus haud facile excipitur, tenaciusve adhæret. His de cauſis veſtes pellibus ſubductas omnino improbamus, & quæ bombacem interjectum habent. Veſtibus ſuavis & ſalubris odor concilietur.* Alimenta præterea, tam potulenta quam eſculenta, optimi ſucci ſint, ſciantque opulentiores, in illa tempeſtate eos in pauperem quemvis, ne ex indigentia, funera cumulentur, eſſe debere liberaliores: Sunt equidem, qui balneorum uſum ad vias exanthematibus peſtilentialibus pandendas conducere putant, contrarium tamen videtur aliis, qui cutem introeunti miaſmati hac ratione aperiri æſtimant. Non autem videtur periculi quidpiam in balnei ex aromatibus olidisque herbis cocti uſu eſſe poſſe, cum conſultum ſit, vias ſudoribus, qui unica tunc ſalutis cauſa ſunt, aperire. Hinc balnea publica eo tempore inſtructiſſima eſſe oportere arbitror, dummodo concurſus languentium, qui morbi ſeminium jam conceperunt, quosque ex pallore faciei & torpore ſtatim dignoſcas, evitetur. Mundities viarum publicarum, templorum domuumque publicarum, in quibus magna hominum frequentia eſt, ut omnis abominationis occaſio abſit, ſervetur quam exquiſitiſſime. Si una vel altera domus infecta eſt, occludatur ocyus, habita tamen ægrotantium cura, aut illis in noſocomia exportatis.

§. 14.

§. 14.

Privatos, ipſamque ægrotantium curam quod attinet, illa equidem medicorum vel publica autoritate conſtitutorum vel ſponte militantium, arbitrio atque arti relinquitur, cautum tamen eſt, ne, qui inter ægrotos verſantur, ſalutis miniſtri, ſanos adoriantur, non, quod peſtem transferre poſſe putentur, ſed quod infirmis animo hominibus terrorem, morbi cauſam, afferre poſſint. Ipſos medentes, etiamſi illi Deo ſuæque arti confiſi, optimo vivendi regimine uſi, bonis præterea ſuccis ac viſceribus donati, ſecuri eſſe poſſint, nimia tamen audacia elatos & ita temerarios, eſſe haud decet, quo velint ſine præſidio atque cautela ad ægrotos accedere, cum & ipſi hoc fulmine feriri poſſint: Ita enim OVIDIVS ſupra:

Nec moderator adeſt, inque ipſos ſæva medentes
Erumpit clades, obſuntque autoribus artes.
Quo propior quisque eſt ſervitque fidelius ægros
In partem lethi citius venit:

Eadem providentia erga ſe ipſos ægrorum adminiſtri eſſe debent, ne una cum infirmis victitent aut cubent, licet fuerint, qui immunes abierint tunc maxime, ſi morbo antea tacti evaſerunt, bis enim, veluti eſt apud THVCYDIDEM morbus hominem non invadit, ut propterea conſultum ſit, illos potiſſimum ad ægrotantium atque funerum curam deligere, qui eluctati morbo jam ante fuerunt.

§. 15.

§. 15.

Mortuorum, durante turbulento iſthoc rerum ſtatu, in viventium gratiam, habenda cura eſt, ne inſepulta diu proſtent cadavera, quæ nec interdiu expôrtanda, nec ſpectaculo exponenda, ſed alta tellure defodienda ſunt, quorum etiam veſtes & utenſilia, præter metalla, quæ igne luſtrari poſſunt, comburuntur æquiſſime, ipſa domo deſerta manente, admiſſo interea undique aëre, hinc ſuffitibus diu multumque diffuſis: ut, ſi tibi, contagium aliquod materiale eſſe, perſuadere nolis, patiaris tamen nihil derogari ritibus, qui animos hominum pacare poſſunt: Repullulaſcit enim dira lues ſæpiſſime, vel, etiamſi funerum frequentia aliquantulum ſeſe remiſit, increbeſcit iterum, ut per plures annos duret, prout eſt apud LIVIVM (o), poſſetque magiſtratus, ſi conſuetudinum minus tenax, & de munditie domuum ferali um ſervanda minus curioſus fuerit, neglectæ argui providentiæ.

§. 16.

Quandoquidem generales vitæ leges eædem homini ſunt quam beſtiis, ideoque morbi quoque epidemici, animalium una viventium gregibus infenſi ſunt, easque devaſtant, quorum progreſſus, tam propterea quod ſuam hominibus peſtilentiam communicare poſſunt, quam, quod etiam pars bonorum ſunt, ſiſtere, inhoneſtum medici

(o) Hiſtor. Lib. 25. 26.

dicis neutiquam, quin maxime laudabile ac ſocietati humanæ proficuum eſt, ac ſalutare. Vniverſa Europa ſuperioribus annis experta eſt, quanta ſit virulentiæ iſtius, quæ cornigerum ruminantium animalium genus invaſerat, virulentia. Omnia, quæ peſti hominum, huic etiam boum morbo ſigna inſunt, *ſubitanea invaſio*, *celeritas progreſſus in mortem*, *in ſanitatem lenta reverſio*, *epidemica conſtitutio*, *& varia morbi ac mortis ratio.* Quasdam enim beſtias febris extinxit ardentiſſima, in parotidas ſeu tumores poſt aurem deſinens, quæ prima erat hujus epidemiæ per agrum Lipſienſem periodus, alias fluxus alvi contumax, fœtidiſſima fæce ac ſanguine mixta, abripuit; Angina, quæ faucium inflammatio eſt, perierunt plurimæ; Erat etiam ſub lingua tuberculum, quod in homine Hypoglottis, ſeu Ranula dicitur, hoc In ulcus rodens abivit & animal ſubito extinxit, ſuffocata ac peripneumoniis tacta corruebant quædam; ſi quæ convaleſcerent, fœda ſcabies illis toto corpore orta eſt, vel anthraces ſub cute apparuerunt: Equidem ad paſcuorum vitia & aquarum per prata ſtagnantium impuritatem, quas beſtiæ bibiſſent, relata morbi cauſa eſt, nec forte injuria, ſi epidemiæ illius primordia reſpicias, verum, poſtquam intellectum eſt, inter exquiſitiſſima pabula boves peſte illa tactos, omnique regimine ac providentia effectum nihil fuiſſe, aliam, quam quæ ex paſtu eſt, mali cauſam ſupponere par erat: Aërem, quo mediante maligna miaſmata ad ſtationes ſani pecoris translata

forte

forte eſſent, accuſare, longum foret, & ſublimius quam verius dictum aut utilius. Ergo ad duo potiſſimum momenta omnium, qui iſtius peſtilentiæ cauſas expoſuerunt, meditationes (p) reverſæ ſunt, ad humorum ſpontaneam, in virulentum quid, converſionem, & ad morbi, ex corporibus ad corpora migrans, contagium; Halitus ſane quidam tranſpiravit de ægrotantium peçorum corporibus, qui ſuam ſummo fœtore proderet virulentiam, adhæreret diverſi generis animalium ſuperficiei, & hominum veſtibus, ut fama eſſet, a canibus etiam, per vicos ad vicos migrantibus, propagatam hanc luem fuiſſe. Contagia morboſa aliqua abſoluta nocendi facultate non gaudent, ſed tunc maxime inficiunt, ſi quædam in animali adeſt ἑτοιμότης, & ad ſuſcipiendam luem promptitudo. Proinde etiam iſta peſtis in diverſa animantium genera haud ſæviit, cum ſingula ſuis affligantur contagiis (q), fœtor tamen ex mor-

(p) IOHAN. MARIAE LANCISII Diſſ. hiſtorica de bovilla peſte. Rom. 1715. 4. Mr. de SAVVAGES ſur la maladie des boeufs, a Montp. 1746. 4. Reflexion ſur la Maladie du gros betail par la Societé des Medecins de Geneve, a Geneve 1716. 12.

(q) Raro evenit Virgiliana omnibus animantibus peſtilentia:

Dira per incautum ſerpunt contagia vulgus
Non tam creber agens hiemem ruit æquore turbo
Quam multæ pecudum peſtes, nec ſingula morbi
Corpora corripiunt, ſed tota æſtate repente

Spem-

morbidis animalibus, fimi maxime putidiſſimus halitus, languores excitabat hominibus ipſis, qui beſtias curabant; Tentata eo tempore medicamenta fuerunt varia. Nihil ſane effectum eſt purgantibus, cum hiſce, animantium febre maligna oppreſſorum vires, plus magisque frangerentur; Venæ ſectio

Spemque gregemque ſimul cunctamque ab origine gentem.
Hic quondam morbo cœli miſerand coorta eſt
Tempeſtas, totoque autumni incanduit æſtu
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum
Corrupitque lacus: infecit pabula tabo

Alia peſtis ſingulæ animalium familiæ inſidiatur:

VIRGILIVS Georg. Libr. III. de peſte equina: v. 500. ſqq.

— — — demiſſæ aures, incertus ibidem,
Sudor & ille quidem morituris frigidus: aret
Pellis & ad tactum tractanti dura reſiſtit,
Hæc ante exitium primis dant ſigna diebus:
Sin in proceſſu cœpit crudeſcere morbus,
Tum vero ardentes oculi atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis, imaque longo
Ilia ſingultu tendunt, it naribus ater
Sanguis & obſeſſas fauces premit aſpera lingua

VIRGIL. ib v. 505. ſqq.

Ovibus ſcabies epidemica eſt:

Turpis oves tentat ſcabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum perſedit & horrida cano
Bruma gelu, vel cum tonſis inlotus adhæſit
Sudor, & hirſutæ ſecuerunt corpora vepres
Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magiſtri
Perfundunt, udisque aries in gurgite villis
Merſatur, miſſusque ſecundo defluit amne.

VIRGILIVS Georg. Lib. III. 441. ſeq.

ſectio ſub lingua juguloque; Ab initio multis

Profuit, incenſos æſtus avertere, & inter (r)
Ima ferire pedis ſalientem ſanguine venam.

Nocuit autem ſemper in morbi progreſſu. Præſtantiora erant, etiamſi nec in his multum auxilii eſſet, quæ ſudores moverent, pharmaca; Vini uſum laudavit VIRGILIVS (s):

Profuit inſertos latices infundere cornu
Lenæos, ea viſa ſalus morientibus una.

§. 17.

Magna ſane cum contentione omnes omnium provinciarum imperantes progreſſum mali impedire, conſtitutis hunc in finem legibus publicis, anniſi ſunt. Diſſecta fuerunt cadavera, cauſæ morbi inveniendi ſtudio; Interfui ſæpius, nec, quæ hanc epidemiam facere poſſet, labem deprehendi ullam alicui forte viſceri præ reliquis infenſam, ſed, pro morborum rationibus, mox omnia in gangrænam converſa erant, mox pulmo inflammatus, mox faucium immanis tumor aderat. Ex febre enim acuta deceſſerunt beſtiæ, veluti illam horror, extremorum frigus, lingua arida, ſummus angor, anxiusque anhelitus, ac ronchus, hinc gravidarum abortiones, lactisque evaneſcentia pecudes vaccas, ſatis ſuperque arguebant: Etiamſi autem cauſam morbi in ſuccis animantium eſſe intelligeremus, ob ſubitaneum tamen morbi progreſſum effici quidpiam ſalubriter haud potuit, hinc ad

(r) VIRG. Georg. Libr. III. v. 459. 460.
(s) Georg. Libr. III. v. 529. 530.

ad prophylaxin, quæ in communione ſanorum cum morbidis prohibenda verſaretur, unice convertenda cura fuit. Conſilium COLVMELLAE (t) bene ſtetit: *Confeſtim mutandus eſt cœli ſtatus, & in plures partes diſtributo pecore longinquæ regiones petendæ ſunt, atque ita ſegregandi a ſanis morbidi, ne quis interveniat, qui contagione cæteros labefaciat. Itaque cum ablegabuntur, in ea loca perducendi ſunt, quibus nullum impaſcitur pecus, ne adventu ſuo etiam illis tabem adferat;* Ipſorum hominum, qui cum morbidis pecoribus rem habebant, commercium evitabatur, quapropter in limitibus agrorum agebantur excubiæ: Canes occidebantur, ne, etiam in minimis, cura deficeret. Poſtquam, uti fieri in iſta calamitate ſolebat, deſerta peſtis reddidiſſet ſtabula, juſſum eſt, novo illa pavimento ſternere, novisque munire præſepiis, eademque igne ac fumo luſtrare, fimos in agrum haud educere, ſed concremare, & ſi quid aliud excogitari potuit, quod maligna, uti eſſe videbantur, ſuffocare poſſet miaſmata.

§. 18.

Hominum etiam ſanitati proſpiciendum iſta tempeſtate fuit; Proinde alta ſub tellure defoſſa cadavera, pellibus abſtractis, eviſcerata & minutim conciſa, condita fuerunt, perſpectum enim fuit, beſtiam, relicta illi cute, defoſſam per plures annos ſub terra duraſſe, nec tam abſumptam, quam

(t) L. IVNII MODERATI COLVMELLAE de re ruſtica L. VI. c. 5.

quam deſiccatam fuiſſe, ut metus eſſet, ne aliquando, ſi caſu recluſus ejusmodi eſſet tumulus, peſtis recrudeſceret: Defoſſæ tamen ſeorſim pelles fuere, cum eſſent ex coriariis, hic Lipſiæ, qui, cum animalis peſte extincti cutem degluberent, morbis affecti ſunt malignis, quibusdam ſubitanea morte, poſt nova, qualia in peſte eſſe ſolent, ſymptomata, abreptis. Præ cætetis autem cautum eſt, ne boves ad lanienam ducerentur, de morbo ſuſpecti, oportuitque linguam eorum inſpici, & alia ſanitatis ſigna recte conſiderari, ne terroris, ac abominationis, quæ morborum epidemicorum cauſæ ſunt ſæpiſſime, quædam naſceretur oportunitas, vel verum cum carne, morbidos ſuccos habente, venenum in macellis proſtaret.

CAP. V.

De Cura mortuorum.

§. 1.

In omni jurisprudentiæ parte quædam eſſe ſolet de mortuis commentatio; Hæc etiam, quæ politica eſt, & univerſam concernit Rempublicam, ad mortuos aliquando reſpicit. Equidem illud, quod funeris honorem attinet, argumentum ad medicos parum ſpectat, niſi forte illi in quæſtione de avtocheiris inhoneſto loco ſepeliendis conſuluntur, quos tunc, reddita ex morbo ratione, vindicant, id quod *Iuri Canonico* reſervatum

eſt; Verum, cum ad poſſibiles etiam caſus, licet rarius obvios, ſapientis ſit, proſpicere, ideoque intactum relinqui haud debebat, quod, fide hiſtoriarum, aliquoties factum eſſe conſtat, evenit fortaſſe etiam ſæpius, ignorantibus ac incuriis illis, qui ſuperſunt, neceſſariis ac amicis, ut mortuus viſus, ſub funeris ſpecie, vivens tamen, ſed luculenta vitæ ſigna externe haud exhibens, ſepeliatur, inque ſepulchro ad ſe revertens, miſerabili, ſi quod unquam eſt, fato, poſt immanes cruciatus, exſpiret. De illis, *qui elati revixerint*, PLINIVS (u) multa exempla excitat, *fœmineumque ſexum huic malo maxime opportunum eſſe*, ſcribit, narratque de fœmina, *quæ exanimis viſa, poſt ſeptem dies ad vitam revocata ſit*, cui ſimiles hiſtorias paſſim obſervatas commemorat FORTVNATVS FIDELIS (x). Notiſſima eſt, quæ celeberrimo Anatomico ANDREAE VESALIO luſa fuit tragœdia, ille enim, referente PAREO (y), cum ad nobilem mulierem, quæ ex hyſterico ſtrangulatu mortua credebatur, diſſecandam accerſitus eſſet, languide viventem mortuamque viſam, incautus vulneravit, nam ad alteram adactæ novaculæ impreſſionem excitata eſt, motuque ac clamore ſe vivam oſtendit.

§. 2.

Varii ſcilicet morbi ſunt, qui vivo homini mortis inducunt imaginem. Minimum exemplum *Lipothy-*

(u) Hiſt. nat. Libr. VII. 52.
(x) Relat. med. Libr. IV. c. 5.
(y) Oper. Libr. 24. c. 26.

Lipothymia eſt, vita hominis adeo imbecilla, ut, cum pallore faciei & labiorum, cum livore unguium, reſpiratione ad ſenſum nulla, pulſu haud perceptibili, quem ſtatum aſphyxiam, pulſus defectionem, nominant, actiones *animales* omnino, *vitales* majorem partem intercipiantur. Majoris exempli *ſyncope* eſt, qua detenti, per horas nulla vitæ ſigna edunt, dum, qui *Extaſi* tenentur, per dies, ſenſu motuque, pulſu etiam ac reſpiratione privati, omnibusque membris rigidi, procumbunt. Talis erat ægrotus HIPPOCRATIS (z), *qui ſomno correptus, nihil videbatur reſpirare, ſed mortuus eſſe: nihil ſentiebat, corpus erat extentum, vivebat tamen & excitatus eſt*, & AVICENNA, *aliquando accidit*, inquit (a), *ut homo apoplexiam incurrat, & non ſit differentia inter ipſum & mortuum, & non apparet in ipſo aliquid anhelitus, deinde reviviſcit & ſanatur.* Poteſt etiam affectu aliquo ſoporoſo, ſive ſponte, ſive ex mala medicina, qualis eſt opium & quodvis aliud medicamentum, quo ſtupor inducitur, motus humorum vitalis ita opprimi, ut vera mortis imago ſiſtatur, vivente tamen ægroto, quandoquidem ad vitam minimus, qualis *hirundinum ſub aquis per hyemem viventium eſt* (b), ſanguinis circulus, ejusque circa cerebrum & cor motus, ſufficit.

(z) Epidem. Libr. V.
(a) Libr. I. Fen. III. Tract. V. c. 12.
(b) IACOBI THEODORI KLEINII *Gedanenſis* Hiſtoriæ avium Prodromus. Lubecæ 1750. 4. de Hybernaculis hirundinum.

ficit. Qui ſanguinem ex vulnere, quod viſcus nobile ac vitale haud tetigit, fundunt, longa correpti ſyncope, mortuis jacent ſimillimi, manet tamen illis in truncis majoribus ſanguis ad formam vitæ, motum ſcilicet cordis ac ſpirituum ex cerebro, neceſſarius, ut credibile ſit, niſi vitæ ſuperſtitis notæ recte obſerventur, multos fortes milites, externam funeris ſpeciem habentes, inter mortuos ſepeliri, quos circumſpectio & miſericordia ſervare poterat. Qui laqueo aut ſub aquis ſuffocantur, ſi hiſtoriis fides eſt, aliquando reviviſcunt, certe HIPPOCRATES, illud ita fieri poſſe ſubinnuit, quando de ſtrangulatis ac apoplecticis ita habet: *τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων μηδέπω δὲ τεθνηκότων ἐκ ἀναφέρεσιν, οἷσιν ἂν ἀφρὸς ἢ περὶ τὸ στόμα. Qui ſuffocati ſunt aut reſoluti, nec dum tamen mortui, non ad ſe redeunt, ſi illis ſpuma ante os*, adeoque ſignum tradit, quo cognoſci quis, mortuusne vere ſit, an debili ſaltim ac oppreſſo ſpiritu vivat, poſſit, & verendum valde eſt, ne, quando peſte abrepti a veſpillonibus efferuntur, interſint vivi mortuis, quandoquidem inter dira peſtis ſymptomata *Carus* ac profunda eſſe ſolet ſomnolentia.

§. 3.

Quodſi ergo fuerint, qui celeri fato concidunt, veluti ſunt, fulmine tacti, apoplectici, hyſtericæ, ſoporoſi, capite afflicti, ſuffocati, largiendum aliquid expectationi omnino eſt, & ſigna, quæ mortem ſignificare poſſint, perpendenda ſunt curioſius.

Salſe,

Salſe, uti ſolet, PLINIVS, *innumerabilia mortis ſigna, ſalutis ſecuritatisque nulla ſunt.* Quamvis autem ita ſit, quo de morte dubium videatur nullum eſſe, ſi motus, ſenſus, reſpiratio, calor, pulſus, abeſt, adeſt autem pallor, livor, rigor artuum; Attamen illa ignorantiæ excuſatio, *non putaram*, hic etiam haud raro caſibus ab humanitate haud alienis intereſt. Proinde de veris mortis, quæ in motu cordis abolito conſiſtant, ſignis, a ſcopo alienum haud eſt, quædam exponere.

§. 4.

Sine reſpiratione ac aëris uſu nullum animal eſt, quod vivere poſſit, niſi illi ad reſpirationis carentiam cordis per naturam diſpoſita eſt fabrica: Illa enim animantia, quæ ſub aquis vitam degunt, ut quieti illis pulmones eſſe poſſint, poſſit tamen, illis in ſe collapſis, nihilo ſecius ſanguis per corpus progredi, non aliter ac embryones, ſine aëris uſu viventes, *canalem* habent *arteriosum*, qui pulmonalem atque magnam arteriam tubo communicante jungit, habent etiam *foramen ovale*, quod ſanguinem, intactis pulmonibus, ab anteriore cordis auricula ad poſteriorem transmittit. Hac lege vivunt omnia amphibia ac piſces pulmonibus reſpirantes. Verum homini nato, niſi pulmonum uſu, vivere haud licet, quapropter, ut pro mortuo habendus ſit, reſpiratio abeſſe penitus debet. Equidem AETIVS, pro tenui, quæ iſto tempore medentibus erat, rerum anatomicarum peritia, ſolo arteriarum motu vitam conſtare poſſe exiſtimat: *Quidam* inquit, *experiri volentes, an in*

aliqua uteri ſtrangulatione ſuperſit reſpiratio, lanam carptam naribus admovent, atque deinde ex lanæ motu colligunt, an aliqua inſpiratio vel exſpiratio reſtet; alii poculum aqua plenum ad os ventris ponunt, & intuentur, an aliquo motu aqua agitetur. Et profecto utrique ignorant, aliquando, ſublata penitus oris ac narium reſpiratione, ſupereſſe adhuc eam, quæ in toto corpore ab arteriis perficitur, id quod etiam in reptilibus contingere vidimus, hæc enim per totam hyemem, mortuis ſimillima, in cavernis latitant, per arterias tantum corporis reſpirantia (c). *Sic etiam in uteri ſtrangulatione fieri poteſt, ut, toto corpore frigefacto, oris ac narium reſpiratio intercidat, ſuperſit tamen ea, quæ ab arteriis fit.* Sed longe convenientius GALENVS, illas, quæ ſtrangulatu hyſterico mortuis ſimiles detinentur, in iſthac ſua apnoea, inperceptibilem exercere reſpirationem, docet, & ſolius diaphragmatis officio, quieſcentibus interco-ſtalibus muſculis, adeoque thorace immoto, aërem ducere, declarat (d). Ergo jubet, pilum renuemve lanam naribus hominis mortui viſi admovere, ut ex ejus motu actio pulmonum ſuperſtes intelligatur: Alii ſpeculum admovent ori ac naribus, ut, ſi in illo afflatum quempiam ac maculas adſpiciant, judicent, adhuc hominem reſpirare ac vivere.

§. 5.

(c) Τὸ ἀναπνεῖν, reſpirare, græcis de motu arteriarum ſæpe prædicatur.

(d) De difficult. reſp. Libr. 3.

§. 5.

Similiter ex pulſus defectione ad mortis certitudinem concludendum erit neutiquam, cum, arteriis, quæ ad pollicem viventi vibrant, haud commotis, trunci tamen majores vitalem motum exercere poſſint, tunc autem minime, ſi ex ſanguinis fluxione pulſus defecit. Proinde *arteriæ carotides*, quæ prope jugulum pulſant, ad experimentum vocandæ ſunt, quibus omnino quietis, nullo ſcilicet ad cerebrum progreſſo ſanguine, vitam ſupereſſe haud poſſe, arbitror.

§. 6.

Pallor, livor, frigus, ſi aſphyxiæ & apnoeæ junguntur, vix dubium de morte hominis ſupereſſe ſinunt. Enimvero, niſi his omnibus accedant putredo, & maculæ lividæ, quæ mortuis ineſſe ſolent, quas ſtigmata appellamus, ſatis cauſæ eſſe arbitror, quibus inducti medentes, ſepulturam, poſtulantibus amicis, differri patiantur, tunc maxime, ſi repentina morte, cum ſani eſſent, abrepti fuerunt homines, vel, ſi inter partus cruciatus mater defecit, deque aperiendo, fœtus ſervandi cauſa, ventre atque utero quæſtio movetur, quod ubi evenit, monet TEICHMEYERVS (e), omnia certæ mortis ſigna colligi oportere. Quamvis enim viva matre Cæſar exſcindi quoque poſſit tamen in morientе aut viribus orbata neutiquam, ſed vegeta illa & conſentiente, heroicum

(e) HERRMANN. FRIDERICI TEICHMEYERI Inſtit. Legales vel Forenſes, cap. III. p. 17.

roicum illud facinus ſuſcipiendum eſt. Quod quando ita eſt, ut de vera hominis morte oriri poſſit dubitatio, hoc quoque magiſtratus circa funera officium, ut ſepulturæ in mortibus ſubitaneis dies dicatur, vel medicorum, ſuper illa dubitatione, judicium poſtuletur, a me adductum fuiſſe, nemo criminabitur.

SECTIONIS SECVNDAE
de
MEDICO LEGVM INTERPRETE.
MEMBRI I.
DE QVAESTIONIBVS IVRIS CIVILIS.
CAP. I.
De Privilegiis uteri.

§. 1.

Hactenus de medico, ſecuritati omnium vel plurium famulante, actum fuit: Qua ratione ille ſingulis cauſam ſuam in foro perorantibus, poſtulante judice, & argumento quæſtionis ad artis leges revertente, utilis eſſe poſſit, diſpiciendum nunc eſt. Neque vero adeo infrequens eſt illa juris quæſtio, licet dubitationibus ſuper crimine puniendo motis, & in ſanctiore foro agitatis, frequentius intercurrat.

§. 2.

Mulieri utero gerenti, ſingularia, quod jurium inter-

interpretes norunt, jura conceſſa ſunt atque privilegia, tam, quæ excuſare illam & judicis favorem illi conciliare, quod præſentis loci haud eſt, quam, quæ facultates matri & naſcituro debitas, vindicare poſſint. Propterea, an graviditatem alleganti fœminæ fides habenda ſit, quæritur ſæpiſſime, varioque reſpectu illa movetur quæſtio. Veluti enim propter famæ diſpendium graviditatem diffitentur atque diſſimulant meretriculæ, ita, propter lucrum capiendum, ſe gravidas eſſe, mentiuntur atque ſimulant aliæ, mox dotis impetrandæ ſtudio, ſi viro legitimis nuptiis junctæ haud fuerunt, mox hæredis affectatione, aut calumniæ cauſa, ſi maritus vita exceſſit vel peregre abivit. Quotiescunque ergo de aſſertionis veritate dubitant, quorum fama vel fortuna hoc mendacio lædi poſſet, ex principiis artis medicæ prætextus, probabilitas aut veritas vel evincitur, vel confutatur.

§. 3.

Aſſerenti ſe gravidam eſſe, fides habenda eſt interea, donec aſſerti falſitas per ſufficientia, quæ ſtatum contrarium indicare poſſint, argumenta, ſignis fidelibus ſuperſtructa, arguatur, poſſuntque fœminæ impune eo usque mentiri, donec, temporis progreſſu, propter fœtus incrementum in utero, veritatis vel fictionis indubitata ex conditionum corporearum mutationibus neceſſariis haberi poſſit ſignificatio, niſi forte imprægnantis viri & conceptionem adducentis fœminæ ſingulares quædam conditiones adfuerint, quæ efficiant,

efficiant, ut ſtatim, ex quo aſſerta fuit matricis plenitudo, narrationem iſtam in dubium adduci oporteat, quandoquidem vel cauſa ſit remotiſſima, *ſi pluribus, quam graviditas durare per naturam poteſt, retro menſibus a defuncto conjuge ſe compreſſam eſſe vidua adducat, & temporis menſura relationi haud reſpondeat*, vel prorſus inepta, & adductos effectus edere haud valens, *quodſi ætas ejus, qui impregnaſſe dicitur, & illius, quæ utero ſe gerere innuit, & utriusque ſtatus aliquis præternaturalis ac morboſus, facti poſſibilitatem deſtruit atque evertit.* Tunc enim, rationibus ex natura hominis adductis, judex, ſtatim ex quo narrare fabulam mulier inſtituit, accuſationis vel declarationis nullitatem percipiet. Quodſi autem vel tempus a natura partui humano deſtinatum, nondum effluxit, vel mariti atque proci ætas ſtatusque ſanitatis aſſerto reſpondent, nulla ſane cauſa eſt, propter quam quæſtionem audiri haud oporteat.

§. 4.

Sunt ergo in ſimilibus caſibus varia argumenta, in utramque partem, & aſſerentium & negantium, militantia. Ne autem quæſtionum diverſi argumenti oriatur confuſio, nunc equidem, quas ſtuprator aut zelotypus ex ſe ipſo ſuaque infirmitate allegare poſſet rationes, quapropter impregnaſſe dici nequeat, non attingam, ne ſua titulo *de impotentia conjugum* præripiatur materies, ſed illud argumentum nunc in quæſtione eſſe debet, an adducta graviditas; ex rationibus ad

ſolum

ſolum uterum revertentibus, anceps certane ſit; Adeoque circa duo potiſſimum momenta controverſiæ hujus cardo vertitur: aut enim ſignorum, quæ pro graviditate allegantur, valor examini ſubjicitur, aut, etiam ſi ſigna adfuerint, quibus uteri plenitudo arguitur, quousque expectationi & indulgentiæ locus concedendus ſit, diſquiritur, ut, etiamſi eventus opinioni non ſtatim & intra ordinatum terminum reſpondeat, tamen illa, per decurſum temporis longiſſimi, graviditatibus per leges naturales atque civiles deſtinati, prætenſio confutetur penitusque diluatur.

§. 5.

Signa, quæ aſſerto mulieris graviditatem allegantis aliquam veritatis ſpeciem inducere poſſunt, habentur eadem, quam quæ fœminam convincunt, quodſi illa partum coelat, neque alia utrinque intercedit differentia, quam quod diverſa in diverſis hiſce caſibus ſignorum ſit uſurpatio. Omnes enim conditiones, quæ ex vitali matricis plenitudine in fœmina naſcuntur, quandoquidem ex morbo quoque oriri poſſunt, utroque modo accipi ſolent, ut graviditatem negan-ti fiant argumenta *dubitandi*, quando, quæ ſpeciem graviditatis habere vult, illis tanquam argumentis *decidendi* utitur. Quæ fœtum diffitetur, *quamvis* inquiet, menſes mihi deficiant, venter intumeſcat, liquor lacti ſimilis intra mammas ſit, manus etiam abdomini admota aliquid ſubeſſe deprehendat, quod motum ſpontaneum exerceat, ut propterea gravida eſſe videri poſſim,

atta-

attamen, cum hi effectus ex morbosa aliqua plenitudine uteri similiter consequi possint, me utero gerere convinci propterea haud potero: Ast, cui interest, ut fœtum utero gerat, & graviditatis speciem affectat, quoniam ergo, *ait*, fluxus muliebris quibusdam retro mensibus substitit, mihique nulla sanitatis noxa exinde orta est, quoniam venter turget, mammæ tument, motum aliquem rei animatæ intra abdomen experior, quem aliæ etiam adspectu tactuque percipiunt, ergo graviditatem mentiri non videbor.

§. 6.

Veluti de modo fœminas in graviditatis suspicionem adductas convincendi dictum, deque valore horum argumentorum actum alibi est, ita tamen non desunt, quæ illorum fidem subsistam reddere possint, dubitationes, propter quas mulierem, jura uteri pleni postulantem, audiri haud oportere, causarum patroni prætendunt. Præterquam enim, quod propterea frivolus graviditatis prætextus videri posset, quoniam illius ætatis forte fœmina est, cum qua impræguatio stare non possit, dum quinquagenaria major est, quam, propter catameniorum defectionem naturalem, facultas fœtum concipiendi deseruerit, præter etiam, quam quod sterilitas, quæ vivente marito prolis spem interceperat, assertionem impræguationis ante conjugis mortem factæ, suspectam reddere possit, forte etiam ipsius defuncti conjugis facultates corporeæ dubium supersesinant, verane an ficta sit graviditas;

Sunt

Sunt etiam in ipſis hiſce ſignis, quæ vitalem uteri plenitudinem aſſerere poſſe videbuntur, vel falſitatis atque callidæ ſimulationis, vel opinionis certe dubiis apparitionibus ſuperſtructæ, argumenta. Quamvis enim non neganda ſit imprægnationis factæ posſibilitas, quando ætas utriusque perſonæ in quæſtionem adductæ reſpondet, nec morbus, vel quædam organorum ineptitudo adſunt, quamvis etiam ſpecioſus ille ſit, qui ex tumore ventris, recenter ſenſimque orto, ex motu fœtus putati, ex mammis lacte turgidis ſumitur, titulus, attamen plena quædam convictio exinde haud procedit, ſed quædam ſaltim opinio, eo ad veritatem propius accedens, quo major ſignis in fœmina deprehenſis, cum veris atque ſinceris gravidarum conditionibus ſimilitudo intercedit, ut propterea aſſerto fides habenda omnino ſit, donec, temporis lapſu res ſponte eluceſcat.

§. 7.

Eſt ſane ſtatus aliquis fœminarum, in quo ſi fuerint, ſibi ipſis perſuadere, prolis ſpem nullam ſubeſſe, nequeunt, dum ſimiles illis, quas uterum gerentes experiuntur, mutationes ſibi eveniſſe, ipſæ ex ſenſu aliquo interno, qualis prægnantibus eſſe ſolet, percipiunt; Non enim tantum uteri molem ſibi ſuccreſcere ſentiunt, ſed & lactis aliquando ſpeciem in mammis alunt, etiamſi ea ætate fuerint, qua fœtus concipi frequens adeo haud eſt. Teſtem aſſerti habemus antiquiſſimum, ARISTOTELEM, *qui, mulieribus quibusdam natu majoribus ſuctu lac prodiiſſe tanta copia*

copia, ut infantem enutrire potuerint (f), memoriæ prodidit, cui ſubſcribunt recentiores AMATVS LVSITANVS (g), & ISBRANDVS DIEMERBROECK (h), atque alii, penes quos, vetulas ſexageſimo anno majores lac nutriiſſe, legas. Maxima autem graviditatis ſimilitudo illis eſt, quæ corpus peregrinum haud animatum, quod mola dicitur, utero gerunt, quando, mox hydatidas, veſiculas ſcilicet limpida aqua turgidas, easque plurimas, circa ovaria inque ipſo uteri cavo gerunt, mox materiem aliam folliculo incluſam, *atheromatis*, *ſteatomatis*, *aut meliceridis* ſpecie, ventre alunt, mox aquas utero collectas, quo ille vehementer diſtenditur, circumferunt; Hi quidem matricum tumores, cum morbus ſint, & ſymptomata, qualia hydropicis eſſe ſolent, ſecum afferant, inducere nullam poterunt, ut credat, ſe gravidam eſſe, nec aliis hac ſua ſpecie facile imponet fœmina; Vitalem hanc uteri plenitudinem haud eſſe, ſigna declarant, quæ deſcribuntur ab HIPPOCRATE (i): *Si hydrops in utero oboriatur, menſes pauciores & deteriores fluunt, deinde repente deficiunt, venter intumeſcit, mammæ ſiccæ evadunt, & in reliquis mulier male ſeſe habet, καὶ δοκέει ἐν γαστρὶ ἔχειν, & ſpeciem fœminæ utero gerentis præ ſe fert*: & alibi: *uterus plenus inſtar gravidæ, nihil autem movetur in utero, nec lac in mammis*

(f) Hiſt. Animal. Lib. III. c. XV.
(g) Curat. medicinal. Cent. I. Cur. XLVII.
(h) In operibus medicis & anatomicis, p. 248.
(i) De morb. mulier.

mammis generatur. Eſt autem quædam molæ ſpecies, quæ carne fungoſa, mox uterum replente, mox ejus ſubſtantiam vehementer diſtendente, conſiſtit (k). Hæc maxime, graviditatis imaginem exhibet, quandoquidem illi intercurrunt motus ſpaſtici, fœtus in utero converſionem imitantes. *Augetur perinde, ac ſi fœtus includeretur. Ad hæc, temporis progreſſu, incrementum tumorque ventri accedit, & ſimpliciores ſe decipi patiuntur,* τῷ γὰρ ἐμπλέειν, τῇ μήτρᾳ καί τινα ψένδη φαντασίαν δίδωσι κυήσεως: *eo enim, dum implet, matrici falſam imaginem dat graviditatis.* Ita quoque PAVLVS AEGINETA de mola refert (l): Et nequid deſit naturæ ludibrio, lac etiam in mammis gignitur, veluti refert IOHANNES COSTAEVS (m).

§. 8.

Specioſiſſimus adeoque aliquis allegatæ graviditatis eſſe poteſt titulus, ſive honeſtæ matronæ ſibi illud ob ſignorum antea adductorum evidentiam perſuadeant, nec turpis prætextus cauſa ſit, ſive impoſturæ ſuſpicio ſubſit; Sunt enim, quæ turgidulum ſua natura ventrem gerunt, poſſuntque illæ hoc prætextu, ad ſimulandam graviditatem, uti. Deinde lac ſibi generare didicerunt vaferrimæ mulieres, dum frequente ſuctu naturam irritant,

(k) ARETAEVS Libr. I. de morbis, c. 56.

(l) Libr. 3. 69.

(m) Annot. ad AVICENNAE Fen. XII. Lib. III. cap. 3.

tant, & ſanguinem ſibi in mammas convocant, qua ratione virgo illa apud PHILIPPVM SALMVTH (n), lac, inſcia ac non advertens, ſibi comparavit, poſtquam, cum infantulo in eodem lecto dormire ſolita, illum ad ubera identidem admovere conſuevit, ex quo aſſiduo ſuctu lac aggregari cœpit, ut infantem deinde lactare poſſet; deinde urticarum etiam uſu mollique frictione, prurientes mammillas ad lactis officium multæ invitant: Proinde ſæpe ita ſpecioſa fraus eſt, vel ea eſt opinionis ad veritatem propinquitas, ut ſola expectatio temporisque decurſus dubitationem ſolvere poſſint; licet enim inter plenitudinem uteri vitalem illamque morboſam magna intercedat diverſitas, quam contactus etiam & viſus æſtimare poſſunt, quapropter ventres, ad enodandam quæſtionem iſtam, inſpici legislator juſſerit; licet etiam contactus orificii uteri interni ejusque forma, quod obſtetricum eſt, veram graviditatem clare doceant, motus quoque, quem infantes edunt ſint molles ac articulati, dum illi ſpaſtici a falſo germine orti duri ſunt, renitentes, ac convulſivi; Tantus tamen eſt uteri ubique favor, ut fœminæ ſe gravidam, ſub ſignorum quorundam patrocinio, profitenti fides denegari omnino nequeat.

§. 9.

Quousque ergo graviditatis ſpeciem præ ſe ferre, & interea juribus ac privilegiis uteri frui vidua, &

(n) Obſ. Cent. I. Obſ. 92.

& quousque, quæſtione generalius inſtituta, fœtus in utero perſiſtere poſſit, ut fidem mereatur mulier, quod ſi, ſe a proco vel marito nunc abſente imprægnatam eſſe, aſſerat, diſpiciendum nunc tempusque definienduin eſt, ultra quod durare embryones in matrice nequeunt, ut, ſi illud nunc efluxerit, graviditatis prætextum ceſſare oporteat. Homini certum aliquod, quo perſiſtendum illi in utero materno eſt, tempus tributum haud eſſe, primus Autor fuit HIPPOCRATES, cujus autoritate ſeptimeſtrem & illegitimis nuptiis forte genitum, hinc ſerius natam ſobolem leges exculant, ita enim COVS: (o) *Homini varium omnino naſcendi tempus eſt, nec omnes in æquali temporis ſpatio fœtus perficiuntur, ſed alii citius, alii tardius naſcuntur.* Ad HIPPOCRATIS mentem PLATO (p) eandem ſententiam amplexus eſt, & ARISTOTELES ita ſcribit (q): *Cum cætera animalia omnia ſingulari ac ſimplici modo partum ſuum perficiant, unum enim tempus pariendi ſtatutum omnibus eſt, homini uni multiplex datum fuit:* Aſſentit PLINIVS (r) *cæteris* inquit *animantibus ſtatum & pariendi & fœtum gerendi tempus eſt, homo toto anno & incerto gignitur ſpatio.* Similis eſt AVLI GELLII (s) & GALENI (t) ſen-

(o) Libr. I. de diæta.
(p) Libr. V. de Republica.
(q) Hiſt. Animal. Libr. 7. c. 4. & de Generat. Animal. Libr. IV. c. 4.
(r) Hiſt. Nat. Libr. VII. c. 5.
(s) Noct. Attic. Libr. III. c. 16.
(t) De diebus decretoriis, Libr. 2.

ſententia. Quoniam autem, in factis certæ naturæ legi adſcriptis, nec ſanctionibus & præjudiciis fori, nec autoritatibus militandum eſt, ideoque, ſub quibus conditionibus in longum protrahi naſcendi terminus fœtui poſſit, quousque ergo ſuum utero jus cuſtodiri oporteat, dicam.

§. 10.

Certum omnino atque definitum tempus, intra quod fœtus perficiantur, tam homini, quam ſingulo animantium generi, datum eſt, illudque vel longius vel brevius, uti grandius vivaciusque animal fuerit. Maximum inter reliqua & robore excellentius animal Elephas, ſeſquiannum perficiendæ fœturæ inſumit (u). Equinum genus circa finem undecimi menſis aut primis duodecimi menſis diebus parit: Ruminantia, uti volumine corporis excellunt, ita diverſo tempore fœtus emittunt: Vacca, cerva, noni menſis finem, oves, capræ, ſextum menſem graviditatis ſuæ terminum obtinent: Vrſa intra ſeptimum menſem, Leæna ſub ſexti finem, Tigris ante illum, vigeſima ſecunda, uti obſervatum eſt, ſeptimana, quinto menſe exeunte ſcrofa, fœturas enituntur. Canes tres menſes, totidemque Lupi atque Vulpes, Feles ſupra duos menſes ſeptimanam, Lepores & Cuniculi menſem unum, Mures forte tres ſeptimanas fœtui abſolvendo impendent, veluti illæ naturæ leges ab hiſtoriæ naturalis autoribus tam veteribus, ARISTOTELE, AELIANO, quam recentioribus, HARVAEO, ALDRO-

(u) GEORG. CHRISTOPH PETRI ab HARTENFELS Elephantogr. curioſa c. XI.

ALDROVANDO, GESNERO, IONSTONO, aliisque, obſervatæ fuerunt quam ſtudioſiſſime.

§. II.

Homini partus terminus, poſt decurſum novem menſium ſolarium cum decem ad ſummum quindecimve diebus, vel poſt exitum triginta novem ad ſummum quadraginta ſeptimanarum, ex quo matres conceperunt, ſcriptus eſt. Quidam veterum ad menſes lunares prægnantiæ durationem æſtimant, quorum decimus uterum onere ſuo levat, poſtquam bis centum atque octoginta vicibus ſol oriens occiduusque factus eſt: Veteribus poëtis maxime ita numerare, in moribus eſt; Ita VIRGILIVS definit (x):

Matri longa decem tulerant faſtidia menſes

Et OVIDIVS, excurrente decimo menſe a marito defuncto, gravidam porro haud exiſtimari viduam putat, atque hoc ipſo calculum partus ad menſes lunares æſtimat

Per totidem menſes a funere conjugis, uxor
Suſtinet in viduo triſtia ſigna domo (y).

Græcos tamen ad rationes menſium ſolarium graviditatis numeros exegiſſe, ARETAEVS docet, qui de mola agens, qua deceptæ fœminæ ſe gravidas eſſe exiſtiment, ἂν δ' ὑπερβῇ ait, τὸν ἐννάμηνον χρόνον, πλάνης μὲν ὧδε ἀπήλλαξεν, ἐκίτι δὲ πάθος τὴν κάμνουσαν, *quodſi tranſcenderit noni menſis tempus, errore quidem,*

(x) Ecloga IV.

(y) Libr. I. Faſtor. cap. 2. v. 9.

neutiquam autem morbo liberam reddit laborantem (z).

§. 12.

Quocunque autem modo quis prægnantiæ durationem ſibi ſiſtere velit, certum eſt, ultra CCLXXII. dies, ſalvis matre vel fœtu, partum differri haud ſolere, ſi exemplorum multitudo, quæ leges naturæ explicat atque conſtituit, conſulitur. Poſſet tamen aliquid cauſæ ſubeſſe, propter quam partum ad decimi menſis finem differri oporteat. HIPPOCRATES ſane, qui ad rationes menſium ſolarium computat, decimum menſem terminum geſtationis ſtatuit longiſſimum, largitur tamen etiam intra undecimum legitimos naſci (a), ad cujus mentem hodienum juris Germanici eſt, excuſare viduas, quodſi, a morte mariti gravidæ, ſupra noni menſis finem partum differunt, & poſſeſſionem illis leges ad undecimi usque menſis primordium tuentur atque conſervant, quamvis HIPPOCRATIS calculus illi ſententiæ haud faveat; ille enim menſes lunares, XXVII. diebus horisque VIII. conſtantes, ſuæ computationis legem adoptavit, quod exinde clarum eſſe arbitror, quando, ubi menſes ad dierum numeros exigit, mulieres bis centum & octoginta dies quandoque comprehendere, ſæpe undecimum menſem attingere, pronuntiat (b); æquantur autem CCLXXX. dies decem menſi-

(z) ACTVARIVS *περὶ διαγν. παθ.* Lib. I. c. 56.
(a) Libro de partu ſeptimeſtri.
(b) De octimeſtri partu circa finem.

menſibus lunaribus ac tredecim diebus, ſeu novem menſibus ſolaribus, cum decem dierum exceſſu (c).

§. 13.

Impoſſibile ſane aut a natura alienum haud eſt, embryones aliquanto longius in utero materno quandoque detineri, neceſſitate phyſica compulſos, quandoquidem illis cauſæ quidpiam obeſſe potuit, quo minus vires ad vitam in aëre celebrandam, intra ſcriptum plurimis terminum acquirerent, ut propterea neutiquam præjudicio legis, quod in rebus naturam hominis attinentibus nihil innovare valet, cum IMPERATOR *l. 12. L. 13. C. de poſthumis hered. inſtit.* decimum menſem viduis largitus ſit, ſed neceſſitate aliqua mechanica fieri poſſit ſoleatque, quo partus ad undecimi menſis principium differatur, cujus rei exemplum fide dignum, etiamſi ab illis AVLI GELLII (d) diſceſſeris, eſt celebris ille medicus PETRVS APONENSIS, qui undecimo ſe menſe natum eſſe, profitetur (e).

§. 14.

Liberaliores quandoque ſunt Iudices, medicorum ſententiis ſuffulti, & duodecimum menſem attingere fœtum, donec naſcatur, poſſe, largi-

 untur.

(c) Controverſiam, an HIPPOCRATES ſecundum lunares, an ſolares, partus terminos æſtimaverit, agitat HENNING. ARNISAEVS de partus humani legitimis terminis. Francof. 1641. 12.

(d) Noct. Att. Libr. 3. c. 1.

(e) Conciliator different. Differ. 49.

untur. Talem partum Facultates medicæ, LIPSIENSIS atque GIESSENSIS, referente AMMANNO in Medicina Critica (f), atque VALENTINI in Pandectis medico legalibus (g), de fraude ſuſpectum non eſſe, exiſtimaverunt, & PLINIVS (h), qui *L. Papyrium prætorem bonorum poſſeſſionem dediſſe refert, cum mater partum ſe tredecim menſium diceret tuliſſe.* PLVTARCHVS (i) duodecim menſibus geſtari uterum poſſe ſcribit: Neque etiam deſunt hiſtoriæ, quæ, fœminas decimo quarto & pluribus poſt conceptum menſibus peperiſſe, memoriæ tradiderunt. Sed falſas iſtas fœminas fuiſſe arbitror, quoniam, cum maritis junctæ eſſent, inanem graviditatis opinionem habuiſſe & juſto termino concepiſſe, putandæ ſint, ita enim in longum haud extendi poteſt naſcendi terminus (k); mortuos tamen paucorum menſium fœtus intra uteros manſiſſe, ibidemque induruiſſe, hiſtorica fide conſtat (l).

§. 15.

Cum adeoque poſſibile ſit, ad undecimi menſis principium partum differri, cauſas, quæ incrementum fœtus ejusque ad maturitatis culmen progreſſionem cohibent, adduci fas eſt. Natura

(f) Caſu XLIV.
(g) Part I. Sect. 2. ad Caſ. 36. 37. p. 143. 146.
(h) Hiſt. Nat. Libr. VII. c. 5.
(i) De Hiſt. Phil.
(k) Extant caſus apud SENNERTVM, SALMVTH, SCHENCKIVM aliosque obſervatores.
(l) HENRICVS EYSONIVS de fœtu lapidefacto, *Groningæ* 1661. 12.

ra ſui juris eſt, nec ad leges humanas componitur, aut ſemper ex formula reſpondet; modo properat, modo vota præcurrit, modo lenta eſt, & remoratur. Quando autem naturam eventuum corporeorum effectricem nominamus, aliud quidpiam, quam cauſarum ad efficiendas aliquas mutationes, nexum atque efficaciam, in mente haud habemus. Atque illæ cauſæ, partus ſub finem noni menſis neceſſitatem facientes, cum ſint, infantis moles atque ſtatura eo aucta, ut ſuo volumine uterum ad actum pariendi laceſſiat, ipſiusque uteri determinata, ultra quam extendi nequit, ductilitas, ideoque fieri omnino poteſt, quo, veluti in illo caſu AMMANNI a Facultate medica Lipſienſi in favorem viduæ deciſo, factum eſt, quo morbo detenta mater atque ipſe fœtus, communi cum matre ægritudine correptus, impedimento ſint, ne infans ſub finem exeuntis menſis noni decemque dierum naſcatur. Lentum enim fœtus incrementum eſſe quandoque poteſt, ut ille ſuo pondere matricem haud affligat, & ipſe quoque organa ad vitam in aëre transigendam requiſita ſatis nondum obfirmaverit. Vterus enim, ait GALENVS (m), *aliter nunquam fœtum expellit, niſi ab eo moleſte afficiatur.* Vt adeoque fidem mereatur mulier, ejusque aſſertio veri ſimilitudinem habeat, æquum omnino eſt, teſtium fide conſtare, an & quali, quamque acri morbo, durante graviditate, afflicta fuerit, an illam gravis ex morte vel abſentia mariti luctus

(m) De natur. Facult. 12.

afflixerit, an offenſa ſanguinem profuderit, hinc illi abortus prope fuerit, qua ætate, quo morbo maritus defunctus ſit, vt ſub hiſce conditionibus, ob virium matris fœtusque jacturam, naturæ opus tardius procedere oportuiſſe, conſtet.

CAP. II.

De partu legitimo.

§. I.

Potuiſſet illa altera, quam nunc movebimus, de partu ſeptimeſtri legitimo, controverſia, præcedenti ſubeſſe capiti, cum & in hoc caſu, propter honorem matrimonii, favori uterorum haud parum tribuatur, ut ſeptimo menſe a ſponſalitiis ſolemniter contractis, naſci legitimus poſſe dicatur; Verum, cum de illorum quoque partuum, qui conveniente tempore naſcuntur, ſtatu civili eorumque juribus, an legitimi ſint, quæſtiones moveri ſoleant, arbitratus ſum, omnes iſtos fœtus, quorum privilegia, quando in lucem editi ſunt, in dubium vocantur, ſub idea illegitimi partus ſtare poſſe. Omne enim illud videtur illegitimum, cui leges haud favent, atque illi partem bonorum, aliaque privilegia in civitate a legitimis tantum obtinenda, denegant. Poſſunt adeoque ſub idea illegitimi partus ſtare varii, quibus aliqua conditio ad poſſeſſionem neceſſaria deeſt, & talis quidem, de qua medicus ſecundum artis ſuæ princi-

principia judicare poſſit. Poterunt adeoque ſequentes de illegitimis quæſtiones proponi:

An ſeptimo menſe natus cenſendus ſit legitimis conceptus nuptiis?

An vivus natus ſit, defuncta in partu antea matre, potueritque ille, hæreditatem transtuliſſe, videri?

An, qui vulnere abdominis extractus eſt cæſo, poſſit legitime natus dici, ut, ſi vixit, ejus hæres pater fiat?

An monſtroſus partus ſit in poſſeſſione vindicandus?

An dubii ſexus fœtus poſſidere bona valeat, ſitque propterea legitimus?

An, qui natus eſt, ſit uterina ſoboles, an ſuppoſita, poſitque ex gemellis, priore defuncto, naſci ſero alius?

An gemellorum alter primogenitus recte dicatur?

§. 2.

Veluti lenta fœtuum incrementa quandoque ſunt, ut temporis aliquantulum plus ad ſui perfectionem requirant, ita celerior aliquando eorum, ad complementum roboris vitalis, progreſſio eſſe perhibetur, ut ſeptimo, ex quo geniti fuerunt, menſe, naſci poſſint, organis intra breve tempus ad vitam in aëre ducendam adaptatis. Felix aliquod autoritatis præjudicium cauſæ debili magnum comparavit patrocinium, ut fama novellorum conjugum ipſiusque naſcentis exiſtimatio,

matio ſalva ſit, legum indulgentia, quæ, ſeptimo menſe legitimos naſci poſſe, ſanciverunt.

§. 3.

Id quod quando ab HIPPOCRATE, primo hujus ſententiæ autore, ita fieri poſſe, ſtatutum, ab omni antiquitate, ARISTOTELE, PLINIO, AVLO GELLIO, GALENO, agnitum, & a legislatoribus normæ loco adoptatum eſt, aliter tamen, quam ipſe COVS effatus eſt, accipi plerumqne ſolet, ut, fœtum robuſtum, omnibus membris obfirmatum, illi ſimilem, qui ſub finem noni menſis ſolaris utero exit, ad initium ſeptimi menſis, exeunte die ſupra centeſimum atque octogeſimum ſecundo, ſeu expleto anni poſt celebratas nuptias dimidio, naſci ſine opprobrio poſſe, exiſtiment. Quamvis enim vigor parentum, robur maxime matris allegari, excuſationis cauſa, ſoleat, ipſius quoque fœtus incrementum præcox a natura haud alienum ſit, cum illud in adoleſcente homine ſimiliter obſervetur ſæpius, quo ille & corporis & animi dotibus ætatem prævertere obſervetur; ea tamen celeritate intra adductum tempus vis vitæ matris, ſobolem, ad debitam, qua plurimi naſcuntur, ſaturam evehere nequit, ut, ſi nonimeſtri ſimilis in lucem prodeat, dubium pudoris læſi nullum ſupereſſe poſſit. Interea favor matrimonii hoc ſecum affert, ut, niſi forte maritus zelotypus, maturius natum, ſuum eſſe neget, quacunque corporis ſpecie, tenui ne ac infirma, an robuſta

ſta ac plena ille naſcatur, ad diſputationem rarius deducatur quæſtio.

§. 4.

Illa autem, quæ partum vitalem, bona poſſidere ac in alios transferre valentem, attinet, ſæpius agitatur quæſtio, inque dubitatione eſt, an partus, cum naſceretur, talis fuerit, qui ſupereſſe atque adoleſcere potuerit. Illi enim, qui plena vivendi fiducia naſcitur, jus poſſeſſionem adeundi leges tribuunt, aliis hoc privilegium etiam partui largientibus, qui nulla porro vivendi facultate lucem adſpicit, dummodo vixerit. Proinde, quo tempore opus ſit, ut vim ad vitæ poſt partum agendæ leges neceſſariam in utero acquirat embryo, diſpiciendum eſt.

§. 5.

Vt, qui in utero vitam cum matre communem egit, ſua propria virtute ſubſiſtere poſſit infans, opus eſt, quo ejus viſcera, hactenus ad peregrini ac materni ſanguinis per venam umbilicalem adducti adminiſtrationem, adeoque ad ſingulares omnino leges diſpoſita, mutentur &, tam ad victum, quam ad circuitum ſanguinis novum, atque ab illo priore diverſum, diſponantur. Veluti ergo in omnibus partium ſolidarum penes embryonem mutationibus, ac ad majus robur ac ſoliditatem requiſitam progreſſionibus, ordinatum naturæ opus eſt, prout ex oſſium fœtus determinata ad ſingulos menſes majore majoreque ſubinde induratione quilibet cognoſcit, ita quilibet facile quoque intelligit, præcox aliquod embryonis incremen-

tum

tum haud esse, & intra septem menses illud perfici, quod intra novem perficiendum erat, per naturam non posse.

§. 6.

Quando corpora animata ad stabiliti incrementi culmen procedunt, illorum quoque vires, lento augmento, in majus majusque subinde provehuntur; ideoque tempus aliquod determinatum est, quod fœtui vel summam aliquam perfectionem, vel sufficiens certe ad vitam in aëre transigendam robur affert: Negandum adeoque neutiquam est, cum exempla loquantur, septimestres vitales nasci, atque ex illis haud paucos, licet languide vivant, superesse, & debita providentia ad vitam continuandam enutriri, illosque partem Reipublicæ constituere, ut propterea deneganda illis jura, quæ civi competunt, nequeant.

§. 7.

Duplex septimestri partui, ut vitalis esse censeatur, nascendi terminus, legibus supra autoritatem HIPPOCRATIS fundatis, stabilitur; alter brevior est, centum & octoginta duobus diebus æstimatus, & cum septimi mensis primordio aut dimidii anni fine coincidit, ita ad mentem COI VLPIANVS *l.* 3. §. *fin. de suis & legitimis: non videtur in servitute natum, cujus mater CLXXXII. dies manumissa est*, alter plenior, bis centum atque quatuor vel decem diebus par est (n), & menses solares seu tricenarios septem absolutos involvit. Antiqui medici æque ac Philosophi ex

(n) De partu septimestri libro.

ex numerorum pythagoræorum rationibus ducebant calculum, ut, quoniam ſeptima vice quadrageſimus dies abſolutum fœtum efficiat, ſimiliter quoque ſeptimus tricenarius vivendi robur largiri poſſit. Sed parum valent numeri, niſi naturæ leges reſpondent. Adeoque, cum ſeptimeſtres, ſe ſitis vegetos eſſe, motu illo, cujus ſenſum intra matricem atque humores ſibi circumfluentes matri imprimunt, commonſtrant, ſufficientes quoque ad thoracis, pro inſpiratione celebranda, motum, ad ſuctionem lactis, ad deglutitionem, ad alimenti digeſtionem, facultates habere, cenſentur.

§. 8.

Vt autem aſſertò parentum fides haberi poſſit, ſignis opus eſt, quæ imperfectionem aliquam infantulo ineſſe, quo præmaturus dici poſſit, indicent. Mater morbos, aut cauſas externas, quæ nexum placentæ cum utero ſolvere potuerint, allegabit, inque ipſò recens nato imbecillitatis argumenta apparebunt. Plus illi hiatus Rhomboidalis diſtat, oſſa bregmatis ad futuræ longitudinalis limites perfecte haud coeunt. Tenerrima illi cuticula eſt, ad os & auriculas ſubcruenta viſa, dormibundus jacet, mammis admotus parum ſugit, vagitus edit nullos vel debiles, capillitio vertex deſtituitur, membraneis nec induratis unguiculis digitorum ſummitates inducuntur (o). Interea pro vita ſuſtinenda ſufficienter inſpirant, & tenuia ſorbillant juſcula, ut, ſi fortibus parentibus geniti ſint, ſi expletos habent

(o) ARISTOT. Hiſt. animal. Libr. 7. c. 4.

bent muſculos, nec ſuo vel matris morbo ſed ex aliqua cauſa, quæ præpoſterum ſanguinis fluxum excitare potuit, uterum deſeruerunt, vivere, licet languidi, tandemque reſipiſcere ac vegetare poſſint; quorum curam ARISTOTELES docet, dum illos lana involvi, propter cutis tenuitatem, conſulit (p).

§. 9.

Quodſi ergo ſeptimeſtres aliqua ad vitam fiducia naſcuntur, nulla adeſt ratio, cur deterioris conditionis, nec vitales exiſtimandi ſint octimeſtres, ut, *tales partus nullos unquam vivere* HIPPOCRATES (q), *enutriri ſalvosque eſſe haud poſſe* ARISTOTELES, recte aſſeruiſſe videantur. Non enim tantum aſſerto huic PLINIVS (r), PLVTARCHVS (s), & recentiores (t) contradicunt, ſed ipſa ratio dictitat, quo provectiores, eo etiam, niſi ex morbo debiles ſint, vegetiores fœtus eſſe oportere. Propterea etiam nullæ huic præjudicio leges ſuperſtructæ ſunt, & vitalitatis privilegia octimeſtribus in foro neutiquam derogantur.

§. 10.

Licet autem, qui ſub ſexti menſis finem naſcuntur,

(p) Hiſt. Animal. Libr. 7. c. 4.
(q) De partu octimeſtri.
(r) Hiſt. Nat Libr. 7. c. 5.
(s) Hiſt. Philoſ.
(t) BACO de VERVLAMIO ſummus Angliæ Cancellarius, in hiſtoria regni Henrici VII. de Arthuro, ejus filio, refert, eum, licet octavo menſe natum, infantem fortiſſimum fuiſſe.

tur, abortus, vivi in lucem prodire ſoleant, uſus tamen in foro receptus hoc ſecum affert, ut, niſi diem CLXXXII. attigerint, vitales eſſe, haud perhibeantur. Poſſet tamen normam iſtam, fœtus vivacitas, mors poſt plurium demum dierum decurſum ſubſequens, & actionum quarundam vigor, *ſi vagiant*, *ſi ſugant*, infringere (u). Qui ſexto menſe inferiores ſunt, etiamſi vivi naſcantur, ſubito tamen exſpirant (x), nullaque ad vivendum facultate inſtructi prodeunt, qua de re jus civile illis omnia vitalitatis privilegia derogat.

§. II.

Intra nonum menſem natus, eo etiam ad finem non perducto, judices nihil attinet, quod legitimum ejus ortum ſpectat, ſiquidem terminus naſcendi ad dies adeo exquiſite ſcriptus a natura haud eſt, ut illum vegeta parens antevertere haud poſſit, multo minus de ejus vitalitate ambigitur. Poſſet autem infans, abſoluto licet novem menſium termino, debilis tamen, flaccidus, & exiguus naſci, poſſetque propter iſtam corporis tenuitatem abortivus videri, putarique, ac ſi propter vigoris nativi defectionem, patrem hæredem facere haud potuiſſet: veluti iſtam quæſtionem

(u) Sexto menſe natos vitales eſſe, putat HENNING ARNISAEVS. l. a. p. 80

(x) De partu trimeſtri, Auguſto Cæſari ex Livia Druſilla Tiberii Neronis uxore genito, lepidum fuit dicterium, τοῖς ἐντοχῶσι καὶ τριμήνοις παιδία, *divitibus etiam trimeſtres infantes*. Conf. SVETONIVM in vita Auguſti.

ſtionem celeberrimus vir MICHAELIS ALBERTI movet, atque confutat (y). Qua controverſia mota, ad adducti Autoris ſententiam, perfectus abſolutusque natus eſſe haud negabitur, cui præter ſtaturam ac robur, nihil deeſt, ſiquidem in matre, ejusque imbecillitate ac morbis, quibus illa durante graviditate afflicta fuit, incrementi deficientis penes infantem ratio inveniatur. Quodſi autem, quæ apud abortum eſſe ſolent, conditiones illi adfuerint, capitis calvities, unguium defectio, equidem dubitari poſſet, an ante hos novem menſes, nec propius ad nativitatem, ſexto forte menſe, conceptus ſit, niſi rationes ex natura morborum deſumptæ, pro perfectione militent, quibus conſtat, vitioſos infantum adeoque & embryonum ſuccos eorum augmentum ita morari poſſe, ut juniores, quam actu ſunt, eſſe videantur, veluti infantium rhachitide afflictorum puſilla ſtatura & lentum virium augmentum, hoc ita fieri poſſe, declarat.

§. 12.

Etiamſi autem principii juris naturam nunc ubique aſſecuta eſt de vitalitate ſeptimeſtris ſententia, ut talis, ſua morte poſt natales conſequente, patrem hæredem facere poſsit; alterum tamen illudque graviſſimum parenti moveri poſſet dubium: an vivus ille natus ſit? Nempe, ſi durus partus fuit, & mater, uti in abortibus fieri ſolet, gravi hæmorrhagia uteri exhauſta, finem vitæ, inter labores, poſuit, fieri omnino poſſet, quo fœtus, anteaquam

(y) Syſtem. jurispr. med. Tom. I. p. 152.

quam in lucem prodiit, defunctus esse censeatur. Ideoque de vita post nativitatem acta medicorum judicium omnino tunc requiritur, nec aliud, si in obstetricis juratæ testimonio acquiescere contradicentes nollent, quæstionis hujus enodandæ medium, quam funeris dissectio, & pulmonum, an aërem suxerint, intra aquam facta exploratio, foret expeditius.

§. 13.

Quodsi, defuncta laborioso partu matre, spes superesset, servari fœtum posse, matrice incisa, tantum abest, ut dubium sit, insolita hac partus via eductum embryonem, si satis deinde cedit, sua bona in alios transferre posse, ut potius Legislator *Leg. 11. Digest. de mortuo inferendo & sepulchro ædificando*, vitalitatem illi decreverit: *Negat lex regia, mulierem, quæ prægnans mortua sit, humari anteaquam partus ei excidatur, qui contra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur.*

§. 14.

Quæ superius (Sect. I. c. I.) de monstroso partu mota fuit quæstio, huc quoque respicit, medici enim super partu ab humana forma abludente, quæsiti, ut judex de privilegiis variis, informi fœtui derogandis vel vindicandis, cognoscere possit, *etiamsi bicorporeus embryo natus est, cum uno nexu junctus cohæreat individuusque sit, pro uno partu habendum esse* (z), *eidemque, dummodo ca-*

(z) Neque enim propterea, quod duplex caput est, duæ

pite natus ſit ad humanam formam compoſito, humanitatis privilegia quævis competere, reſpondent: De molis autem, quas, uti morbus ſunt, mox ſolas uterum replere, mox fœtui junctas eſſe, per experientiam conſtat, ſerio quidpiam moneri nequit. Quamvis enim IOH. BAPTISTA de LAMZWEERDE, in *Hiſtoria naturali molarum uteri* (a) molas varias aliqua humanæ formæ ſpecie natas, pingat atque deſcribat, multaque ab autoribus tam veteribus quam recentioribus de earum ortu diſputata ſint, tamen, cum nullam in foro hæc diſceptatio utilitatem habeat, iſtud argumentum in medio nunc relinquo. Dubii ſexus prolem, maſcula ne an fœmella nata ſit, ſcire, ad jus in cauſis civilibus dicendum, multum ſæpe refert, ſed ſexus penes neogenitos, ſi tamen in dubium vocatur, ideo eſt ambiguus, quandoquidem, ſi puellæ imago nata fuit, poſſunt teſticuli in abdomine, uti fieri ſolet, abſconditi, retrotracto ſcroto, fœmellam mentiri, vel poteſt etiam clitoris fœmellæ prominula, pueri ſignum fallax ſupponere, adeoque

duæ in una, perſonæ fuerint, quod duplex cenſeatur eſſe anima, ob duplex ejus, uti eſſe putatur, domicilium. Anima enim non in parte, ſed in toto eſt. Divus tamen AVGVSTINVS, *Enchirid. c. 87. Epiſt. 63. ad Vitalem:* de eo monſtro agens, quod divi HIERONYMI tempore Lyddæ natum eſt, duorum capitum, quatuor manuum, uno ventre, duobus pedibus, non unum hominem, ſed duos fuiſſe, autumat.

(a) Lugd. Batav. 1686. 8.

que, ſucceſſu demum temporis, ſub pubertatis termino, ſolvi iſta dubitatio poteſt, cumque in uno individuo duplex ſexus per naturam haud ſit, a prævalente ſigno, maſculuſne an fœmella in lucem prodierit, interea judicabitur. Ipſa autem, de ſexu dubio, quæſtio, ad forum canonicum ablegabitur.

§. 15.

Fieri quoque poſſet, factumque eſſe ſæpius, hiſtoriæ referunt, quo, hæredis conſequendi ſtudio, parentum uterque, vel ſola mater, quam natura negavit, prolem, arte ſibi comparent, ſuppoſito, ſimulata ante graviditate, plerumque filio, ad conſervanda bona familiæ, quæ, defectu maſculæ prolis, tranſitura erant ad aliam. Idquod ſi contingeret, fuerintque, qui ſua intereſſe, ut de aſſerti veritate conſtet, putaverint, equidem, ſi recens ille partus prætextus eſt, ejusdem haud ita pridem peracti ſigna ſane ſunt certiſſima, cum puerperium ſui veſtigia poſt ſe relinquere ſoleat, quæ, obſtetricum judicio, an vere aliquo abhinc tempore fœtus aliquis utero exierit, ſignificare poſſunt; Verum de his alibi, quando de inquiſita partum negante ſcribendum eſt, uberior agendi futura eſt opportunitas. Diſparent autem iſta ſigna poſt alicujus decurſum temporis, ut, poſt aliquot ſeptimanarum effluxum, aſſerti falſitas ex aliqua corporis conditione evinci ſatis nequeat, liberumque ſit ſuppoſitam prolem ſuam dicere cuilibet, cui volupe eſt, peregrinam enutrire ſobolem. Sed a ſimilitudinis defectu, quod filius patrem,

filia matrem vultu haud referat, mendacii fraudisque ac impoſturæ arguere matrem velle, debilis foret argumentatio. Optant ſibi prolem, ab exceſſu maritorum, viduæ, poſſetque ex illis una atque altera graviditatem ſimulare, & falſo puerperio peregrinam prolem, poſſeſſionis bonorum cauſa, ſupponere, poſſet etiam ex defuncto marito vere gravida eſſe mulier, & infelici puerperio mortuum fœtum edidiſſe, cujus jacturæ reſarciendæ ſtudio, ſibi alterum intra matricem fœtum reſtitare finget, parietque, ficto puerperio, ſuppoſitum, diverſa compreſſione ſe bis concepiſſe, adeoque diverſa etiam gemellorum partus tempora nunc eſſe, ad fidem fraudi faciendam, aſſerens: Hinc, quando illud ita evenit, aut evenire poſſet, de *ſuperfœtatione* opinio nata eſt. Hanc, ἐπικύησιν Græci appellant, alteram, ex quo prior facta eſt, & fœtus jam aliquantulum in matrice ſuccrevit, imprægnationem, quam tamen a natura alienam eſſe, uteri indoles declarat. Ille enim, ubi vacuus & in ſeſe contractus eſt, uni ſaltim ſua cavitate ac capacitate reſpondet fœturæ, ſive illa ſit ſimplex, ſive gemella, aut, quod rarius fit, trimella ac quadrimella, ſi quidem ovula materna, etiamſi multipara eſt mulier, uno eodemque miſſu ſeminis virilis excitata, matricem intrant, quæ, concepto fœtu, ita, contracto in ſeſe oſculo, clauditur, ut poſtea, propter defectum ſpatii, etiamſi repetitus gravida jam muliere coitus fuerit, novæ imprægnationi locus haud concedatur. Adeoque, novus embryo, priore fœtu jam exiſten-

exiſtente atque adoleſcente, quandóquidem ejus ſecundinæ omnem matricis ſuperficiem attingunt eidemque inradicantur, concipi utero nequit. Poſſunt autem gemelli eodem tempore geniti, tunc maxime, ſi diverſis ſecundinis includuntur, inæquali incremento augeri, altero hilarius enutrito, altero marcido atque languentem in utero vitam agente, unde fiat, quo ille fortior, acquiſitis ad nativitatem debitis viribus, ſub fine noni menſis, matricem deſerat, altero manente, quandoquidem ad vitam in aëre agendam ſufficienter enutritus ille nondum eſt, utpote qui ſanguine materno ad ſui complementum carere nondum poſſit; naſci adeoque ſecundario aliquo partu, altero forte poſt præcedens puerperium menſe, ex gemellis eodem tempore genitis alter poteſt decimeſtris vel undecimeſtris. Aliam ſero naſcentis gemelli rationem PLINIVS (b) adducit, neque ejusmodi partus a naturæ legibus abludit, ut, ſi gemellos concepit mulier, ex illis alter abortu pereat, alter, utpote qui abſolutus nondum ſit, ſuum vitæ in utero agendæ ſtadium decurrat, quibus hoc ita evenerat, *Vopiſcos* appellabant: *Vopiſcos appellabant e geminis, qui retenti utero naſcerentur, altero interempto abortu.* Fides adeoque viduæ, ſerotinum, priore jam edito ac defuncto, fœtum emittenti, etiamſi videatur novam prolem hæreditatis cauſa ſuppo-

 ſuiſſe,

(b) Hiſt. nat. Libr. VII. c. X. vox græca eſt: ὀψίσθιοι qui ſero nati ſunt.

ſuiſſe, habenda eſt, ſi ſigna partus recentius celebrati, obſtetricum teſtimonio, appareant.

§. 16.

Quis ex gemellis prior utero exierit, ne natu minori jus primogenituræ immerenter tribuatur, moveri poſſet quæſtio, nec infrequens caſus eſt, cum ſacræ etiam literæ ſimilem *Geneſeos* 38. *v.* 27. exemplo Thamar gemellos parituræ, ediderint, dubitarique propterea poſſet, an ex gemellis illi, qui exerta manu ad nativitatem prior erat, etiamſi ſecundo loco natus ſit, primogenituræ jus denegari tribuive oporteat. Verum ancipites in definienda hac quæſtione judices haud ſunt, & pro illo, quem priorem mater enititur, decidunt. Quodſi autem, incuria obſtetricis vel adſtantium, ſigno notatus ex gemellis prior haud eſt, in ambiguo ſane res ponitur, deque illa ſoli judicant legum interpretes, cum nec robur nec formæ præſtantia, nec ingenii excellentia alterutrius, ſufficiens ad eruendam veritatem argumentum eſſe poſſit.

§. 17.

An gemellis plures una in utero matris eſſe poſſint, ſcire haud raro refert. Poſſe tergeminos naſci, haud infrequens docet experientia. In *l. 3. ff. ſi pars hæreditatis petatur*, traditum eſt, quatuor ſimul puellas a matre familias natas eſſe, atque non leves autores tradidiſſe, quinquies quaternos Peloponneſi enixam, multas Aegypti, uno nixu, ſeptenos; ſed & tergeminos ait PAVLVS, *in eadem lege*, ſenatores cinctos, vidimus HORATIOS, &

& DIONYSIVS HALICARNASSAEVS de tribus CVRIATIIS id ipſum ſcribit. LAELIVS etiam, eodem PAVLO teſte, ſe vidiſſe tradit, in palatio mulierem liberam, quæ ab Alexandria perducta eſt, ut HADRIANO oſtenderetur, cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa dicebatur, quinto poſt diem quadrageſimum edito (c). De poſſibili ſane plurium ſupra geminos fœtuum conceptione, dubitari nequit.

COROLLARIVM.

DE ORTV HVMANO.

§. I.

Quandoquidem ſuper his omnibus, quæ vel graviditatem matrum, vel ſtatum embryonis civilem, ejusque jura attinent, dubitationibus, ex natura uteri fœtum concipientis, nutrientis atque excludentis, hinc ex ipſius vitæ fœtus in utero rationibus diſputandum eſt, neceſſarium atque utile eſſe, quo brevem atque ſuccinctam, ſufficientem tamen & accommodatam ad propoſitum *de ortu hominis* doctrinam ſubnecterem, arbitratus

 ſum,

(c) His equidem, propter gravitatem autorum, fides deroganda haud eſt. Quid autem de partu CCCLX. liberorum Comitiſſæ Hennebergicæ MARGARETHAE, WILHELMI Comitis Hollandiæ & Seelandiæ, in magno iſto interregno in imperatorem electi, ſororis, vel de duodecim unius puerperii fœtibus, IRMENTRVDIS uxoris ISENBARTI, ex quibus prior natu WELPHVS aut GVELFVS dictus ſit, ſtatui oporteat, certe dubito.

ſum, ut, qua norma atque regula metiri dubios circa matrem fœtumve eventus, eosdemque explicare medentes oporteat, quilibet intelligere poſſit.

§. 2.

Doctrina de ortu humano ad omnes, legum tam publicarum, quam privatarum, civilium, criminalium, canonicarum, interpretationes, ſi illæ ſuper argumentis artis medicæ fundatæ ſunt, ita neceſſaria eſt, ut ſine illa cognitione nec Respublica regi, nec jus tribui, nec crimina puniri, nec ſanctior diſciplina recte adminiſtrari poſſint.

§. 3.

Homo, ſecundum leges omnibus in univerſum animalibus promulgatas, ex aliqua parentum particula totius corporis formam omnesque ejus partes in ſe complectente, oritur, quamprimum illa, ex mutua principiorum plaſticorum actione, motorem ſibi proprium nanciſcitur, cujus impetu, tota corporis ſtatura, in minimo illo primi ſtaminis ambitu concluſa, lento incremento evolvitur. Hanc originis ideam unicam atque veram eſſe, perfecta organorum alicui animantium familiæ propriorum, in perpetuum ad omnes generationes propagata ſimilitudo, evincit. Propterea formari, quod miſcelam atque partium appoſitionem, exque ſeparatis antea elementis compoſitionem ſupponeret, fœtus dici nequit.

§. 4.

Minima iſta fibra, quæ hominis, qualis ab initio

initio eſt, imaginem in minimo ſpatio fiſtit, an patris an matris particula ſit, diſputatur, poſtquam in ſemine maſculo deprehenſum aliquid eſt, quod fœtus viſum eſt eſſe poſſe primordium. Calente enim illo, armatus lente optica oculus innumera corpuſcula, anguillularum ſpecie, in fluido iſto geniali huc illuc liberrime mota, ut animalcula eſſe videantur, percepit. LEEWENHOECKIVS totidem vitalia hominum ſtamina ſpermati ineſſe, audacter affirmat, duplicis ea ſexus eſſe, ovulum mulieris irrepere, ibidemque in hominem explicari, aſſerens, in quorum capite, hominem eſſe, HARTSOECKERVS putat. Vt enim illius ſententiæ patroni narrationi ſpeciem inducerent, ad leges inſectorum, *quæ ſub animalis forma diſcrepantis imagine latentia, per metamorphoſin dictam evolvuntur*, humanam etiam ex animalculi figura formam explicari poſſe, ſupponunt. Licet hos vermiculos non negent alii, VALISNIERIVS, CAMERARIVS, VERHEYNIVS, tamen, in hominem explicandos eſſe, haud largiuntur. Infantibus, ſenibus, ſterilibus, haud adeſſe, GEOFFROY, ANDRY, obſervaverunt. Varia ſunt quæ iſthanc ſententiam infringunt, argumenta: *Quod ſimilia animalcula non ſemini tantum, ſed lachrymis quoque, urinæ, ſalivæ, ineſſe deprehenſa ſint a* BIANCHIO: *quod omnium animalium ſpermata, ſimiles illis, qui in ſemine hominis ſunt, nutriant acaros, quos, pro animalis ſpecie, diverſos eſſe decebat: quod denique inæſtimabilis ſint parvitatis, ut ratio, qua pervenire ut alterumque ad ovulum maternum, in ovario*

ovario matris reconditum, poſſit, non facile appareat.

§. 5.

Altera de ortu humano, quam plures, ob admirabilem cum omnium animantium ipſorumque vegetabilium origine analogiam, amplectuntur, ſententia, fibram minimam naſcituri, in ovulo materno, quærit. Cum enim maxima pars animalium ex ovis, aut involucris, fœtus primordia in ſe habentibus, proveniat, illaque lex ſeſe ad minuta quævis animalcula, quæ inſecta vocantur, extendat, cum etiam vegetabilium ſemina ovi rationes habeant, & in ſeſe plantæ iconem, docente MALPIGHIO, concludant, cum denique de quibusdam viviparis haud dubitatum ſit, ab illis ova utero concipi ac ibidem foveri, quod cartilaginei piſces marini, *Raja*, *Squatina*, *Canicula*, in moribus habent, viſum propterea fuit, omnium animalium ipſiusque hominis natales ovo tribui poſſe. Favit opinioni uteri anatome, quæ ad ejus latus duos eſſe docet veſicularum faſciculos, quos veteres, mulierum teſtes, recentiores cum STENONE, ovaria mulierum, appellaverunt. Etiamſi enim MALPIGHIVS atque VALISNIERIVS, iſtas membraneas ſphæras organa lymphæ cujusdam ſecretoria tantum eſſe, malint, putentque, ideo intra illas hominis ſtamen eſſe non poſſe, quod illæ tubæ aut oviductus capacitate majores ſint, & minuta alia, grani miliaris magnitudine, proinde ovula, VALISNIERIVS in iisdem ovariis mulierum quærat; quamvis etiam contra ovula vivip[illegible]rum diſputent

tent MALPIGHIVS, MAVRICEAV, eaque ex morbo, nihilque aliud quam hydatidas esse, arbitrentur, viamque dari negent, qua ovula animalium viviparorum descendere ad uterum possint; sunt tamen argumenta, quæ istorum folliculorum structuram organicam ac usum, veluti fibræ humanæ domicilium constituunt, evincere possunt: *præsentia nempe illorum in omnibus fœminis maturæ ætatis, aut ad illam propioribus: absentia in puellis atque vetulis: vasorum sanguineorum circa illos apparatus: fœtus in ovario reperti ab autoribus, quos adducit illustris* HALLERVS: *fœtus, postquam ovulum ex ovario delapsum erat, in abdomine enutriti: partus tubæ, quæ via ovuli est ad uterum:* &, quod fortissimum ac sensibus ubique obvium ovi documentum est, *minimi abortus species*, quam HIPPOCRATES *de natura pueri, Libro*, ovo similem esse viderat. Neque vero ulla est hypothesis, quæ originis humanæ phænomena evidentius solvat, illa, quæ, ex ovo vivipara quoque, ad EMPEDOCLIS antiquissimi philosophi mentem apud ARISTOTELEM, oriri affirmat.

§. 6.

Ovulorum receptacula, quibus ovariis nomen est, duo, ad utrumque latus uteri unum, libera pendent, & matricis fundo, ligamentis, quibus *latis*, &, ab aliqua formæ specie, *alis vespertilionum* nomen est, annectuntur. His testiculorum nomen & officium antiquitas tribuit, nec levis testiculis virorum & ovariis fœminarum simili-

militudo intercedit: Eadem *his*, quæ *illis*, vasa sunt, *spermatica* dicta, quorum altera, *arteriæ*, tenui filo ab aortæ trunco, post *renales* descendunt, altera, *venæ*, revertentem vehunt sanguinem, ita directæ, ut quæ a sinistris est, venæ renali, quæ a dextris, venæ cavæ immergatur. Illud etiam testiculis atque ovariis commune est, quod ea forma, qualis cincinnorum vel capreolorum ex vite esse solet, repant, interque se misceantur vasa ante dicta, *plexumque pampiniformem* constituant, hinc minimis desinant vel oriantur apicibus. Circumest etiam ovario, uti testiculo, renitens membrana, &, ne quid similitudini desit, summa ligamenti connectentis chorda vas deferens dicta est, licet, tale esse, haud existimetur: Sub membrana ovarium involvente, ovula, in suo singulum calyce, quod *corpus luteum* dicitur, sedent, in quo RVYSCHIVS hominem vidit, & quamvis integra isthæc membrana sit, docent tamen cicatriculæ in fœminis partum expertis visæ, vias esse per maturitatem, uti in fructibus quoque sunt, dehiscentes, quibus ovula dejici possint. Quamvis ergo, præter ARISTOTELEM, reliqui veteres fœmineum semen aliquod esse, statuant, nullum tamen existit, & testium imitationem aliquam ovaria saltim esse, LEEWENHOECKIVS recte perhibuit.

§. 7.

Nisi observatum fuisset, Tubæ, quam a FALLOPIO appellant, fimbrias in actu generationis erigi, ovariumque amplecti, dubitatio, qualis ovu-

li

li ad matricem via ſit, ſupereſſet maxima. Eſt enim in tubæ lateribus celluloſum opus, quod, ſanguine per libidinem collecto, obrigeſcit. Patens iſthæc ad uterum via eſt, qua ſeminis utero recepti halitus, qui ipſe patris ſpiritus atque nova fœtus anima eſt, ad ovarium ipſumque ovulum exſurgere poſſit, & HARVAEVS quidem ſemen in damarum uteris, obſervationis cauſa conciſis, haud vidit, hinc auram ſaltim ſeminis uteros attingere, GRAAFFIVS, BARTHOLINVS, autumant, illoque foris adſperſo, gravidas effici mulieres poſſe, opinio fert.

§. 8.

An autem abſconditum in ovulo hominis ſtamen, veluti illud pulli gallinacei in ovo, docente MALPIGHIO, vitam, quando in ovario eſt, an eandem, cum ante defluxit & ad uterum deſcendit, accipiat, dubium eſt. Ovula in utero præſto eſſe & ſubinde eorum apparatum adeſſe, ut proximo contactu ſemen illa ferire poſſit, HALLERI eſt ſententia, non tamen illæ veſiculæ, quas NABOTHVS *Lipſienſis* ad internum matricis oſtium vidit, ovula ſunt, quæ partus deleret, ſed cryptæ ſunt muciparæ, quæ erudito viro impoſuerunt, ut crederet: hydatidas autem eſſe declaravit RVYSCHIVS.

§. 9.

Vterus ipſe cavum eſt, pariete ex fibris muſcularibus ad varios tractus poſitis contexto, circumſeptum, *extenſile*, quod cedere creſcenti fœtui, atque ad determinatam amplitudinem diduci poſſit,

posſit, *elaſticum* deinde, quod, ubi fibræ cedere porro nequeunt, illis in ſeſe recurrentibus, ad contractionem ſui properet, unde partus ſit primordium. Poſt veſicam mulieris & ante inteſtinum ejus rectum, medio loco, conſtitutus eſt uterus, ſub pube, ſi vacuus fuerit, abſconditus, ultra illam magis magisque, quando creſcente intus fœtu explicatur, eminens, inteſtina tamen proxime haud attingens, cum ſupra illum interque inteſtina, peritonæum transverſim præcingatur; Sub matrice, inteſtinum rectum ſepto dividitur. Singularis, quæ uterum amplectitur, cavea eſt, ex peritonæo effecta. Hoc in ligamenta lateralia, lata dicta, explicatur, ipſamque illam externam matricis membranam largitur, dum altera cavo uteri ſuccincta lamina eſt, rugoſa ac ſulcoſa, vacuo illo, explicata atque lævis, ubi extenditur. Inter utramque membranam, contextus habetur celluloſus, craſſus, cellulis, vacua matrice, ad ſe compreſſis & ſanguine vacuis, aſt laxis, & ſanguine extra vaſa moto diſtentis, ſi matrix repletur fœtu, ad leges virilium, ubi rigent. Cavitas, vacuo utero, exigua eſt, quæ fabam vix recipit, non multo major, quodſi fœmina partum jam experta eſt; ſed illa, veluti pro rationibus creſcentis fœtus parietes diducuntur, augetur ſenſim, tandemque fit, quantum ejus opus eſt, ut fœtus unus atque alter, una cum aquis embryonem circumfluentibus, ipſisque ſecundinis, contineri commode poſſint, maxima. Tunc, ubi fœtu ſuo gravis eſt,

ne

ne, pondere actus, in latus vergat, agunt ligamenta *lata*, & illa *rotunda*, quæ ab ejus fundo, funis instar, cellulosa, vasis utriusque generis tortuosis mixta, per hiatum musculorum abdominis, circa pinguitudinem pubis in tenuia filamenta discerpuntur, & muliebribus communicant, consensus causa. Vasa texturæ uteri intersunt totidem, quot ubique in omni organo existunt, *nervi*, *arteriæ*, *venæ*, *vasa lymphatica*, utque excellentior reliquis, illa uteri actio est, utpote quæ divina fere sit & creationis umbram in se habeat, ita quoque vasorum apparatus est excellentior. Nervi enim tam a nervorum intercostalium, qui ex sympatheticis maximi sunt, ipsique consentiunt cerebro, plexu, *hypogastrico* dicto, quam a nervis lumbaribus illisque ex medulla spinali ossis sacri ortis, procedunt numerosissimi, licet illorum nullus, quantum constat, ad embryonem transmittatur, quod argumento est, suo proprio fœtum vivere spiritu. Major tamen, quam nervorum, arteriarum atque venarum apparatus est, copiosiores enim atque ampliores, quam ad uteri vacui necessitates requiruntur, existunt, *arteriæ* quidem, *hypogastricæ aut iliacæ internæ* pars sunt, *venæ* autem in *venam hypogastricam* similiter convergunt, atque illæ tam arteriæ quam venæ, quas *spermaticas* supra diximus, quarum singularis origo versusque ovaria est directio, cum hisce vasis uteri propriis amice conspirant, estque inter ista ovarii atque uteri vasa quædam consensio, quam *anastomosin* physiologi vocant. Ar-

teriarum atque venarum fines ſub intima matricis tunica ponuntur, exiles, tales tamen, qui ſanguinem vel emittere in fœtus involucra, vel recipere, per leges circuli ſanguinis, qui fœtui atque matri communis eſt, poſſint. Forma uteri ex his omnibus contexti, ſi vacuus fuerit, conum exprimit, dum baſis lata in ſummo eſt, anguſta cervix obtuſo acuminato exit oſtio, intus rugoſo, quo claudi exactius valeat. Hoc eſt internum illud uteri oſtium, quod claudi ſupra relatum eſt, ex quo conceptio facta fuit, nec niſi partu recludi, illudque, ſua forma ab acumine in obtuſum converſa, graviditatis eſſe ſignificationem, ſi ſigna acceſſerint alia. Statio, quæ uterum continet, *pelvis* eſt, ima ſcilicet abdominis muliebris regio, quam oſſa *innominata* dicta, infantibus quondam tria, *Ilium*, *Iſchium*, *Pubis*, illa autem ætate, qua mulier fœtum alere poteſt, utrinque unum, conficiunt, juncta inter ſe *ſynchondroſi*, quæ cartilaginea eſt connexio, oſſi autem ſacro per *cartilaginem articulatam* adhærentia, cujus cavi uterum recipientis finem os coccygis ponit. Licet autem iſta cavitas alia etiam contineat mulieris organa, veſicam ſcilicet urinariam atque inteſtinum rectum, tota tamen ab utero creſcente, ſenſimque, propter fœtus incrementum, aucto, repletur, atque iſta oſſa egregium tunc ſunt matricis gravidæ fulcimentum, ut propterea illis, relatione ad oſſa pelvis virilis facta, aliquid formæ ſingularis inſit, quod officio erga uterum gerendo reſpondet.

§. 10.

§. 10.

Hac officina recipitur ovulum, *Tubis* advectum, licet anguſtioribus forte viſis, quam quæ ovulum deglutire inque uterum eructare poſſint, quæ oviductus anguſtia argumento eſt VALISNIERIO, quare illud, quod ovulum vulgo dicitur, fœtus minimi involucrum eſſe haud poſſit, dum ipſa *Tubæ* capacitate majus eſt. Sed nihil hac argumentatione efficitur, cum eadem ratione, qua oeſophagus, tubus ſcilicet pabulum deferens ad ventriculum, durante deglutitionis actu, antea connivens, dilatatur, ita etiam oviductus amplitudo, quo tempore ovulum recipit, major eſſe valeat. Tranſire ovula per tubæ oſtium utero utrinque reſpondens, partus arguunt tubarii, fœtus ſcilicet parvuli, hærente in tranſitu ovulo intraque tubam defixo, in ipſa tuba aliquo temporis ſpatio enutriti, veluti, hoc ita factum eſſe, BARTHOLINVS, *de inſolitis partus viis*, RIOLANVS, DIONIS, aliique, memoriæ tradiderunt.

§. 11.

Ab illo tempore, quo ovulum utero receptum fuit, ſingulares iſtæ leges, quibus embryones vivunt atque creſcunt, ſtabiliuntur & ad partus usque terminum continuantur. Propterea determinato aliquo poſt conceptionem tempore, anima fœtui haud traditur, ſed vivit ille, ex quo fibra ovuli minima, aura vitali paterni ſeminis tacta fuit, id quod aliquot forſan anteaquam ovulum deſcenderet, diebus factum eſt; in ovulo ſane humano, quod

ovarium nondum reliquerat, fœtum cum ſecundinis vidiſſe, ſibi viſus eſt LITTRIVS, huic tamen aſſerto SANTORINVS atque VALISNIERIVS parum tribuunt. Neque vero, poſtquam uterum ſubiit, ovulum ſtatim adhæreſcit, cum glabrum ſit, ſed deinde excreſcunt illi undique villi, quibus fundum matricis attingentibus, ſit, quo *chorion*, quod extima ovuli lamina eſt, intimæ uteri ſuperficiei penitus adnaſcatur, a quo ſcilicet tempore leges circuli ſanguinis, inter fœtum atque matrem communes, primordium ducunt.

§. 12.

Veluti enim nullum ens finitum ſuæ conſervationis cauſam ex ſe ipſo habere poteſt, ita nec embryo ex ſe ipſo vivit, ſed aliunde recipit, qua vivere atque enutriri poſſit, materiem. Ineſt omnino minimo fœtui aliquid ſanguinis proprii, quod a corde ejus, *puncto illo ſaliente primo* ARISTOTELIS, circumducitur, ſiquidem, cum vivat, alia, quam quæ ad circuli leges revertitur, ratione, vivere haud poſſit; verum, ex quo chorii radiculæ ſuperficiei uteri immerſæ ſunt, continuus fœtui, ad nativitatem usque, ſanguinis materni eſt circuitus. Quamvis enim humores, qui corpus tenelli pervadunt, videantur fœtus eſſe proprii, dum ille liquorem ſibi circumfuſum, ſane copioſiſſimum, amnii puta liquamen, albumini ovorum ſimile, ore recipere, deglutire, digerere, inque ſanguinem ſubinde novum convertere poſſe, exiſtimatur; quamvis etiam *illuſtris* HEISTERVS illud liquidum oeſophago accipi & ad ventri-

ventriculum fœtus deferri, cum frigore indurarum abortivi vituli corpus eſſet, viderit, & primis certe menſibus hac ratione fœtum, organorum chylopœorum efficacia, vivere, SCHELLHAMMERVS exiſtimet, proinde ultimis ſaltim menſibus umbilico ſolo embryones nutriri, graviſſimi ſane viri, HARVAEVS, NEEDHAM & *Lipſienſis academiæ quondam ſidus* BOHNIVS, affirment, magno etiam ſtudio ille liquor amnii excultus ſit, quando illum, ad mentem STENONIS, corpuſcula alba glanduloſæ indolis perficiunt, certe, nec ſudor, prout RVFVS atque GALENVS volunt, nec urina fœtus, ad RIOLANI mentem, liquor ille, eſſe cenſendus ſit, ſed ovulo, veluti albumen aliquod, connaſcatur; Quamvis etiam excrementa neogeniti, quæ *Meconium* dicuntur, quæ ore ingeſta ſit, ſupponant materiem, & recens nati, quod ſalutare eſt, & bene illis cedit, rem liquori amnii ſimilem, vomitu rejiciant, ut propterea, his argumentis collectis, magnum illi ſententiæ, qua fœtus per os nutriri perhibetur, robur omnino accedat; Specioſa tamen magis quam convincentia iſta argumenta ſunt, namque, qui in gula & ventriculo fœtuum viſitur liquor, fluidum eſt parcum, ex intima horum organorum tunica ſcaturiens, impediendis contactibus, & ne organa iſta inter ſe connaſcantur, deſtinatum, hinc *Meconium* reſidua ab alimento quodam fæx eſſe nequit, nec ex liquore amnii deglutito natum eſt, cum illo ſit tenacius, nihilque, uti NENTERVS, MONRO exiſtimant, quam bilis atque

muci inteſtinalis liquamen, dici poteſt; quando autem RVYSCHIVS vaſa lactea, ſe, ſuper inteſtinis fœtus, vidiſſe viſus eſt, vaſa potius lymphatica vidit. Præterea tota de nutritione fœtus per os ſententia corruit, ſi, unde tamen oriri poſſit liquor amnii, nutriens viſus, tecum perpendeas: Cum enim lex naturæ ſit, nihil liquorum, niſi apparatu minimarum arteriarum & cordis actione, ſecerni unquam poſſe; cum adeoque liquor amnii arterioſus ipſius fœtus ſuccus ſit, nam aliæ, quam quæ fœtus pars ſunt, arteriæ per ſuperficiem placentæ *amnio* reſpondentem haud feruntur, ſequeretur ſane, quod a natura entis finiti alienum eſt, ex ipſo fœtu ſuæ nutritionis cauſam eſſe; A matre certe ejusque arteriis uterinis, ſi quid perſpicio, liquor amnii oriri nequit: etiamſi enim ille videatur ex minimis uteri arteriis in continuam chorii membranam finientibus, oriri poſſe, fundamentum tamen iſtius ſententiæ propterea debile eſt, cum *amnion* a *chorio*, interfluente hujus liquore, dividatur vaſorumque inter utramque membranam contactus nullus ſit. Quodſi ergo liquor amnii, ex fœtu eſt, fœtum certe nutrire nequit, ſed efficaciore alimento opus eſt, ut ille intra novem menſium ſpatium a tenui fibra, ad illam, qua naſcitur, molem excreſcat.

§. 13.

Ipſum ovulum cavum eſt, duplici hac membrana, *interna* amnii, *externa* chorii, circumſeptum, cum intercepto his liquore duplici,

illo

illo amnii, qui fœtum alluit, *hoc* chorii, qui columnam fiſtit aqueam, compreſſam, habentem naturam ſolidi, qua uteri paries in ſphæræ formam diſtenditur, inque æquali rotunditate conſervatur, ne ille, collabaſcens, fœtum comprimat. Chorii lamina gemina eſt, extima villoſa, quæ ſuccos matris ex continuo ſibi utero in ſe recipit; inter hanc & illam alteram, inque utriusque duplicatura ſenſim naſcitur, & ex vaſis umbilicalibus fœtus, tam arteriis quam venis, contexitur tela illa carni rubræ aut hepati ſimilis, quæ placenta uterina appellatur: hujus, ab initio, veſtigia nulla ſunt, adeoque ſerius evolvitur illud organon, cujus venoſa primordia, non obſtante chorio, occurſant ſinubus, intra ſubſtantiam cellulo-ſam uteri gravidi repertis, atque eorum ſanguinem ſorbent, niſi quis, eundem immediata arteriarum uterinarum ac venarum placentæ anaſtomoſi transferri, malit.

§. 14.

Accipit adeoque ab initio, tenui adhuc exiſtente fœtu, villoſa chorii lamina ſuccos uteri, coloris expertes, deinde, ubi placenta apparet, accipit hæc rubrum arterioſum matris ſanguinem, jam expertum omnes viſcerum virtutes, in pulmonibus maternis elaboratum ſatisque ab aëre compreſſum, ut, quando ad fœtum ablegatus eſt, reſpiratione alia haud opus ſit, poſſitque fœtus actione pulmonum deſtitui; neque eſt, cur quis, ſanguinem a matre ad fœtum transferri, dubitet, cum hæmorrhagiæ uteri, ſemo-

ta placenta, veluti abortientibus atque novellis puerperis accidit, illud satis superque confirment. Sed sanguis maternus dotibus, ad nutriendum teneri embryonis corpus, aptis, statim non gaudet, hinc, nisi ad rationes embryonis ejusque ætatem variam accommodatus antea fuerit, haud applicabitur, sed varias, antea quam minimis fœtuum solidis admovetur, mutationes passurus est, *aliam scilicet in placenta uterina*, quæ, propter structuram suam glandulæ conglomeratæ similem ita per se transire sanguinem minime patietur, quin novas illi in transitu virtutes imprimat, *aliam autem in ipsius fœtûs hepate*, per cujus sinus, ob canalis venosi angustiam, major sanguinis, vena umbilicali adducti, pars, hepar percurrit, perque venas ejus ad *Cavam*, hinc ad cor, deducitur, uti, illum per hepar fœtus distribui, argumentis HALLERVS evincit Placentam uterinam quod attinet, insignia ejus erga sanguinem fœtus nutritium exstant merita, ut mammæ officio fungi & lactis speciem ab illa elaborari, HARVEVS, WHARTON, GRAAFIVS, arbitrentur: Neutiquam autem placenta totam sanguinis materni convertit faciem, sed illum novis saltim auget dotibus, cum verus sanguis ruber in vena umbilicali reperiatur.

§. 15.

Iter sanguinis materni ad fœtum illud est: Arteriæ hypogastricæ matris, innumeris ramulis per uteri divisæ substantiam, suum in oscula venarum umbilicalium deponunt liquidum: Venarum placentæ

centæ primordia, ex minimis in majores venas collecta, ſenſim coeunt in unam homini venam umbilicalem, cum brutis ſint geminæ. Vena umbilicalis funiculi umbilicalis pars *altera* eſt, dum *altera* duabus arteriis conſtat, quæ ſanguinem fœtus placentæ reddunt: Etiamſi enim tertium aliquod vas, quod *Vrachus* vulgo dicitur, funiculo ineſſe videatur, certi tamen de illo nihil conſtat, ut propterea, venam, atque arterias plerumque geminas, raro unam, nominaſſe ſufficiat. Intercedit iſtis vaſis celluloſa quædam fabrica, ſuccifera MVNNIKIO dicta, lactea DIEMERBROEKIO, atque his omnibus tunica coercens circum eſt, tenſa, a continuato fœtus peritonæo orta: In turbinem aut cochleam circa venam flectuntur arteriæ, atque illi fiunt motor, dum inertem ſua natura venam pulſu ſuo ſubigunt atque compellunt: Deinde ubi ad umbilicum fœtus vena umbilicalis acceſſit, [illegible] hiatum cutis, inter mediòs procedit rectos muſculos, ſeſeque verſus embryonis hepar inclinat, ejus fiſſuram, ad tractum ligamenti ſuſpenſorii, ſubit, inque ſinum hepatis demergitur, ut ſanguis maternus omnis, præter illum, qui a canali venoſo ſuſcipi poteſt, eadem cum venæ portarum ſanguine via, toto hepate diſjiciatur, illiusque viſceris vires experiatur, deponatque in viis biliferis rem bili ſimilem, quæ durior materni ſanguinis pars eſt, minimis vaſis, qualia in tenero fœtu eſſe poſſunt, impar futura, rejicienda propterea & ad canalem alimentorum relegenda, excrementitia ſcilicet, quam, *Meconium* fieri,

ſupra diximus: Proinde majuſculum fœtui hepar eſt. Corrivatur denique ſanguis maternus, tam ille, qui per canalem venoſum ſubrepebat, quam ille hepate circumvectus, & uterque venam cavam, qua parte per diaphragma illa transjicitur, ſubit, brevem ibi & mox auriculæ cordis majori atque anteriori immergendam. Nunc ſanguis ille auricula exceptus, ad leges homini poſt nativitatem latas, omnis, ventriculum cordis anteriorem ſubire debebat, ſed cauſæ adſunt, quæ impediunt, quo minus thalamus cordis anterior iſtum ſanguinem omnem in ſe recipere poſſit; illo enim tempore, quo durat ventriculorum ſyſtole, via eſt, qua ſanguinis particula, ſane non levis, & quæ capacitati ventriculi poſterioris par ſit, a dextra auricula, ad ſiniſtram, ducatur, hanc *foramen ovale* appellant, hiatum ſcilicet, medio illi ſepto, quod auriculas cordis dividit, exciſum, cui valvula, ad ſiniſtra mobilis, prætenditur, ut hac illius directione, MERYI ſententia, de motu ſanguinis a ſiniſtris ad dextra, confutari poſſit. Ideo autem hoc ita factum eſt, quo auricula anterior fœtus, ſinui ejus pulmonico, hinc auriculæ cordis poſteriori reſponderet, cum, ventriculum cordis anteriorem ſanguine valde repleri, ob natam illi in pulmonibus collapſis reſiſtentiam, non oporteret. Recipit tamen ille ſanguinem, eumque, contractus, projicit, ſed alia omnino lege, quam animantibus in aëre viventibus fieri ſolet. His enim via, ex ventriculo cordis anteriore per arteriam pulmonalem, ad pulmones aëre inſpirato diſtentos, patet;

aſt

aſt fœtui, qui contractos in ſeſe firmiterque compactos pulmones habet, illud ſanguinis iter clauſum eſt. Arteria enim pulmonalis fœtus præterit omnino pulmones fœtus, & in aortæ deſcendentis truncum, anaſtomoſi illa magna, quæ *canalis arterioſus* eſt, demittitur, ut propterea, illa MERYI, de tranſitu ſanguinis per pulmones fœtus, ſententia, phænomenis omnibus oppugnetur, quæ in pulmonibus fœtus, aëre nondum inſpiratis, obſervantur. Color illis pallidæ carnis eſt, arteriæ atque venæ pulmonales contractæ in ſeſe, atque rugoſæ ſunt. Decimam tamen forte totius ſanguinis partem per pulmones tranſire, nec omnino vacuas arteriæ pulmonicæ in fœtu fines eſſe, licet illi, ex arteriis branchialibus, ſanguinis nutritii ſatis habeant, BOERHAAVIVS exiſtimat: Pulmones ſane, utpote qui omni actione privantur, ſanguinem liberaliter in ſeſe recipere ante partum haud valent, neque ratio ulla adeſt, propter quam repleri ſanguine illos oporteat, cum agere in ſanguinem haud poſſint. Propterea canalis ille arterioſus, a BOTALLO nunc dictus, GALENO quoque haud ignotus, ea capacitate gaudet, ut omnem cordis dextri ſanguinem in ſe recipiat, ne illo pulmones onerentur, utpote qui inertes ſint, & transjiciendo ſanguini penitus inepti. Vterque ergo ventriculus cordis junctim agit, & utriusque vis in arcu aortæ unitur, proinde ſumma ſanguinis in fœtu celeritas, & incrementum ejus propterea præcox eſt, ut intra novem menſium ſolarium aut tricenariorum ſpatium,

ſpatium, a minima ovuli fibra, ad illam, qua naſcitur, ſtaturam, evehi poſſit. Embryo omnes actiones ad nutritionem, veluti illa in applicato minimis ſolidis glutine conſiſtit, requiſitas exercet, lympha illi elaboratur copioſiſſima, cum glandulis uratur majusculis magnoque nervorum apparatu inſtructis, omnibus, quam deinde eſſe ſolent, majoribus, quod in *Thymo*, glandula illa ſub ſterno poſita, illaque ſuprarenali, quam renem ſuccenturiatum appellant, luculentum eſt: Sed deſunt fœtui actiones quædam, *animales*, excepto forte tactu, reliquæ omnes, *vitalium* altera, nempe reſpiratio, *naturalium* illæ, quæ alimenta mutant, niſi, quod ſalivam ſecernere, atque deglutire exiſtimetur, hinc illæ, quibus immundi humores excernuntur; haud enim tranſpirat fœtus, utpote qui liquido immerſus ſit amnii, & licet urinæ tantum, quantum veſica ejus urinaria capere poteſt, ſecernat, eandem tamen haud excernit corpore, nec acris illa eſt, quæ ſtimulos excitet, nec copioſa eſſe poteſt, cum alius ſanguis a matre ad fœtum haud transferatur, quam qui renum officio jam depuratus fuit: Interea tamen ſententia, de via urinæ ex veſica urinaria fœtus interveniente funiculo umbilicali ad *allantoideam* aliquam ſeu *farcimini ſimilem* tunicam, confutata nondum eſt, ſuosque illa patronos invenit: Allantoideam, veſicæ ſpecie, in fœtu ſeptimeſtri vidit *clariſſimus* ALBINVS, nec omnino diſſentit *clariſſimus* NORTWYCK. Animalia certe bruta, canalem uriniferum a fundo veſicæ urinariæ ortum,

tum, ſuoque liquido pervium, habent, qui propterea *Vrachus* dicitur; hic, funiculi umbilicalis longitudinem emenſus, definit in veſicam oblongam, diverſo liquido, quam illud amnii atque chorii eſt, inſulſo tamen nec urinoſo viſo, repletam. Norunt iſtud RVFVS, GALENVS, ſed ex brutorum ſectionibus, & ab illorum exemplis argumentum pro urachi præſentia in fœtu humano, captum eſt. Viſi fuerunt, qui poſt nativitatem urinam per umbilicum emiſerint, atque hic eventus argumenti loco, pro evincenda urinæ per umbilicum via, adducitur, niſi morbus illa fuit conditio, nam uracho humano anatome haud favet, atque illa chorda brevis ex fundo veſicæ ad umbilicum fœtus producta, quam urachum eſſe putant, cavitate omnino deſtituitur, nec niſi cellulofum aliquod opus eſt, ut ligamenti, ad fulciendam veſicam, quæ fœtui capaciſſima eſt, potius, quam tubi naturam, aſſequatur. Percolari tamen hoc vaſe urinas, perque celluloſam forte funiculi umbilicalis, quæ vaſis ejus intercedit, ſubſtantiam, ad radicem placentæ deſtillare, DIEMERBROECKIVS exiſtimat, nam in ipſo fune umbilicali, nullum apparet urachi veſtigium, licet ille inter vaſa funiculum umbilicalem conſtituentia nominari etiam homini ſoleat. Etiamſi autem humores limpidos fœtus haud projiciat, perpetua tamen illi eſt ſanguinis per funiculum umbilicalem excretio, arteriis umbilicalibus continuo flumine illum ejicientibus; duabus enim arteriis, pro ratione corporis fœtus, magnis, ab arteria utra-

utraque hypogaſtrica embryonum ortis, pulſum a corde fœtus habentibus, ſanguis ſubinde verſus placentam uteri dirigitur, matrique reddi perhibetur, quandoquidem arteriarum iſtarum ultimi apices, venarum uterinarum, qua parte placenta annexa eſt, oſtiolis reſpondent. Sed tanta eſt vis illius, qui de corpore fœtus ſubinde per arterias iſtas effluit, ſanguinis, ut illum omnem matri tribui poſſe, haud videatur, ſiquidem arteriarum illarum apices ita luculenti haud ſunt, ut rubrum ſanguinem transfundere poſſint. Sed placentæ ſuperficiem arteriæ perambulant, & anaſtomoſibus forſan implicantur venis, ut vero proximum ſit, ex BERGERI opinione, arterioſum fœtus ſanguinem venis reduci. Tota tamen placenta arterioſum venoſumque, docente RVYSCHIO, opus eſt. Vnica plerumque gemelli nutriuntur placenta, duas aliquando eſſe & RVYSCHIVS vidit, & experientia declarat. Sed amnion utrique ſingulum eſt, ne ſuos vel articulos vel funiculos implicent, chorion autem plerumque unum eſt; aſt ſingulum, ſi gemellorum placentæ ſeparatæ ſunt; propterea vel eidem ovulo, uti HARVAEVS exiſtimat, & analogia docet, duæ fibræ humanæ inerunt, vel duo eodem tempore ovula matrice ſuſcipi, ſi gemelli gignuntur, potuerunt.

§. 16.

Hiſce vitæ legibus fœtus in utero viget, vegetat, ſtupet tamen, vel dormit, atque expergefactus in ſuo movetur liquido, &, quod alibi expoſitum fuit, vires in aëre vivendi, ſub finem noni menſis acqui-

acquirit; hinc ſuæ præſentiæ ſigna, tum alia, tum illud edit, quod mammæ matris aliqua lactis ſpecie, quod coloſtrum PALLADIO dicitur, quo plus ille adoleſcit, plus magisque turgeſcant, idquod equidem arteriarum atque venarum hypogaſtricarum cum mammariis tribuitur conſpirationi, plus tamen a reſiſtentia, cordi ob plenitudinem uteri nata, deducendum eſſe videtur. Non tamen ſecura omnino iſthæc graviditatis ſigna ſunt, veluti alibi ſcriptum a me eſt: De ipſo autem partu, dicere nunc nihil refert, cum ſeparari, a quæſtione de ſignis partus præteriti, iſtud argumentum nequeat.

CAP. III.

De ætatum privilegiis.

§. 1.

Ex quo materno utero egreſſus infans eſt, aliam ille dies vitam, alios mores poſtulat, nunc ſuis viribus ſolis vivit, illudque tempus, inter varias mutationes, emetitur, quod durationi corporis humani, ejusque facultatibus, deſtructioni per morbos & mortem reſiſtere valentibus, conſentaneum eſt. Tota adeoque dierum, quos vivere per naturam datur, menſura, & ordinata corporis animati per *incrementum*, *ſtatum* atque *decrementum* progreſſio, lato ſignificatu, *ætas*, dicitur, quæ ſeſe a nativitate ad mortem usque naturalem, ſpontaneo virium lapſu contingentem, extendit. Hos

ætatis

ætatis limites *alios* leges ſtabiliverunt, & juſta præſumptione, cum illud a natura alienum haud ſit, centum annorum ſpatio, vitam hominis poſſibilem definiverunt, *alios* ipſa natura poſuit, incertos omnino & formulæ neutiquam adſcriptos, hinc ad virtutem referendos, quæ ſingulis alia atque alia eſt, ex partium ſolidarum fabrica, exque illius ad reſiſtentiam contra cauſas deſtruentes aptitudine, proveniens. Vti enim aliquis fortis ſanusque naſcitur, prout illi viſcera ſunt εὔπρακτα, quæ humoribus vitalibus perficiendis, immundis autem depellendis ſufficiunt, ita, ſi optimum accedat regimen, a legibus machinæ alienum haud eſt, vitam per varios caſus & plurima rerum diſcrimina, ad ſummam, quæ homini data eſt, ſenectutem duci poſſe.

§. 2.

Nec ſcholaſtica forte iſthæc eſt & inutilis, quousque vivere quis poſſit, quæſtio, ſed, ut abſenti bona conſerventur, opus eſt, quo judices, quousque indulgendum expectationi ſit, ex natura hominis definiant. Non enim anni *abſentiæ* quidam, ex arbitrio legum, inſtitui poſſunt, quibus exſpirantibus aliquis pro mortuo habeatur, ſed *ætatis* humanæ, ſeu vitæ durationis poſſibilis menſura quædam aſſumenda eſt, cum per cauſas inſuperabiles, locorum diſtantiam, ſervitutem & caſus haud facile determinandos, aliquis ſupra trigeſimum annum abeſſe, & citationes publicas haud percepiſſe poſſit, ſupereſſe tamen inter vivos præſumatur, quandoquidem, cum excederet provincia,

illa

illa ætate erat, ſecundum cujus rationes, eo, quo quæſtio agitatur tempore, poſſe adhuc vivere exiſtimatur. Parum largiuntur vivacitati hominum illi Iuris interpretes, qui, ſeptuageſimo anno, a nativitate ejus qui abeſt, excurrente, ſatis ſuperque expectatum eſſe, prætendunt, aut qui ultra octogeſimum differendam bonorum diviſionem haud eſſe, putant, cum divus Pſaltes hunc ſummum vitæ terminum mortalitati ſcripſerit: *Dies annorum noſtrorum ſunt anni LXX. & ſi tamen ultra vivere datur, octoginta* (d). Nollent etiam fortaſſis Iuris interpretes medicos audire, qui ultra centum annos vitam extendi poſſe, arbitrantur; Liberalis fuit *magnus ille* BOERHAAVE (e), & fiduciam, anno ſuper centeſimum quinquageſimo vivendi, aliquam eſſe poſſe, ex viribus ſolidorum æſtimavit; centum & viginti annos homini largitur CLAVDIVS DEODATVS (f), & ipſe IVSTINIANVS (g). *Illuſtris Juris Conſultorum Lipſienſium* ordo centum annorum menſuram pro ſumma & poſſibili ætate hominis definivit (h). Quamvis enim exquiſitiſſimo opus videatur

(d) Pſalm. 90.
(e) Lect. Academ. Tom. III. p. 621
(f) Pantheum hygiaſticum, de hominis vita ad CXX. annos producenda, L. 3. Bruntruti. 1728. 4.
(g) Nov. 5 2.
(h) Legi meretur Diſſertatio, hoc anno, Præſide Excellentiſſimo Dn. FERDINANDO AVGVSTO HOMMELIO de Septuagenario abſente facto, quando mortuus præſumatur? a IO. DAN. OLENSCHLAGER habita, cum Programmate, ſuper eodem argumento, ab Excellentiſſimo D. IO. FLORENTE RIVINO conſcripto.

tur esse regimine, quo quis istam vitæ humanæ metam attingere possit, atque illa diæta ad vegetæ senectutis consecutionem necessaria, ab aliquo, qui absens est, servari forte haud potuit, maxime cum constet, tenuem, cum abiret, fuisse hominem, variis morbis obnoxium, & talibus, qui senescere illum haud permiserint, cum etiam itinerum calamitatibus oppressus esse potuit, mediis subsistendi & omnibus facultatibus, ad vitam commode ducendam necessariis, destitutus; Attamen, cum ista præsumptio possibilitatem ætatis centum annorum attingendæ haud destruat, multique inter morbos, si illos optimo vivendi ordine rexerint, consenescant, aliis, athletice valentibus, propterea, quod sordide vixerint, florida ætate occidentibus, cum ergo, veluti *multi moribus turpibus innutriti, illiberalius aut segnius victitantes, corrumpunt naturas optimas, iterum quidam vita sapiente & exercitiis opportunis infirmitatem corporis correxerint* (i); cum etiam illi, qui turbidum vitæ genus agunt, a spe, illam ad summum evehendi, haud excludantur, inque illis, quos PLINIVS (k) atque LVCIANVS (l) ediderunt, hominum vivacium catalogis, multi legantur, qui inter luxus & corruptissimos mores, ad exemplum MASSANISSAE Mauritaniæ regis solutissimi hominis, summam ætatem attigerunt: Adeoque legislatores, quando absenti possibilitatem ad centesimum usque annum

(i) GALENVS de sanitate tuenda, Libr. 2.
(k) Hist. Nat. Libr. VII. c. 48.
(l) Περὶ μακροβίων Libro.

annum vivendi tribuunt, ad probabilitatem, qua quis illuc usque vivere posse præsumitur, & ad possibilitatem ex natura humana desumptam, ut ita statuerent, respexerunt.

§. 3.

Angustiore aliqua significatione ætas de singulis vitæ humanæ periodis, intra quas aliquid, incrementi, status, ac decrementi corporum causa, perfici solemne est, capitur. Est autem illa, ordinata quædam corporum per tempora durationi eorum destinata progressio: *Aetatem nullam*, ait GALENVS (m) *celeriter decurrentem novimus, ut puer altero die jam vir fiat, ut non potius sensim per epheborum & adolescentium ætates iter faciat*; Ab eo enim tempore, quo per se subsistere, cum ante partum, matris pars esset, post nativitatem homo incipit, nulla quiete concessa, solidarum illius partium elementa, breviore atque angustiore spatio hactenus concluſa, sese evolvere incipiunt, atque, quo usque possunt, extendi properant, idque tam illa sua, quam omnes animatæ partes compressius collocatæ habent, elasticitate, quam vi vitæ & motu cordis in extensiles fibras agentis, secundum nutritionis leges, perficiunt. Inest enim infantis corpori omnis, quæ adolescendo magis explicatur, materies solida, veluti in germine vegetabili totius plantæ idea cum floribus atque fructibus sistitur. Soli humores, per alimenta quotidie advecti, inque gluten nutriens conversi, augmentum voluminis, ponderis,

(m) Comm. in 6. Libr. Epidem. HIPPOCR.

roboris atque reſiſtentiæ afferunt, ut propterea corporum augmentum, perque diverſa tempora ad ἀκμὴν & extremum poſſibilis extenſionis ſtatum progreſſio, ſit omnium actionum, tam *vitalium* quam *naturalium* ſequela, in complemento virtutis illius conſiſtens, qua ad vitam & functiones omnes opus eſt. Ordinata eſt iſthæc temporum, per poſſibilem vitæ humanæ durationem, ſucceſſio, & ad ſeptenarios quodammodo diſpoſita. Intra illud, quod primo a nativitate diei & ultimo ſeptimi anni intercedit, ſpatium, infantia excurrit, quandoquidem, etiamſi *fari* aut loqui maturius diſcunt tenelli, ſine mente tamen loquantur, ut abinde *infantes* dici ſoleant. Illud autem tempus ſuas ſingulares mutationes, ordinatis numeris aliquantulum addictas, etiam habet. Ante quam ſeptimus menſis a nativitate exſpirat, dentes inciſores, duo inferiores medii, ſuis erumpunt alveolis, quæ mutatio ablactari nunc alumnum oportere, indicit; intra alterum menſium ſeptenarium, dentes inciſores reliqui vegetant, & accedunt illis ex molaribus priores; Intra tertium ſeptenarium menſium vitæ, dentes canini cum reliquis molaribus, quos infantilis ætas habere poteſt, prodeunt, ut mandibula utraque decem tunc dentibus, *quatuor inciſoribus, duobus caninis, & duobus utrinque molaribus, mandendi loquendique cauſa, armetur*; Sed ad diem omnino & horas iſti effectus haud procedunt, ſufficit, ultra hos terminos dentium dictorum geneſin, niſi infirmus infans fuerit, haud differri, maturiorem eſſe

esse posse, si vegetiores infantuli fuerint. Similiter reliquorum ossium mutationes lente procedunt, ut intra primum istum vitæ septenarium eorum conditiones, ab istis quæ nascentibus erant, mutentur insigniter. Sic embryonibus quoque ossium status, pro mensium ratione, varius est: Vnius mensis calva simplicem sistit saccum membraneum, & ossium calvariæ rudimenta minutis abhinc punctis osseis sparsim apparent: Sternum tenuis cartilago est: Vertebrarum primordia minutis intra cartilaginem punctis comparent osseis: reliqua ossa tubum referentia, debili rudimento, reliquis tamen perfectiora, sistuntur, ossa autem respirationi inservitura, costæ atque claviculæ, statim perfecta sunt. Atque horum ossium omnium, quanta esse potest, perfectio, cum fine noni mensis coincidit, dum isto tempore calva ad hiatum usque rhomboidalem, seu membraneum verticis contextum, qui *fonticulus* aut *fontanella* appellatur, perficitur, ossibus ejus futura haud junctis, & laminam utramque tenui diploe divisam habentibus; mutantur adeoque ossa, uti statura infantis atque actionum exercendarum vigor majus robur, postulant: Hinc intra annum fonticulus in verum os consolidatur, nisi quod quibusdam, adultis, istius pristinæ conditionis vestigium supersit, fonticulus scilicet in quadrangulare os conversum: Os occipitale, cum quatuor distinctis constaret particulis, sensim unum fit; Os frontis divisum, mandibula inferior divisa, uniuntur, os temporum, in quo au-

ditus officina hæret, tribus, *petrosa, squamosa, atque anulari*, partibus divisum, adunatur, sternum, quod, punctis osseis intra cartilaginem natis, divisum est, hisce auctis atque magis unitis, in pauciores orbes osseas, ast majores coit, & ossa tubiformia, epiphysibus hactenus cartilagineis præcincta, easdem accipiunt osseas, sed semper a trunco distinctas. Intra quatuordecim mensium spatium, patella, quæ femoris atque tibiæ articulum firmat, solidior evadit, unde ambulandi vigor nascitur. Præterea, molliores corporis partes quod attinet, majus subinde robur acquirunt musculi, magis magisque sensus vigent, & veluti anatome docuit, cum molle ac pultaceæ consistentiæ cerebrum sit neogenitis, ita illud subsequentibus mensibus atque annis plus consistit, unde etiam sensuum ipsiusque intellectus vigor subinde major oritur. Atque hæc omnia per septem priores vitæ humanæ annos, quibus *infantia* describitur, eveniunt.

§. 4.

Altera vitæ periodus, *pueritia* est, cujus limites ad finem secundi septenarii annorum sese extendunt, intra quos ossium conditiones ante dictæ plus magisque mutantur, futuræ, quæ ossa calvariæ jungunt, clarius apparent, vertebræ dorsi, tribus hactenus partibus conflatæ magis concrescunt, ossa pelvis, puero trifariam divisa, plus adunantur, trunci longorum ossium obfirmantur, manentibus tamen epiphysibus, quas ad usque incrementi completionem divisas esse oportet.

In

In isto stadio dum procedit puer atque puella, dentes gignunt alios, vel, quod verius dictum est, absconditos dentes *secundæ seriei* eodem ordine educunt alveolis, quo priores orti fuerant, utque magis profecerint, sic illis dentium quoque molarium augetur numerus, quo enim solidioribus huic ætati ad nutritionem opus est cibis, eo plura quoque instrumenta, quibus illi franguntur, adesse oportet. Ergo, dum finis secundi septenarii attingitur, duodecim, penes vegetiores quatuordecim in utraque maxilla dentes eruperunt. Nunc tertio, quod epheborum aut adolescentium est, stadio decurritur, dicunturque, qui hac ætate vivunt, *pubertatis* terminum attigisse; Nunc enim, pro illo fine, quem autor naturæ omnibus animalibus præfixit, ut sui generis propagandi desiderio aliquando tenerentur, evenit, quo aliquantulum plus virium atque humorum vitalium corporibus inesse, quam ad nutritionem opus est, incipiat: adeoque viget nunc virtus plastica: *Semen* ait ARISTOTELES (n) ferre primum suscipit masculus ut plurimum ἐτέσι δὶς ἑπτὰ τετελεσμένοις ἅμα τε καὶ τρίχωσις τῆς ἥβης ἄρχεται, περὶ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον τοῦτον ἡ τε φωνὴ μεταβάλλειν ἄρχεται ἐπὶ τὸ τραχύτερον, ὃ καλοῦσι τραγίζειν, μᾶλλον μὲν τοῖς ἄρρεσι, συμβαίνει δὲ τοῦτο καὶ ἐπὶ τῶν θηλέων, ἀλλ' ἀδηλότερον: *Semen ferre primum suscipit masculus, ut plurimum annis bis septem finitis: Simul pilorum eruptio ad pubem incipit, in gravius*

(n) de Gener. animal. Libr. V. c. 7.

vius quid vox mutatur quod caprire *appellant, quod plus quidem maſculis accidit, tamen etiam, ſed obſcurius, fœmellis.* Eodem anno, communi inter plurimas lege, mutatio quædam fœminis accidit, qua, novam nunc vitæ rationem eſſe, & novam ætatem nunc inchoari, indicitur: *Feminis*, ait PAVLVS (o), *utplurimum anno decimo quarto fluere menſes incipiunt*, & AETIVS (p), *infra decimum quartum annum menſtrua haud fluunt:* Sed Iurisperitorum ſchola biennio maturius, fœminas, quam viros, adoleſcere, autoritate HIPPOCRATIS adducta, ſtatuit, qui, *filiæ* inquit (q), *cùm a matre ſeparatæ fuerunt, citius, quam filii, pubeſcunt, & ſapiunt & ſeneſcunt, propter corporum imbecillitatem ac victus rationem, cui* ARISTOTELES (r) ſubſcribit: *Fœminæ*, ait, *ubi in lucem venerint, celerius, quam mares, perficiuntur, nam & pubes & vigor & ſenectus prius illis venit, quam maribus.* Ephebis exceſſiſſe dicuntur, qui altero annorum ſeptenario majores ſunt, & adoleſcentiæ nunc percurrunt ſtadium, quo durante corpus in plenam ſtaturam evehitur, omnisque illi materies ita expanditur, vt porro nequeat; Illa ætas vires hominis eo usque auget, ut illi ſuperſit, quod ad procreandam ſobolem erogari poſſit. Ingreſſi hoc ſtadium homines, omnes corporis ſui menſuras nondum impleve-

(o) L. IV. c. 16.
(p) Libr. 16. c. 51.
(q) De partu ſeptim.
(r) Hiſt. Anim. L. 7. c. 3.

pleverunt, quare adoleſcentes tunc dicuntur. Præcocius ſane fœmella creſcit maſculo, hinc humorum copia, quam vel menſtruis projici, vel in fœtus nutritionem impendi oportet, repletur ſubito, quandoquidem laxiores illi arteriæ ſunt, maxime quæ vterum attinent, quod HALLERVS (s) probat. Oſſium quoque epiphyſes citius delentur fœminis, illisque incrementum ante tertium annorum ſeptenarium ſiſtitur, quo tamen, capitum, quæ ſuper longa oſſa arruum ſunt, diſcrimina, quæ epiphyſes vocantur, maſculis aboleri demum ſolent. Ille ergo incrementi corporum terminus a natura ponitur, vltra quem nihil in longitudinem excreſcit, in latitudinem parum. Interea anima, quæ ubique, corpore ſano, æqualiter proficit, vim cogitandi, veritatem aſſequendi, majorem impetrat, eoque magis, ſi cultura acceſſerit: atque hæc ætas *adoleſcentia* eſt, cujus finem inchoans juventus conſtituit (t). Verum de juventutis aut ætatis, quæ incrementum abſolvat, terminis diſcrepant legislatores æque ac medici; Iura Saxonica vigeſimo primo anno ſui juris,

(s) Comm. in Prælect. BOERH. Tom. V. p. 11.

(t) BOERH. ib. & Autor definitionum GALENI Νεότης ἐστὶ, καθ' ἣν αὔξεται τὸ ζῶον, πλείονος ὄντος τοῦ προσγινομένου. ἢ τοῦ ἀπογινομένου; ἀκμὴ ἐστὶν ἡλικία, καθ' ἣν ἠύξηται μὴ τετελεύτηκε τὸ ζῶον, ἴσων ἐόντων τῶν ἀπερχομένων τοῖς προσφερομένοις. Adoleſcentia eſt, in qua augetur animal, plus exiſtente ejus, quod accedit, quam decedit. Iuventus eſt ætas, ubi adolevit & perfectum eſt animal, æquali exiſtente, eo quod abſcedit, illi, quod accedit.

liberum, atque majorem esse volunt, quando Jus Germanicum XXV. annorum absolutæ ætatis limitem ponit: *Viri*, ait BOERHAAVIVS, *longitudine increscunt ad annum ætatis vigesimum quintum & ultra: Fœmina vero, annos nata sedecim aut octodecim, jam attigit istam proceritatem, quam nunquam excedet, nisi raro quodam exemplo.* Ista ætate accedunt σωφρονισῆρες, aut sapientiæ dicti dentes molares, quorum eruptio, nisi qui illis destituuntur, completæ ætatis esse posset significatio. Qui septenariis favent, quarti finem, annumque XXIIX. juventutis primordium & adolescentiæ finem ponunt. Sed leges, ætatis completæ jura citius impetrari posse volunt, quam natura incrementum corporis absolvit, hinc in Principis voluntate positum est, minoribus majorum largiri privilegia, postquam cognoverit, juvenem ultra ætatem sapere, suisque facultatibus præesse posse.

§. 5.

Quando penitus induruerunt ossa, quod cum anno XXVIII. incidit, *Iuventus* vigere incipit, incertisque limitibus, & nullis porro, quæ ætates in septenarios dividere possint, mutationum signis, per virilem ætatem excurrit, ad usque senectutis primordium, quod quinquagesimus annus est. *Homo vegetus*, ait BOERHAAVIVS, *sanissimus, vbi quinquagesimum annum attigit, statum sui corporis jam supergressus est.* Veteres hominem, ex quo crescere desinit, senescere dicunt, & GALENVS περὶ μαρασμῦ, *de marcore, Libro*, senectutem,

autem, λανθάνεσαν τῶν παρακμαζόντων ἐπὶ θάνατον ὁδὸν, *lentam eorum, qui crescere desierunt & supra statum summum evaserunt, ad mortem progressum*, appellat.

§. 6.

Si priores tres septenarios excipias, quorum mutationes satis ordinatæ sunt, certe non nisi in paucissimis deficiunt, ut vel maturius, vel serius signa mutationum, quibus ætates definiuntur, appareant, quod reliquum vitæ tempus attinet, in numeris annorum nihil est positum, sed vires corporeæ ætatem definiunt (u). Proinde fœmina juvenescit citius & virum maturitate præcedit. Et *legislatores*, ait BOERHAAVIVS, *facultatem testamentum condendi teneriori mulierum ætati concedunt, viris tardius largiuntur, quod existiment, animas*

(u) Doctrina de climactericis annis ex superstitiosa numerorum Pythagoræorum consideratione orta, futilis est, & ex observatis trium priorum septenariorum ætatis humanæ orta, quæ tamen ipsa quoque mathematica certitudine haud gaudent: HIPPOCRATES in Coac. Prænot. annos 42. & 63. tanquam insigniores annos ad quorum mutationes aliquid rediret, nominavit, quem sequuntur alii veteres, GELLIVS *Noct. Att.* Libr. 3. c. 10. Libr. 16. c. 7. MACROBIVS in Somno Scipionis. Sed ARISTOTELES *in Libro* de longitudine & brevitate vitæ, nihil istos attendit numeros & 7. *politic.* cap. ultimo, dicit: Qui per hebdomadas ætates partiuntur, hi magna ex parte recte haud percipiunt. Ita etiam recentiores sentiunt. Lenta phœnomenorum accessione, celerius tardiusve, prout quilibet valet, proficimus atque decrescimus.

animas feminarum prius perfectas esse, vti corpora vident celerius perfici. Aetatem sæpe prævertit animi & corporis vigor penes viros, ipsamque senectutem quod attinet, anni nihil definiunt, sed quibusdam senectus præcox est, aliis sero vires cadunt. Proinde PLVTARCHVS (x) *non ad annos, sed ad vires, Reipublicæ porro interesse haud oportere senes*, æstimat. Neque etiam adeo exacte ad numeros ætas mulieris exigitur, ut, quinquagenaria major, jam dici possit vetula, veluti vult PLINIVS (y): *Mulier post quinquagesimum annum non gignit, majori parti quadragesimo profluvium genitale sistitur.* Est etiam ex morbo senectus, γῆρας ἐκ νόσου, si quidam, virili ætate vix majores, marcent, quando alii, senes floridi, suum ad decrepitam usque senectam vigorem conservant, optimo vitæ regimine. *luxta puerilem*, de se ipso GALENVS (z) ait, *ætatem & prope pubertatis ac adolescentiæ tempus, non paucis nec parvis capti fuimus morbis, sed post vigesimum octavum annum a nativitate, mihi persuadens esse aliquam artem sanitatis servandæ, illius præcepta secutus sum per omnem abinde vitam, vt nullo morbo unquam laborarem, præter tenuem aliquoties febriculam.* GALENVS enim, veluti SVIDAS (a) refert, centesimum & vigesimum annum vivendo explevit. Quo plus autem corpora

(x) Libro εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον.
(y) Hist. Nat. Libr. VII. c. 9.
(z) GALEN. de Marcore.
(a) Lexicon, sub. voce GALENVS.

pora durant, eo plus illis fibræ, hinc vasa atque organa, longo usu, factoque per actionum frequentiam attritu, obrigescunt, adeoque variæ abinde oriuntur calamitates, quas extrema ætas inseparabiles habet. Tunc, ait BOERHAAVIVS, oculi explanari incipiunt, & ingruere presbyopia, neque modica lux ad videndum sufficit, surdastri fiunt, paulo post corpus incurvatur, ut caput inter humeros reconditum sit, totusque homo facile duabus unciis brevior fit, quando vertebræ dorsi, compressis & in tenuem ossam crustam mutatis ligamentis intervertebralibus, in unum os conferruminantur & spinam abbreviant. Hinc virium oriuntur defectiones & aliæ afflictiones, (b) quæ senem Reipublicæ porro interesse haud sinunt, illumque a variis negotiorum gestionibus muneribusque publicis excusant.

Nam nunc felicior ætas
Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra senectus (c).

Animus autem, nisi ex morbo, senem haud deserit, nisi forte sub extremæ senectutis cum naturali morte confinio. Senum enim cerebra solent illis juniorum esse duriora, ut cultello etiam resistant, proinde sanguini atque humoribus minus sunt pervia, atque actionibus sibi propriis minus sufficiunt. Propterea sensuum atque memoriæ

(b) Senectus ipsa morbus est. TERENTIVS in Phormione.
(c) OVID. Libr. IV. Metam.

moriæ imbecillitates illis oboriri ſolent. Etiamſi ergo, quod corporeas vires attinet, ſui ſenio ſunt limites, dum ſenectus quædam *florida* eſt, cui generandi facultas adhuc ſufficit, alia *decrepita*, intra quam ſibi ſaltim ſuſtinendo homo par eſt, ut hoc reſpectu PLATO (d) γέροντας δὶς παῖδας recte appellaverit, oporteatque illos infantum diæta, quandoquidem dentibus, ad mandendum a natura datis, privantur, enutriri (e). Mentis tamen vires illis excellentiores eſſe poſſunt, & harum reſpectu, ſecundum CICERONEM (f), *omnium ætatum certus cum ſit terminus, ſenectutis nullus eſt, rectèque in illa vivitur, quoad officii munus recte exequi ac tueri quis poſſit.*

CAP. IV.

De dubio animi atque corporis ſtatu.

§. 1.

Quicunque, etiamſi propter ætatem nondum deficiat, propter infirmitatem animi vel corporis, ſuas res tueri, vel debitum aliis officium præſtare nequit, miſerabilis cum ſit, excuſationis argumentum ab iſta ſua imbecillitate accipit validum,

(d) De Re publica.

(e) Γηροκομική, ars ſenes nutriendi dicta eſt, deſcripta a GALENO in Libro de Maraſmo, inque Libris de ſanitate tuenda 1. ac. 6.

(f) In Catone Majore.

validum, dummodo prætextus fidelis fuerit, omnique fictionis ſuſpicione deſtituatur.

§. 2.

Nòn tantum naturalis illa, quæ ex ætatum aut ſexus rationibus conſequitur imbecillitas, leges in favorem afflictæ perſonæ flectit, ſed etiam morbi miſericordiam movent, ſi tales fuerint, qui debitum ſolvere haud ſinunt. Vt enim excuſare, ac privilegia debilibus conceſſa mereri valeant, ejus eſſe oportet indolis, qua, ſuo in corpora effectu, poſtulatum ab aliquo erga ſe atque alios officium ſuſpendere vel ad tempus vel ſemper omnique in loco, domi æque ac foris, poſſint. Nulli autem juris capiti ita addicta iſthæc de infirmis doctrina eſt, ut, vel *hic*, ubi ad cauſas civiles applicatur, vel *alibi*, ubi de criminum cenſura aut matrimonii debitis agitur, ſola locum inveniat, ſed omnibus intercurrit juris titulis, ut & Reipublicæ univerſæ interſit, ægrotorum curam habere. (Sect. I. cap. II. III. IV.) Verum nunc perſonæ ſingulæ, ſe, ſua bona, famamque, ægritudinum prætextu, vario reſpectu, defendunt.

§. 3.

Quod quæſtiones juris civilis attinet, animi atque corporis ægritudines varias ad legum interpretationem mutationes afferre poſſunt, ut, quod ſano æquum eſt, ægrotanti iniquum dici poſſit: *Nulla ſane lex*, ait PLATO (g) *quæ, quod præſtantiſſimum, quodque juſtiſſimum, exquiſite ſimul omnibus ſiſtat, atque optimo modo præcipere poſſit, diſſimi-*

(g) In Politico.

dissimilitudines enim hominum, & actionum, & illud, quod nunquam quidquam in causis perorandis constans & in rebus humanis perpetuum sit, non permittunt, simplex quidpiam in ulla re, circa omnia & omni tempore, comparere.

§. 4.

Vbicunque & in quacunque jurisprudentiæ parte, morbi, vel ad officii gerendi, quod illud præstari nequeat, vel ad facti illiciti, quod perpetratum illud haud sit, excusationem, allegantur, de actionis cujusdam impedimento agitur, & præsens quidem institutum quod attinet, duplici de causa ægritudines adduci solent, ex altera enim parte ad favorabile atque utile obtinendum, ex altera, ad damnum avertendum, imbecillus hominis status adducitur. Vult ægrotus videri, qui lucrum petit, alimenta propter noxam sibi illatam postulat, sumptibus publicis ali cupit, aut infirmitatem adducit, qui damnum vitat, qui vitæ negotiosæ onus subterfugit, tutelam, curatelam detrectat, interesse Reipublicæ atque illius causa laboriosum vitæ genus ducere nollet, cui coram judice, quocunque demum respectu, comparere, grave est, si miles forte legendus est, & si quid aliud est, quod propterea expediri haud posse dicitur, quandoquidem roboris ad agendum requisiti sufficientia haud adsit.

§ 5.

Adeoque vel prætextus vel excusationis, cujus titulus ex morbo sumitur, efficacia illa est, vt age-

re

re quis haud poſſe dicatur id, quod poſtulatum eſt; Quid enim morbi ad criminis & pœnæ illi debitæ menſuram conferant, alibi dicendum, nunc actionum civilium impotentia ex morbo evincenda eſt. Ille hominis ſtatus, quo actiones vel illi propriæ, id eſt mentis, vel, quas cum brutis communes habet, aut penitus delentur, aut ita impediuntur, ut cum aliqua ad actus civiles conſtantia exerceri nequeant, morbus dicitur. Hujus vel aſſertiones vel negationes in foro obveniunt, iisdemque ſignis vel confutantur vel comprobantur, cum ubique de actionis aliqua impotentia diſputetur: Et frequentes omnino de morbis per varia Iurisprudentiæ capita quæſtiones obveniunt, ut de ſignis ſingulorum *pathognomonicis*, ſeu illis, quibus morbi indoles declaratur, conſtare oporteat.

§. 6.

Pauciores forte, quod cauſas civiles attinet, morbum quo affliĉti ſunt, diſſimulant, & bene ſibi eſſe, quando male eſt, profitentur: Poſſet tamen aliquis, commodi obtinendi aut damni evitandi ſtudio, ſuam vel aliorum coelare calamitatem. In cauſis eccleſiaſticis corporis ægritudines occultari frequentius eſt, quando de valore contraĉti matrimonii movetur quæſtio, dum conjugum alter morbos, qui ſocietatem ſtabilem eſſe haud ſinunt, reticuit. Animi autem ægritudines reticeri ac diſſimulari, intra juris civilis cancellos ſæpius obvenit: Si quis per intervalla amens fuerit, ut propterea ſua bona procurare, ſuoque præeſſe officio haud poſſit,

qui ab ejus partibus eſt cauſæ patronus, tanti non eſſe hanc animi turbulentiam, ut propterea ſui juris eſſe & libere agere cliens haud poſſit, probare conabitur; Moroſitatem appellabit, quod ſtupor, Iracundiam, quod furor, Meticuloſitatem, quod melancholia eſt. Diſſimulabunt etiam amicorum morbos amici, quod laudabile omnino eſt, niſi jus tertii noxam abinde accipiat: Ita fieri oportere HORATIVS vult:

At, pater ut gnati, ſic nos debemus amici,
Si quod ſit vitium, non faſtidire. Strabonem
Appellat pætum pater, & pullum, male parvus
Si cui filius eſt (h),

Verum ſupprimere velle morbos illosque diſſimulare, quorum præſentia actum aliquem civilem irritum factura eſt, ſumma foret nequitia. Fieri hoc haud raro, in conſignandis vltimæ voluntatis tabulis ſolet, quando infirmi hominis teſtamentum condentis vigor animi, ſenſuumque conſtantia ad voluntatem requiſita, in dubium adducitur, hinc diſſimulant ac reticent verum ægroti ſtatum illi, quibus teſtamentum favet. Ergo verum animi ægrotantis ſtatum fraudulenter occultari, probabitur ex morbi natura, cum cauſæ corporeæ adfuerint, quæ animum ad actiones cum ratione inſtituendas liberum eſſe haud permiſerint.

§. 7.

Sed frequentior omnino in foro tam civili, quam reliquis, eſt miſeriarum affectatio, qua callidi homines

(h) Satyr. Lib. I. Sat. 3.

mines ad varios prætextus, ad actus judiciales ſuſpendendos, ad officium oneroſum detrectandum, ad pacta infringenda, & ad omnes in univerſum excuſationes, quarum immenſa & vix definienda eſt varietas, in aliorum damna inque juſtitiæ ludibrium, paſſim abutuntur.

§. 8.

Licet ergo caſus, in quibus de vero hominis, quoad ejus animum vel corpus, ſtatu ambigitur, circa cauſas civiles ita frequenter, quam alibi, haud eveniant, adeoque de morbis diſſimulatis ac ſimulatis doctrina, illi, in quo quæſtionum iſtarum major frequentia eſt, capiti adſcribi debebat; fieri tamen ſine offenſione boni ordinis in ſcriptione obſervandi poſſe arbitror, ſi nunc de ſignis morborum, quos ad commodum obtinendum allegare vel abſcondere multi ſolent, egero, nec grave erit, illorum, uti hic occurrunt, definitiones aliorſum transferre, ſi qua per reliqua medicinæ legalis capita earum futura eſt utilitas.

§. 9.

Morbos vere adeſſe, inque ſtatu, quem *præternaturalem* appellant, verſari hominem, adeoque illius aſſerto, ſi ægritudinem allegat, fidem habendam aut denegandam eſſe, per ſigna cognoſcimus, quæ, mutationem aliquam illi factam eſſe, propter quam *facere* non poſſit, vel *feciſſe* dici nequeat, indicant: Adeoque ex ſalutaris artis diſciplinis, hominem ægrotum attinentibus, illa potiſſimum ad forum pertinet, quæ, *semi-*

otica, σημειωτικὴ, ſeu doctrina de conditionibus corporeis morbum adeſſe ſignificantibus, appellatur.

§. 10.

Non autem *præſentes* tantum morbi excuſant coram judice, ſed etiam *imminentes*, & illi, qui paulo ante deceſſerunt, dummodo aſſerti veritas, medici genuini, & facultatem in foro comparendi habentis teſtimonio, fulciatur. Nemini ſuum, quod ſibi aut aliis præſtat, officium damnoſum eſſe debet, metusque eſt, ne, negotiorum geſtionibus, debilis ſanitas, ruinam jam minitans, labatur penitus, vel eadem, morbo fracta, conſtituto adhuc in actu convaleſcendi homine, propter negotium a judice poſtulatum, quo minus ad ſui complementum pervenire atque obfirmari poſſit, impediatur. Adeoque judices excuſationem ex quovis ſtatu hominis præternaturali & morbo, ſive fiente, ſive facto, ſive quoad effectus ſuperſtite, allatam detrectare nequeunt: Verum, quandoquidem temere in foro allegandum nihil eſt, nec fides ſtatim adhibetur aſſerentibus, ideoque, ne finxiſſe morbum videatur, qui ejus favore aliquam ſubterfugere vult moleſtiam, ſufficientia ejus ſigna in promptu habere debet, ut plena veritatis convictione, medicus teſtimonium fide dignum exhibere illi poſſit. Caveant ſibi medentes, ne in aſſerendis morbis, quos multi effugii cauſa ſimulant, nimis ſint faciles, ſciantque, tantum eſſe, teſtimoniis falſis, aut dubia ac fallaci ſcriptione conceptis, impone-

re

re judici, & juſtitiæ adminiſtrandæ obicem ponere, quantum eſt, peierare. Proinde fidem non inveniunt medicaſtri, atque ex medentibus illi, qui publico aliquo eruditionis ſpecimine edito, & ſacramento etiam ad actus judiciales ſeſe extendente præſtito, aliquo ad recte agendum vinculo haud tenentur. Licet enim haud deſint, qui ad artem inſtituti recte omnino fuerunt, de quibus nullum ſupereſt dubium, fore, quo morborum ſigna bene perceperint, nec amore compulſi aut pretio conducti præter veritatem teſtari velint, attamen, niſi immunitatem medendi ſecundum leges a ſummis imperantibus ſcripras indepti & gradu aliquo academico muniti fuerint, ad teſtificandum in foro haud admittuntur, cum probabile ſit, fallere poſſe eum, qui artem illicitam exercere haud veretur, & hoc etiam reſpectu fraudulenter agit. Pudor eſſet, & fere ignominia, ſi peſſimi impoſtoris ſe medicum profitentis, ſæpe literas ignorantis fidem, dum ille, morbo quendam decumbere, teſtatur, agnoſcere judices vellent: Ita etiam cum illis eſt, qui manu medentur, quo, niſi præſtitæ in ediſcenda arte ſua diligentiæ & examinis publici teſtimonium exhibuerint, fidem in foro, morbos aſſerendo, haud inveniant, neque integrum illis ſit, ſuæ ſcientiæ limites excedere, & ſuper morbis internis, quod ſolis medicis relictum eſt, judicare.

§. 11.

Eſt aliquis hominum ſtatus inter ſanitatem atque morbos medius, qui in languore & facili a cau-

ſis externis offenſione conſiſtit, illa ſcilicet corporis conditio, quæ in præſentia cauſæ morbificæ, effectum ſuum nondum conſecutæ, ponitur. Nondum ſuccubuit naturæ vis, nec ſe ſuperari paſſa eſt, reluctatur, fitque ſæpiſſime, quo per optimæ prophylaxeos, quæ cauſæ morbum facturæ eſt curatio, regulas, imminens malum in ipſo limine averti poſſit, quem ſtatum, niſi medium dicere velles, cum tibi forte, veluti inter virtutem & vitium, ita & inter ſanitatem atque morbum nihil ambigui aut quod de utroque aliquid teneat, eſſe poſſe videatur, poſſes tameu morbum appellare minimum; Sanitas enim illa eſt conſtitutio, cui omnium tam internarum quam forenſium actionum facilitas eſt & conſtantia: Τὴν τοιαύτην κατάστασιν, ἐν ᾗ μήτε ὀδυνώμεθα μήτε ἐν ταῖς κατὰ τὸν βίον ἐνεργείαις ἐμποδιζόμεθα, καλῶμεν ὑγίειαν. *Illam*, ait GALENVS (i), *conſtitutionem, in qua nec dolemus, nec actiones in vita communi exerceri ſolitas, quo minus illas exerceamus, impedimur*, vocamus ſanitatem. Sed morbus, qui eſt διάθεσις, σώματος ἐνεργείαν ἐμποδιστικὴ, *diſpoſitio actiones corporis impediens* (k), non ſemper celeri aliqua invaſione hominem opprimit, ut inter perfectam ſanitatem interque decubitum nihil interſit medii. Non omnes *morbi* ait PLVTARCHVS (l) *tacentes invadunt, veluti* HESIODVS *habet*

Invadunt taciti, vocem Deus abſtulit illis,

Sed

(i) De ſanit. tuenda Libr. 1.
(k) De ſympt. differen. Libr. 3.
(l) Præcept. Sanitatis.

Sed plurimi, veluti nuntios & præcurſores & præcones habent: Non enim tempeſtas in cœlo oritur unquam, niſi ſignis quibusdam ante evenientibus, quibus obſequioſi ſint nautæ, aliique experti homines, nec morbus in homine ſua natura conſiſtit unquam, nullo ſigno præexiſtente. Veluti ergo navigantes, qui ſibi, dum tempeſtas oritur, turpe putant ad litus morari, quando in mare evecti ſunt, miſere affliguntur, ita, qui providentia, ut in lectulo per diem morentur & parcius victitent, uti nolunt, turpiter deinde per multos dies jacent. Abſurdum eſt craculorum quidem crocitationi & cantibus gallorum curioſius animum advertere, ſigna edentibus ventorum atque imbrium, ſed abſurdum illud haud eſt, corporis motus & tumultus & propathias prænoſcere & præcavere, & habere ſigna tempeſtatis in ſe ipſo futuræ, & jam imminentis. Neutiquam ergo culpandi ſunt, qui plus ſuæ ſanitatis, quam negotioſæ inter civiles turbas vitæ cupidi, ſi infirma utuntur valetudine, hujus prætextu, occupationes, propter quas plus foris quam domi eſſe oportet, deprecantur; Verum, ut fidem inveniant, oportet illos aſſertionis ſuæ fundamentum adducere poſſe. Et ſigna quidem dubii illius ſanitatis ſtatus ſunt varia. *Inappetentia*, ait GALENVS (m), *appetitus auctus, utrumque corporis haud exquiſite valentis indicium eſt, ſitibundos eſſe, ventriculo admorſos vel ventre languidos ſemet ipſos ſentire, ſignum eſt ὑποφερομένοις εἰς νόσον, ad morbum ſenſim de-*

 latis,

(m) Conſtit. med. c. 19.

latis, ſimiliter gravans dolor ad hypochondria, aut ad caput, aut ad aliam partem, aut viſcus non valens ſufficienter projicere conſueta, corporis tumor, aut extenuatio, aut ἄχροια, quæ coloris vitalis defectio eſt, aut ad motus tarditas, aut ſomnolenta diſpoſitio, aut vigiliæ. Vtque omnia in ſummam colligantur, quandocunque actionum conditiones adſunt, quæ vitam ſanam faciunt, ſatis cauſæ haud eſt, propter quam officia aliis præſtanda detrectare aliquis poſſit.

§. 12.

Sunt autem haud pauci, qui in aliqua, veluti GALENVS appellat, ἀειπαθείᾳ aut perpetua afflictione verſantur (n). Hos PLATO taxat: *Nimium corpus curandi ſtudium ad rem familiarem, militarem, ad magiſtratuum in urbe geſtionem, impedimentum affert, & ad quascunque diſciplinas, ſcientias & res gerendas noxium eſt; graves ſemper capitis tenſiones & vertigines ſuſpicantur, atque illud virtuti omni obeſt, cum perpetuæ ægritudinis opinionem adducat* (o). Ita etiam PLVTARCHO viſum eſt: *Nimia, δι' ὄνυχος λεγομένη δίαιτα, ad unguem dicta diæta corpus turbulentum reddit & difficile, ipſius autem animæ τὸ γαῦρον, illud expeditum & delectabile*, cohibet. Ejusmodi delicatulis, meticuloſis & per otium languidis, quandoquidem conditionum nulla, quæ ſanitatem efficit, illis deeſt, ſi quid officiorum gerendum traditur, teſtimoniis ſuccurrere

(n) De ſanitate tuenda Libr. I
(o) De Re publ. Libr. 3.

rere, eorumque ignaviæ velum prætendere velle, illiberale est ac ignominiosum.

§. 13.

Morbi autem, qui per sua sese signa manifestant, excusationem pariunt legitimam, quodsi illam animi vel corporis facultatem lædant, quæ ad actionem forensem, aut rei familiaris procurationem aliquam, requiritur: Non enim omnis mala corporis constitutio eo usque lædit hominem, ut in foro versari aut officium a se postulatum exhibere haud possit. Quidam morbi sua natura breves sunt, veluti febres quas *ephemeras* vocant, quæ a causa levi ortæ citato cursu suum emetiuntur stadium; veluti ex *catarrhalibus* benigniores: Horum propterèa brevis excusandi vis futura est. Quidam, diuturni equidem sunt, sed lucidis omnique symptomate vacuis intervallis distinguuntur, estque illis tempus, quod ἀπυρεξία appellatur, intra quod *vires vitæ*, quas *naturam* dicunt, inducias ægroto paciscuntur, illum sine sensu molesto aliquamdiu esse sinunt, novoque post concessam quietem impetu iteratum cum causa morbi conflictum instituunt, cui sensus ægrum affligentis repetitioni, *paroxysmo* nomen est: Hunc typum servant *febres* intermittentes, *tertianæ*, quæ alternis vicibus, concessa inter singulas exacerbationes quiete, invadunt iterumque sopiuntur; duarum dierum intervallo calore vacuo *quartanarum* febrium insultus distinguuntur, majorque ægrotis libere agendi facultas tunc conceditur. Quamvis ergo nihil obesse vi-

deatur, quo minus comparere in foro poſſit, qui mixta morbis ſanitate fruitur, fallax tamen cum ſit iſta boni ſtatus, quem *euphoriam* nominant, apparitio, poſſintque, neglectu providentiæ, iſtis etiam diebus debitæ, exacerbari febres, & quæ poſt illorum calores vigent, excretiones, aëris liberioris uſu intercipi, ſuo ſane damno ac periculo officium tunc præſtare nemo tenebitur. Quamvis etiam ex diuturnis morbis, quos *chronicos* appellant, haud pauci, lectulo ægrotantes haud affigant, illisque domeſticas operas exercere liberum eſſe ſinant; Nulla tamen lex ita aſpera eſt, ut excuſationem, ex ejusmodi ægritudinum indole deſumptam, haud admittat. *Illi enim*, ait GALENVS (p), *qui propter naturalem infirmitatem, aut ad totum corpus, aut ad quasdam ejus partes redeuntem, aliqua, pro ſuo quisque modo, ægritudine læſi ſunt, prophylaxi, ne in pejus ruant, ſubinde indigent.* Quidam morbi, quorum cauſæ in corporibus latent, nec ſemper agunt, datis, quibus excitari poſſint, occaſionalibus, in actum deducuntur atque erumpunt; hos *periodicos*, nulli ordini addictos & derepente invadentes appellant; Tales ſunt, inſultus podagrici, ſpaſtici, eorumque ſummus gradus, *Epilepſia*, & in univerſum, omnis ad varias ægritudines diſpoſitio. *Non enim celeriter*, ait COVS (q) *morbi hominibus eveniunt, ſed ex minimis collecti ſubito apparent:* Ejusmodi ergo *morbida corpora*, prout

(p) De ſanitate tuenda Libr. 7.
(q) De diæta ſanorum Libr. I.

prout GALENO (r) appellantur, ἤτοι δύσκρατα τοῖς ὁμοιομερέσιν, ἢ ἀσύμμετρα τοῖς ὀργανικοῖς, *quibus vel prima elementa male mixta, vel ipſa viſcera læſa ſunt*, propter inſultuum frequentiam & invaſionis incertitudinem, omnes, quæ negotioſam vitam poſtulant, operas, ſui conſervandi ſtudio, deprecari poſſunt. Denique ad agendum adſtringi nequeunt, qui curæ corporis cauſa medicamentis utuntur, ſibique aliquod tempus, intra quod unice medici conſiliis ſubeſſe volunt, ab occupationibus fecerunt liberum, veluti, qui, etiamſi ſani fuerint, fluxibus aliisque naturæ moliminibus tempori addictis, ſeu periodicis, ſubjacent, vigentibus hiſce motibus ſalutaribus, ſola erga ſe, nulla erga alios obligatione tenentur.

§. 14.

Multi morbi ita corpus mutant, ut teſtibus de aſſerti veritate haud opus ſit, plures autem ſolo ægrotantium ſenſu, & fideli afflictionum, quas percipiunt, expoſitione cognoſcuntur. Τὰ τῶν νοσημάτων ait HIPPOCRATES, ἃ μὲν ἐν δυσόπτῳ κείμενα, ὀλίγα πολλὰ, τάδ' ἃ μὲν ἐν εὐδήλῳ πολλά ἐστι. *Morbi non inviſibiles, ſive in aprico poſiti & manifeſti, non multi, illi autem, qui non omnino clari ſunt atque evidentes, multi* (s). Adeoque in dubitatione nunquam verſantur ſtatus iſti præternaturales, quorum effectus ſenſibus externis com-

(r) De Conſtit. Medicinæ.
(s) De Lege.

comprehenduntur: Quæcunque enim conditio morboſa ejusmodi mutationes ſecum affert, quæ cordis motum involvunt, in humorum ex corpore fluxu auĉto conſiſtunt, humorum excretorum miſcelam naturali diſſimilem habent, ſolidorum integritatem ita lædunt, ut fraus & illata ſponte violentia nihil conferre potuerit, fingi & fraudulenter ſimulari nequit. Adeoque febres, hæmorrhagiæ, ulcera tota cute naſcentia, elapſa viſcera, inflammationes, tumores, ſputa purulenta, vulnerum aliarumque læſionum effectus, quibus organorum ſtructura corrupta fuit, extra fictionis ſunt potentiam, neque etiam diſſimulari atque occultari poſſunt. Quicunque etiam morbi ex illis, quos imitari quis poſſit, a teſtibus tamen fide dignis, in ſuſpecto homine, qui ex mendacio lucrum capere velle putatur, obſervati fuerunt, hinc domeſtici ſunt atque *συντρεφόμενοι καὶ συγγηράσκοντες*, connutriti atque habituales, & ad ſenectutem vel mortem usque propter cauſæ tenacitatem duraturi, fidem merentur, cum prima vice viſi nunc haud fuerint. Ita, qui epilepticos inſultus allegat, faventem habebit judicem, ſi forte propterea militiam detrectaret aut alia ſubterfugere vellet onera, quando fide digni homines, hunc morbum illi quandoque contingere, affirmaverint. Præterea ſunt ſingulis morbis ſua indubitata ſigna, quæ pathognomonica vocantur. Quis dubitaret de Ictero, dum flavum cutis colorem videt, quis pallorem fœmellæ Cachexiam prodere negabit. Phthiſicus ſputo ſangui-

ſanguineo & parulento ſignificabitur, & morbi in genere omnes, quibus manu medemur omni dubio majores ſunt, licet, quousque illi hanc vel illam excuſationem roborare poſſint, ſtatim haud pateat, adeoque ſuper his artis periti audiendi ſint.

§. 15.

Illi autem morbi, qui ex ſola ægroti narratione diſcuntur, pulſum cordis, calorem vitalem, colorem naturalem haud mutant, in viſceris cujusdam labe fidelibus ſignis cognoſcenda haud conſiſtunt, mentis errorem involvunt, pharmacis effici poſſunt, a callidis hominibus imitatione ad exemplum ſimilium a ſe viſorum ægrotantium exprimi ſolent ſæpiſſime. Cuilibet volenti nec erubeſcenti liberum eſt mendacium, nec infrequens eſt morborum prætextus, quo multi in fraudem fori utuntur, digni morbis, quos mentiuntur ſeque illis devovent. Mox dolores affectant, quos profiteri, compoſita ad mendacium facie, unicuique licet, famem per plures dies ſuſtinent, ut pallorem morbi teſtem habeant, acribus pharmacis ſibi vomitus ac alvi fluxus movent, epilepticos motus artificioſe fingunt, ut imponant credulis, nam iſtum morbum verum vel fictum eſſe, nemo fuerit, quin ex facie pulſuque, qui tunc intermittens atque tremulus eſt, facile cognoſcat. Non deſunt ex fæce plebis, qui, quo jura pauperum mereantur, aut mendicitate vitam trahere poſſint, ſibi ipſis noxas inferunt, ulcera excitant rodentibus pharmacis, ſtuporem ſibi inducunt,

ducunt, devoratis *opio*, *mandragora*, *hyoſcyamo*; tumores, compreſſis ſibi ad junĉturas articulis vaſisque majoribus, ſuſcitant. In ſumma complexus hæc GALENVS eſt *in Libro inſcripto*, πῶς δεῖ ἐλέγχειν τὰς προσποιωμένας νοσεῖν: *Quomodo oporteat confutare eos, qui morbum fingunt:* Adducit vafros homines, qui ſanguinem ſputare dicerant ſorpto ex dente ſanguine, vulneratąque ſibi lingua, ſervum thapſiæ ſucco ſibi ulcus confeciſſe narrat, & media verum a falſo diſtinguendi ex artis legibus docet. Similia exempla fraudulentorum hominum FORTVNATVS FIDELIS, *de ſimulatione morborum*, *capite*, & TEICHMEYERVS, *de morbis fictis & ſimulatis*, excitant.

§. 16.

In detegenda ejusmodi impoſtorum fraude, ſolicitos atque circumſpectos oportet eſſe medicos, nec tantum in cauſa criminali, ubi ejusmodi quæſtiones frequentius eveniunt, ſed etiam coram foro civili, hoc ita fit, quod medicorum, ſuper excuſationibus morbi cauſa, audiendæ ſint ſententiæ: ſi quis ex vulnere aut aliqua alia læſione noxam accepiſſe perhibet, qua impeditus, artem aut manualem operam, quam ante exercuit, nunc agere vitamque lucrari haud poſſit, ut propterea de organi læſi ſtatu præſente ejusque ad exercitium ineptitudine judicandum ſit, tunc quæſtionis cardo in cognitione ſtatus priſtini naturalis & præſentis cum priſtino comparatione atque noxæ illatæ exiſtimatione, conſiſtit; Hic univerſa phyſiologia atque anatome in ſubſidium vocanda eſt, ſciendumque,

que, quo usque musculus vel ejus tendo dissectus fuerit, quantum ejus viribus, inducta cicatrice decesserit, quantum infirmatus sit, dissecto ligamento, articulus. An actionis defectio ex læsione, an vero ex sinistra vulneris cura consecuta sit? An ex vulnere thoracis tabes, ex afflicto abdomine hernia? & si quæ alia hujus argumenti sunt, quæ, si partis læsæ valor æstimandus est, ad cancellos Iuris civilis pertinent. Sæpe coram judice civili medicus morborum signa exponit, ubi miles legendus est, ubi aliquis tutelam aliaque officia onerosa detrectat (t). In quibus omnibus serio ille cogitare secum debet, nihil amoris causa aliter quam rei veritas secum affert, pronunciandum esse. *In virum bonum non cadit mentiri emolumenti causa, &, quæ pœna perjuro a diis immortalibus, hæc eadem mendaci constituta est, non enim ex pactione verborum, quibus jusjurandum comprehenditur, sed ex perfidia ac malitia, per quam insidiæ tenduntur alicui, dii immortales hominibus irasci ac succensere consueverunt* (u).

§. 17.

Occulti animorum morbi sunt, ut, quod causas

(t) Morbum articularem a personalibus muneribus vacationem præstare ad *L. II. C. qui morb. se excusat*, erudite argumentatus est Amicus meus, D. GEORG. AVG. LANGGVTH in Academia Vitembergensi Professor Medicinæ celeberrimus in Programm. 1743.

(u) Cic. pro Rosc. Com.

ſas illorum attinet, quodque cognitarum cauſarum corporearum in rationalem hominis partem effectus concernit, medici haud raro clare nihil perſpiciant: Quamvis enim evictum ſit, certas aliquas corporis conditiones certas intra mentem mutationes producere, animamque in tantum ideas errantes concipere, in quantum ſenſus externi illi aliquod objectum ſub falſa imagine ſiſtunt, non tamen ſatis liquet, qua fiat, ut ſenſuum externorum effectus in morbis quibusdam alii ſint, quam in ſtatu ſano erant, cum tamen per ægritudinem nulla ipſis organis mutatio acciderit. Adeoque cogitationum errores non tam in ſenſuum aliqua fallacia, quam in perceptionis falſitate conſiſtunt, inque omnibus animi perturbationibus, cerebrum, tanquam ſenſorium commune, in quo ſenſibilium rerum perceptio atque idearum combinatio contingit, varia ratione afflictum eſt, & in ſe quidem, cum mixtionis & compoſitionis expers ſit, anima nullam mutationem recipit, ſed in tantum ſaltem patitur, in quantum ideæ trans cerebrum morbidum miſſæ, illi, ſine ordine & nexu, qui ad cogitandum neceſſarius eſt, offeruntur. Deinde in ſuæ voluntatis executione errat anima, quando obſequioſos ſibi ſuoque imperio haud habet ſpiritus, qui, ad humorum vitalium leges, motus ſibi proprios a cerebro atque nervis impreſſos obtinent, atque illas, quos ab animo actionum moralium rectore accipiunt impreſſiones, haud perſentiſcunt, vel ab illis ita haud moventur, ut effectus organorum, voluntati

luntati reſpondeant. Veluti enim equus indomitus rectoris obluctatur imperio, ita ſpiritus nervorum, ſuo delati impetu, mentis juſſa non capiunt, ita quidem, ut corpus, ſine deliberatione & conſilio, ſolius machinæ legibus, veluti brutum animal, moveatur ſæpiſſime. Propterea, ubi adſunt cauſæ corporeæ, quæ ſenſuum in mentem impreſſiones, vel mentis actionem in corpus impediunt, homo facere quidpiam ſecundum legum civilium normam nequit, ejusque actus omnes illegales nulliusque valoris eſſe cenſentur.

§. 18.

Cum ex ſe ſuaque natura animus humanus haud ægrotet, ex prava idearum cohæſione ſola, aut ex ſola morum doctrina, ſecundum legum rigorem, ejus quoque facta æſtimari nequeunt; hinc morboſa hominis indoles, ſecundum regulas artis, quæ cauſarum corporearum effectus in animum docet, penitus perſpicienda eſt, nec aliter *de ineptitudine mentis ad agendum* judicari poteſt, quam ſi cauſæ hujus effectus in machina corporis repertæ ſunt: medicos adeoque audiendos eſſe, uſus fert, ipſaque, illud ita fieri oportere, æquitas, ne ex præjudiciis, ſemper fallacibus, quidquam præcipitantius decernatur, poſtulat (x).

§. 19.

(x) Confer. IOH. ZACHARIAE PLATNERI prolu-ſionem XVIII. quæ, medicos de inſanis ac furioſis audiendos eſſe, oſtendit.

§. 19.

Varia eſt iſta animi humani calamitas, qua afflictus ille, vel ob ſpirituum ex oppreſſo cerebro naſcentium torporem, vel ob incoërcibilem & attentioni haud obſequentem eorum impetum, ſecundum leges agere nequit: Aliquando ſtupidus eſt, & ſola vita animali, morali nulla aut debili vivit, & cerebrum ideis ſenſuum miniſterio perceptis illi pervium non eſt. Attonitos appellant, quos nihil illius, quod ſenſibus obvium eſt, movet, quos nec videre nec audire diceres. Vigent illis actiones vitales atque naturales, animales torpent, nec gaudent, nec iraſcuntur, nec metuunt, νάρκωσιν γνώμης appellat GALENVS (y). Proxime ab hoc morbo, qui rem peregrinam cerebro defixam aut illi accumbentem, pro cauſa habet, abeſt ſtultitia, quam Μώρωσιν græci appellant. Hanc GALENVS definit, quod ſit *ſymptoma ſine delirio, ſtultis natura ſimiles reddens ægrotos, quales ſunt quidam ex illis, qui ἀπογηρᾶν, ex ſenectute infirmari dicuntur, cui morbo affinis equidem, ſed non omnino idem,* ἄγνοια, *omnium rerum inſcitia.* Hanc cogitandi impotentiam gravis capitis læſio poſt ſe relinquit. Aliqui ab infantia, cum illis naſcentibus oſſa capitis dislocata eſſent, ſtupent, aliis veneni ſtupefacientis virulentia hanc noxam attulit: Μώρωσιν ἐκ κωνείου ποθέντος, ſtuporem ex cicuta epota, GALENVS (z) adducit. Sunt etiam, qui ordinate

(y) Comment. 2. in Libr. 6. Epid. HIPPOCRATIS.
(z) Comm. in Coac. prænot. HIPPOCRATIS.

re cogitarent, ſi illis ſenſu perceptorum memoria ſufficeret. Talis erat λήθη aut oblivio illorum, qui ex peſte convaleſcebant apud THVCYDIDEM, & GALENVS, *haud raro*, ait, *viſum eſt, morbos veluti in alium novum deſinentes ſtuporem aut oblivionem induxiſſe, adeo aliquos literas ac artes ignoraſſe, nec nominis memores* (a).

§. 20.

Aliquibus debilis eſt animi defectio, atque inſaniunt cum meticuloſitate & triſtitia, qui morbus, quandoquidem illius cauſas in atræ bilis lentorem conjiciebant veteres, Melancholia dicitur. Hæc *affectio eſt, rationem lædens cum triſtitia magna & odio erga amicos ſine febre* (b). Ejusmodi ægroti pavent, non ſæviunt, quod furoris eſt: σιγηροί τε εἰσὶ καὶ μονηρέες καὶ φιλήρεμοι. *Taciturni ſunt & ſolitudinem amant. Terroribus valde percelluntur & deſipiunt, & videre putant dæmonas ſibi iraſcentes* (c).

§. 21.

Sed ſanguis atque ipſe nervorum ſpiritus fervet, magnoque erga organa ſenſuum motusque impetu fertur illis, qui inſaniunt, iracundi atque, audaces; Et duplex quidem illorum genus eſt, alii ſine febre ferociunt, aliis ex febre malum venit, illud perpetuum eſt, aut per intervalla revertitur, hoc breve atque tranſitorium, illi ma-

 niæ

(a) In Libro, quod animi mores temperamentum ſequantur.

(b) Autor definit. GALENI.

(c) HIPPOCR. Epiſtola ad Philopoemenem. & de morb. Virg.

niæ, huic phrenitidi nomen eſt. Hoc diſcrimine ſolo, quod cum febre ſit, phrenitin accipimus, nulla enim re alia diſtat a mania, quam febre, mentis ſiquidem noxa eſt utraque, ſed proprium inſanientium eſt, ſine febre eſſe (d).

§. 22.

Vtraque, & mitis illa & furioſa mentis impotentia, vario modo quoad ſuas diſcrepant ſpecies. Mox enim de omnibus objectis aliter, quam ratio vult, cogitant, inepta loquuntur & faciunt. Neque vero quod melancholiam attinet, omnibus triſtis meditatio animis volvitur, ſed τὰς μὲν ἀεὶ γελᾶν τὰς δὲ κλαίειν, *alios ſemper ridere, alios plorare*, PAVLVS (e) obſervavit: quodque furorem concernit, non ſemper mens emota illis eſt, ſed aliquam ſæpe animi ad tranquillitatem compoſiti ſpeciem præ ſe ferunt. *Etiam artes adhibent*, ait CELSVS, *ſummamque ſpeciem ſanitatis in captandis malorum operum occaſionibus præbent, dum levari vinculis cupiunt, ſanos ſe fingunt, & prudenter ac miſerabiliter loquuntur* (f), ut propterea plus malitiæ atque iracundiæ, quam morbi ſubeſſe ſæpe videatur. Vterque etiam animi error multis periodicus eſt & per vices revertitur, uti

(d) Φρενῖτιν ἐκ ὀνομάζομεν ἄνευ πυρετοῦ: Phrenitin non appellamus, niſi cum febre: GALENVS Comm. in Prorrh. HIPP. Com I. Sect. I. Inſaniam febrientium phrenitin appellat CELSVS de re medica L. 2. c. 1.

(e) Libr. 13. 17.

(f) De re medic. Libr. 3. c. 18.

uti cauſæ occaſionales illam internam excitantes id ſecum afferunt, ut propterea, etiamſi reſipuiſſe putentur, propterea tamen fidelis iſta ad meliorem ſtatum converſio haud ſit, poſſitque redire malum haud opinantibus. Eſt etiam quibusdam idea fixa, circa quam unam delirant, in cæteris ſapiunt. Quibusdam amor & deſiderabilis perſonæ cupiditas mentem evertit: Τοῖς ἔρωσι, *furioſe amantibus hæc accidunt: Oculi non lachrymantes, apparentes tamen aliqua voluptate pleni, proprius illis pulſus nullus eſt, ſed illi ſimilis, qui eſt lugentium, ſi autem illis in memoriam amata perſona deducta eſt, ſive viſu, ſive auditu, maxime autem derepente, tunc accidit, emota anima, pulſus mutari*; & fœminæ quidem, quo plus, viro, ſanguinis alunt, eo etiam plus ad amorem accenduntur, plusque in illo deſipiunt: *Virgines*, ait HIPPOCRATES, ὀκόσησιν ὥρη γάμε, παρανδρεύεναι, *quibus nuptiarum tempus adeſt, niſi viro jungantur, magis patiuntur prope menſium apparitionem. Tandem enim his ſanguis in utero ſiſtitur, & ſurſum verſus cor reſtagnat*, ἐμωρώθη ὑ καρδία, εἶτα ἐκ τῆς μωρώσεως νάρκη, εἶτα ἐκ τῆς νάρκης παράνοια ἔλαβεν, *ſtupet illis cor, ex iſto ſtupore languor, ex languore deſipientia illas invadit, aliquando* ἄνευ Φαντασίας, *ſine errore mentis & deliberato animo, voluptas illis eſt, qua mortem, tanquam aliquod bonum, deſiderant, & ex fœminis marito junctis ſteriles hoc magis patiuntur* (g): Illam circa ſingulares

(g) De Virginum morbis Libro.

gulares ideas inſaniam notavit PAVLVS (h), *quidam putant ſe animalia eſſe irrationalia, & voces eorum imitantur, alii ſe fictilia vaſa eſſe putant, alii mortem in votis habent, alii timent, quidam ſe a magnis quibusdam dæmonibus exagitari putant, & vaticinantur veluti numine afflati, quos propterea etiam ἐνθεαστικὰς appellant.*

§. 23.

Illis certe omnibus, quacunque mentis impotentia detineantur, ſuas res procurare, aut alios actus ſolemnes inſtituere, niſi intervallum adſit lucidum, haud licet. Neque vero iſti ſapientiæ ſpeciei confidendum ſemper eſt, adeoque, deliranti per intervalla pharmacevtæ, ſuam tabernam curare non licet, cum illum furor derepente invadere & mala ab illo medicina miſceri poſſet, atque illi, officinæ curator, ſalutis etiam publicæ cauſa, conſtituendus eſt. Ne autem præcipitantius in iſta ſuper integritate aut inconſtantia mentis cognitione progreſſus eſſe videatur Iudex, medicos conſulit, qui cauſas & ſigna iſtius animorum morbi explorant, cum ſæpe ſint, qui ſui commodi ſtudio timidos & meticuloſos homines melancholiæ, iracundos furoris inſimulant: Quod ſigna adeoque ad medici ſcientiam pertinentia, cum alia plura ex vitæ ante actæ rationibus erui poſſint, attinet, ad corporis ſtatum animus advertendus eſt, ut, ſi ſimulata videretur amentia, velletque hoc prætextu aliquod deprecari quis officium

(h) Libr. 3. 13.

cium, poſſibilitas ac probabilitas ejus, ex morbis, quorum ſymptoma melancholia vel furor eſt, in homine præſentibus, eruatur: ſi fluxus illi hæmorrhoidalis, fœminæ autem menſtruus defecerint. *Propria*, ait PAVLVS, *ſigna eorum, qui per conſenſum cum toto corpore inſaniunt, ſunt: corporis tenuitas, nigredo, & durities, ſive natura, ſive ex acquiſitione, ob curas, vigilias, malam nutritionem, retentionem hæmorrhoidum & menſium. Illos autem, qui ex hypochondriorum vitio melancholici ſunt, manifeſtant, ructus acidi, coctionis defectus, ardor & gravitas ipſorum hypochondriorum καὶ τὸ ἀναστῆναι τὸ ὑποχόνδριον, & hypochondrium in ſe contractum* (i). Aſt veritas iſtarum ægritudinum ex *morbi præſentis* ſignis cognoſcitur, & actionum quidem, quæ a voluntate dependent, incerta omnino eſt ſignificatio: potuit ſapiens aliquis DAVIDES, ex articulorum ſimularis contorſionibus, delirans videri; aſt nunquam fallunt ſigna, quæ per faciem hominis in quæſtionem adducti comparent, vultus enim animi index eſt, & oculorum lux vel obſcuritas, mentis ſtatum clare notat. Oculi furioſorum audaciam ſpirant, fulgent, ſæpe rubent, umbroſa illis ſupercilia pendent, quod HIPPOCRATES θρᾶσος ὀφθαλμῶν, ferociam oculorum appellat. Eſt autem in melancholicorum oculis aliquid, quod deſperationem metumque indicat, ſine cauſa evidente plorant, τὸ σκυθρωπὸν, tetricum illud in vultu habent, quod animi turbulentiam ſignificat. Delirium

(i) Libr. 3. 13.

rium febrile, quod φρενῖτιν & παραφροσύνην HIPPOCRATES appellat, per ſua ſigna ſimiliter cognoſci poteſt facile. Atque illud quidem vel per omnem febrem perpetuum eſt, vel ſummo ſaltim febris ſtatui accidit, & decreſcente illa ſiſtitur, mox per intervalla pro æſtus ratione ſeſe remittit, mox increbeſcit. Illis maxime perpetuum eſt, quibus capitis membranæ accenſæ ſunt, vel qui ex vulnere aliaque læſione capitis atroci febriunt. His enim oculi rubent ac lachrymoſi ſunt, ἀλλοφάσσουσι, παραπαίουσι, καρφολογοῦσι, veluti paſſim eſt apud HIPPOCRATEM, *aliena loquuntur*, *ludicra agunt*, *floccos legunt*, amicos haud agnoſcunt, urinæ illis haud advertentibus fluunt, quæ omnia argumento ſunt, eo, cum hæc ſigna adeſſent, tempore, animum ægroto haud conſtitiſſe, neque tunc actum aliquem, cujus valor in ſtabili voluntate & matura deliberatione ponitur, celebrari ab ægrotantibus potuiſſe: Cum autem omnium febrium ſymptomatis delirium haud ſemper interſit, in que ardentibus, mixta deliriis animorum ſit tranquillitas, ideoque, ſi teſtamenti valorem in dubium vocaverint, quorum intereſt, ſolius ſane medici, de natura ſtatuque animorum in febribus judicio, cum aliis artem neſcientibus fides haberi nequit, hæc confici debet controverſia.

§. 24.

In cauſis civilibus de morte etiam controvertitur, atque illius quæſtionis aliqua particula tribuitur medentibus: ſi, hæreditatis cauſa, *quis ex multis*

multis prior denatus ſit, diſputatio orta eſt. Caſus hujus argumenti varios vel novit, vel tanquam poſſibiles finxit FELTMANNVS, quid enim eſt calamitatis, quod rebus humanis intereſſe haud poſſit? *Evenit aliquando, ut plures, vel fulmine icti, vel lapſu, ruina, naufragio, aut fumo, vel fœtore, vel peſte, cum nemo adſit, pereant, atque ita, propter ſucceſſionem, ſi conjuges ſunt aut parentes & liberi, inter eorum hæredes, controverſia oriatur quis eorum prior deceſſerit* (k). Quidam ejusmodi eventuum explicatu difficiles haud ſunt. Si qui ruinoſa domo opprimerentur, omnesque extraherentur mortui, ille prior exceſſiſſe vita dicetur, qui ita proſtratus inventus eſt, ut, ſub ruinis, aliquantulum reſpirandi, illi nulla adeſſe potuerit opportunitas, etiamſi contuſus afflictusque aliquo vulnere haud fuiſſet. Ex illis, qui capite compreſſi contuſique fuerunt, citius exſpiraſſe potuit, cui ad occiput læſio facta eſt, & cujus *cerebello* ſanguis extra vaſa hærens circumeſt, quam qui *cerebrum* afflictum habet, cum *hujus* vulnera ſerius, *illius* citius occidant. Si qui veneno extincti perierunt, FELTMANNVS equidem litem hanc dirimi, quis prior deceſſerit, haud poſſe, arbitratur, cum autem inæqualis toxici per os accepti quantitas huic atque illi inſorpta eſſe potuerit, poſſitque uni plus quam alteri eroſus eſſe ventriculus, ideoque ille prior animam exſpiraſ-

(k) GERH. FELTMANNVS de cadavere inſpiciendo cap. 28.

ſe merito cenſetur, cujus viſcera venenum magis deſtruxit. Quodſi pater atque filius bello vel naufragio una perierunt, filius præ patre periiſſe putatur, quod major temeritas vel audacia filio, quam patri inſit, qua adductus ille, præſentaneis ſeſe periculis exponere confidentius potuerit; Aſt in naufragio patrem ſenem utpote debilem, præ juvene filio, & viceverſa impuberem & debilem filium ante patrem robuſtum mori potuiſſe, leges præſumunt. CORNELIVS TACITVS ordinem naturæ, quo ſeniores juniores moriendo præcedere debeant, in ſimilibus caſibus decidere arbitratus eſt, *cum enim, L. Verus ſocrusque ejus & Pollutia filia eodem in cubiculo, eodem ferro, abſcidiſſent venas, ſervavit ordinem fortuna, ac ſenior primus, tunc, cui prima ætas, extinguebantur.* Verum parum valent ejusmodi præjudicia, cum natura ſeſe ad formulam certamque in ordine moriendi legem adſtringi haud patiatur. Adeoque, ſi in quæſtionem adductæ fuerit iſtæ *de pariter extinctis* dubitationes, ex cadaverum ſectione aliquam lucem accendi illis poſſe, arbitror, cum a læſionum gravitate & excellentia ad mortis celeritatem concludi omnino poſſit, licet & ætas & ſexus & animi cognita temperies & debilitas ex morbis, aliquid ad extricandos iſtius controverſiæ nodos conferre valeant (l).

CAP.

(l) Conf. PAVL. ZACH. Quæſt. Med. Leg. Lib. V. Tit. 2. 10. FRANC. LOEW Theatrum-medico Juridicum. p. 618.

CAP. V.

De ſoſtris medicorum.

§. 1.

Pro officiis judici præſtitis, officium medici poſtulant, illiusque, contra moroſos debitores, exhibitæ operæ pretium ſolvere detrectantes, auxilium exigunt, vel collati in ſe beneficii, poſtquam convaluerunt, immemores, vel indignabundos, immortalitatem a medicis dari haud potuiſſe.

§. 2.

Sanitatem ac vitam nemo emit pecuniis. *Emis*, ait SENECA (m), *rem inæſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam, a bonarum artium præceptore, ſtudia liberalia & animi cultum; itaque his non rei pretium, ſed operæ ſolvitur, quod deſerviunt, quod a rebus ſuis avocati, nobis vacant, mercedem non meriti, ſed occupationis ſuæ ferunt.* Propterea ægre ferebat HIPPOCRATES, ſibi Abderitanos decem talentorum pretium, ut Democritum inſania, qua deprehenſus videbatur, ſanaret, obtuliſſe (n), atque ille ipſe covs oblatas ſibi a Perſarum rege opes, ut peſtem curatum accederet, magno animo ſprevit (o). Neque unquam quisquam eorum eſt, ſi genuini medici nomen

(m) De beneficiis.
(n) Epiſtol. ad Abderitanos & illa ad Cratevam.
(o) Oratio Theſſali HIPPOCRATIS Filii ad aram.

men tuetur, qui lucri cupidine ad res bene gerendas se compulsum esse senserit: *Vir bonus*, ait SENECA, *bonum, quod honeste se facturum putaverit, faciet sine pecunia* (p). Eo adeoque, quo medicos erga se esse intelligunt, animo, illi quoque esse debent, qui se, in magnis calamitatibus, consiliis atque auxiliis adjutos fuisse, reminiscuntur. *Erga medicos*, ait æquissimus SENECA, *non mercede defungor, sed plus quoddam debeo, quo plus impendunt.* Nunc autem

Siquid benefactum est, levior pluma est gratia
Si male factum est, plumbeas iras gerunt (q).

§. 3.

Proinde, ut jure mercedem postulare medentes possint, leges hanc illis decreverunt: *Scævola L. 41. ff. de fideicommissis liberti: Papinianus L. 10. ff. de ann. leg.* IVSTINIANVS *L. 3. de legat.* Hanc tamen expectare, quam postulare, censendum est esse honestius. Quodsi autem exigenda est, una sane, penes omnes, laboris præstiti existimatio esse nequit, sed ad facultates ægrotantium, gravitatem morbi, ejus diuturnitatem, distantiam loci, qui invisendi ægroti causa adeundus erat, moram aliorum negotiorum abinde ortam, respiciendum est; & veluti *Severus atque Antoninus Imperatores. In L. VI. §. 6. de offic. pro cons. & legatis.* Normam causarum patronis in acceptandis xeniis & donativis præscripserunt: *Quantum ad xenia pertinet, audi*

(p) Epist. 27. (q) PLAVT. Poen. 3. 6. 18.

di quid ſentimus: Vetus eſt proverbium græcum, neque omnia, neque ſemper, neque ab omnibus, nam valde inhumanum eſt a nemine accipere, paſſim, viliſſimum, & omnia, avariſſimum; Ita ſimiliter COVS præcipit medicis (r): *At vero remunerationis exigendæ acerbitatem absque cupiditate ſuadeo: ne quid extorqueas; ſed ad opulentiam & facultates reſpicias, quandoque etiam gratis cures, nempe quando ſunt pauperes, ditiores autem multam & exactam corporis ſui curam & habent, & haberi deſiderant, & multo illis inſervitur moleſtius.* Pudor eſt, multos medentium ſuos labores maximo æſtimare pretio, & viliſſimos quosvis atque pauperrimos miſere emungere, ut illis ad mulierculæ ἀμοιβόστης exemplum, omnes facultates in ſterili & irrita morborum curatione abſumantur. Partem famæ ſuæ, quam meritus eſt IOCOBVS SYLVIVS inter medicinæ reſtauratores primarius, medicus præſtantiſſimus, ſua obſcuravit avaritia, cujus diſcipuli, cum funus ejus duceretur, valvis publicis falſum ſcomma affixerunt:

Sylvius hic ſitus eſt, gratis nil fecerat unquam,
Mortuus &, gratis quod legis iſta, dolet.

Quanto honeſtius de ſe ipſo refert medicus & poeta florentiſſimus, AVSONIVS

Obtuli opem cunctis poſcentibus artis ineptæ
Officiumque meum cum pietate fuit.

§. 4.

(r) In præceptis.

§. 4.

Statuendum tamen aliquod præſtitæ operæ pretium eſt; HIPPOCRATES, ſtrenuus cæteroquin divitiarum contemptor, diſcipulis, illas facultates, ut ἀχαριστίαν, gratuitam medicinam exercerent, haud habentibus, conſulit, ante morbum paciſci, *ſi*, inquit, *a mercede inceperis, ægroto perſuadebis, te illum derelicturum haud eſſe, ſi vero non paciſceris, ſe neglectum iri putabit.* Sed durum eſt paciſci dum dolet, cum liberam voluntatem, quæ pacti natura eſt, anxium convaleſcendi deſiderium auferat, ſtabit tamen pacti valor, ſi medens conditiones impleverit. Sed effugia haud deerunt negantibus: recruduiſſe morbum, quem medicus velo obduxerit, neutiquam curaverit. Talis eſt contra medicos *Lucii Titii apud Scævolam L. 41. ff. De fideicommiſſ. liber.* querela, *quod medici ſororem chariſſimam reliquerint.* Summa autem æquitas eſt, illum, qui intra morbos operam præſtitit, ſoluto, pro laboribus, curis, vigiliis, curſitationibus, pretio, conſolari, nec deſunt ſuo officio judices, & poſtulatam medicorum mercedem, propter adhibitam in ipſa cura diligentiam, ſecundum ægroti facultates attemperant, ut ſi ſeveriores in exigenda mercede viſi ſunt, Facultatibus Medicis rem decidendam relinquant.

§. 5.

Lege publica per Saxoniam cautum eſt, quodſi defuncti bona concurſu creditorum venduntur, medicos, qui feralem ultimumque morbum curabant, in accipienda integræ mercedis ſolutione eſſe

esse priores, quando, qui ante hanc ultimam ægritudinem defuncti corpus aliquando curaverunt, pari cum reliquis creditoribus jure fruuntur. Adeoque de natura ultimæ ægritudinis quæstio oritur, an ex illa prima perfecte convaluerit, & annon potius censendum sit, ex illa priore hanc ultimam ortum traxisse.

§. 6.

Verum audiendi haud sunt isti falsarii, circumforanei, tenebriones, veteratores atque empeirici, si mercedem ab ægroto postulaverint, licet enim illis in levibus morbis casus aliquis bene evenerit, tamen, cum in facto illicito versentur, solutionem pro præstita opera exigere haud poterunt, veluti nec illi, qui, licet artis gnari, eandem faciendi, privilegium indepti haud fuerunt.

§. 7.

Qui pharmaca vendunt, eaque, jubente medico, secundum præscriptam sibi formulam miscent, illorum pretium merenter exigunt, & paribus illi cum medico utuntur juribus, nec chirurgis laboris atque industriæ denegatur premium, si intra suos cancellos manserint. Verum pharmaca, quæ suo consilio ægrotis pharmacevta exhibuit, si illorum solutio exigitur, expungenda sunt, cum rei dolose & cum periculo ægrotantium venditæ pretia exigi haud possint, quæ, etiamsi jubente medico pharmacon venditum est, utrum normæ publicæ seu taxæ æqua sint, censuræ Facultatum Medicarum subjacent.

§. 8.

Suis contra medicorum attentata juribus utuntur pharmacopolæ, quando illi pharmaca domi concoquunt, & ægrotis majore, quam norma publica vult, pretio divendunt, juſſitque POTENTISSIMVS intra ſuos cancellos manendum eſſe medentibus.

SECTIONIS SECVNDAE
DE MEDICO LEGVM INTERPRETE.
MEMBRI II.
DE CAVSIS CRIMINALIBVS
CAP. I.
De certitudine facti medica.

§. 1.

Vitioſorum hominum facta, quæ crimina appellantur, in quantum cenſuræ medicorum ſubjacent, plerumque cruenta ſunt, mortis vel morborum cauſæ; Licet enim de aliis quoque facinoribus vitam vel ſanitatem humanam haud lædentibus, an vere commiſſa ſint, deregendis, medici ſcientia ac ſedula facti perquiſitio inſerviat, *ſi cum beſtiis, cum fœminarum cadaveribus rem habuit, ſi puerum vitiavit homo ſceleſtus*, parum tamen illud eſt, ſi immenſam quæſtionum caſuumque crudelium varietatum conſideres, quam mens humana cogitando amplecti nequit, ut propterea de

de ſummis ſaltim cauſarum criminalium conceptibus, in quædam capita collectis, dixiſſe ſufficiat.

§. 2.

Eſt ſuus peccatis modus, uti ſanctior violata lex eſt, aut damnum ex facto illicito conſequens minus plusve reparabile, vel mala voluntas finem ſuum aſſecuta, aut eodem fruſtrata fuerit. Sunt enim delicta, quæ petulantiam, ſunt crimina, quæ ſævitiem involvunt, illa bonis vel famæ, hæc ſanitati vel vitæ hominum pernitiem ſtruunt. Vtriusque generis ἀνομίας, niſi de certitudine facti penitus conſtet, per juſtiſſimos temporum noſtrorum mores, pœnas ferunt nullas. Adeoque, ſi peccatum quid eſt, culpa aut dolo, quod per circumſtantias externas cognoſci nequit, ſi vel cauſa & perſona delinquens, quo feciſſe recte dicatur in ſe inque ſua faciendi facultate conſideranda, vel effectus conſequentia & veritas, ex ſubjecti patientis mutata naturali conditione explicanda eſt, volunt omnino æquiſſimi judices, illos interrogari, qui vitam inter ſtudia ad cognoſcendos rerum creatarum eventus neceſſaria transegerunt, medicos puta, qui per ſuæ artis leges, illatæ injuriæ veritatem & modos, illius ſequelas, aliquando etiam autoris ad agendum potentiam, aut illius, ſi non liquet, inveniendi artificium, exponunt.

§. 3.

Facti intrinſecam formam, quomodo & cur evenerit, exponere, externas, quibus illud conſecutum eſt, cauſas rimari, eſt, inquirere: adeoque

inquisitio delictorum ac criminum, quantum illa examini naturæ peritorum subjacent, est actus judicialis, quo per signorum evidentiam effectus cujusdam noxii existentia ejusque causæ cognoscuntur. Quamdiu circa facti certitudinem solam modosque illam inveniendi versantur judices, *inquisitionem generalem*, quando autem illi circa detrimenti autorem ejusque actum occupati sunt, *inquisitionem specialem* instituere perhibentur. Quamvis autem de facto tantum deque causis ejus indeterminatis, & nullo ad delinquentem respectu habito, consideratis, interrogari medicos oportere, videatur, evenit tamen sæpissime, quo etiam detegendo, incerto adhuc dum autori medici cognitio intercurrat, uti, si, *quis ex duobus gladiis vulnus fecerit*? ex natura vulneris disquiritur, vel si in quæstione est, *an infans, recens natus esse ob putredinis absentiam visus, sub glacie hyberno tempore repertus, tribuendus sit fœminæ, cruentum uterum habenti & ante plures dies peperisse visæ*? Hic ad Autorem criminis detegendum, abstrahendo interim ab ipso crimine, medici consuluntur. Similiter circa delinquentem versatur medici cognitio, & specialis inquisitionis instrumentum fit necessarium, si potentia agendi in aggressore, tam quod corporis, quam quod animi vires attinet, utrum par effectui quæsito sit, examini subjacet, *an tremula senis decrepiti manus, colapho inflicto, calvæ ossa lethaliter afflixerit*? *an*, quæ frequens dubitatio est, *voluntatem habuerit liberam*, *an, propter causas morbo-*

morboſas, *errantem*, quid deliquit? an *caſu*, nulla animi deſtinatione, an *culpa*, mente ad effectum haud intenta, aut bonum finem intendente, cum malus præter expectationem conſecutus eſt, delictum commiſſum ſit? In hiſce, circa autorem peccati, controverſiis, artis medicæ regulis haud parum tribuunt legum interpretes, & univerſa, *de delinquente delirante*, controverſia, etiam ſi factum liquet, medicorum deciſionibus relinquitur, quorum etiam peccatis, atque aliorum quorumvis artificum in arte ſua exercenda commiſſis erroribus, ignoſcitur ſimiliter, dummodo conſcientiam ſibi pariter ignoſcentem haberent. Ipſius facti, ſi ab autoribus receſſeris, conſideratio medicis in foro verſantibus eſſe poteſt varia, an illud abſolutum ſit, an attentatum & ſemiplenum? *An venenum, ſi haud necavit, mixtum tamen in hominis interitum fuit? L. I. in fin. ff. de parricidio L. 48. Tit. 5. An data medicina, vel illata læſio talis ſit, quæ abortum movere potuerit, cum jam proxima abortus ſigna, in hæmorrhagia uteri, abinde comparuerint?* Quamvis enim proæreſis & voluntas nihil ad medicum pertinere videatur, ex mediorum tamen delectu & illa applicandi modo, mala voluntas haud dubitanter quandoque conjicitur; ſic ſtupidus circumforaneus liquore arſenicali medicinæ loco uſus, quando interficit, mala voluntate occidiſſe haud dicitur, cum pharmacum illud ſub certis conditionibus utile quandoque exiſtimatum fuerit, ex altera parte, malam venefici mentem medicus conjectura aſſequitur,

ſi ille artificioſe toxicum miſcuit, cantharidum pulverem, aut ſubtilia vitri ramenta, quæ errore aut caſu accipi non potuerunt. Cæteroquin ad medicos nihil attinet, facti veritatem, cauſæ evidentiam, vel animum ac voluntatem delinquentium, quod tamen multi in moribus habent, in conſcribendis relationibus medicis, ex criminis ambitu exque ipſius ſæpe delinquentis confeſſione, judicare. Quid ad medicum, ſi teſtes vagitum partus in lucem editi perceperunt, quo exinde vitam ejus poſt nativitatem actam hariolari velit? ſi iſthæc indicia plenam probandi vim haberent, ad arbitrium medici judex haud provocaret. Illa adeoque tantum *factorum, voluntatis, & potentiæ agendi* declaratio ad naturæ arbitros revertitur, quæ ex textura atque miſcela rerum naturalium, & mutua illarum in ſeſe agendi efficacia, erui atque cognoſci poteſt.

§. 4.

Atque hæc eſt illa *facti*, ſuæque *cauſæ*, ſui etiam aliquando autoris aut *perſonæ* certitudo medica, cui ſapientes ſententiarum ſeveriorum arbitri multum omnino tribuunt. Primum enim judiciorum criminalium fundamentum eſt, ne quis ad pœnam rapiatur, niſi convictus, circumſtantiis ex facto & autoris ad agendum potentia deſumptis, ante fuerit. Etiamſi enim haud pauci ſint, qui ſuis oculis ſe ſatis videre putent, adeoque, vel media eruendæ veritatis, *inſpectionem cadaveris*, quia factum liquidum eſſe videtur, vel *animorum examen*, quia voluntatem pro de-

libe-

liberata habent, ad ſtatum cauſæ haud requiri arbitrentur, vel ipſi, quod medicorum erat, de *violentiarum in corpora effectibus, lethalitatibus vulnerum, deque ſtatu animorum*, nullo ad corporum incognitas ſibi temperaturas reſpectu habito, judicent, plerosque tamen eſſe novimus, qui quæſtionibus liberaliores, quam ſententiis cruentis aliisque ſeverioribus præcipitantiores eſſe malunt.

§. 5.

Hæreamus tantiſper circa illam, quæ Autoris certitudinem, *an quis feciſſe recte dicatur*, attinet, controverſiam, quam ſi majores noſtri, in iſtis innocentium hominum, quos *dæmoniacos*, *energumenos*, *ſagas*, *ſuccubas* appellabant, criminationibus, paulo curioſius inſpicere voluiſſent, multum ſane & ipſi criminis minus commiſiſſent, nec miſerrimas aniculas, ex corrupta phantaſia, ſe incantaſſe, & præſtigiis beſtias aut ſegetes corrupiſſe, & ſi quid aliud eſt ejusmodi facinorum perpetraſſe, profeſſas, duris affeciſſent ſuppliciis, ſi IOANNI WIERIO, IOH. WEPSTERO, aliisque iſtius temporis medicis aurem præbere, & vires hominis iſtis ſceleribus perpetrandis longe inferiores, ſecum perpendere, ac morborum idealium naturam percipere, voluiſſent. Licet enim iſta de Entheaſticis, atque ſe numine afflatos aut dæmone obſeſſos ſimulantibus, aut propter ſingularem aliquem morbum

ſpaſticum a dæmonibus affligi viſis quæſtio (s), hoc titulo moveri, inque illud delictum animadverti ſoleat, quo ſuſpicio eſſe poteſt, fraudulentos homines, ſub aliquo Enthuſiaſmi prætextu, ſuperſtitioſis, lucri cauſa, imponere voluiſſe, ut etiam hac ratione, non tam de facto, impoſtura ſcilicet, quam de autoribus, eorundemque machinationibus, medicos judicare opus ſit; exſpiravit tamen nunc penitus & ex foro relegatus eſt, ſic dictus ſagarum proceſſus, & ſi quid illius eſt, quod quandoque ſub cenſuram judicis cadere poſſet, ad leges morborum corporis atque animi judicandum erit unice. Neutiquam autem hoc unico exemplo liquet, medicis ad ſpecialem inquiſitionem, quæ ad autorem delicti ſpectat inſtruendam, requiri, deque delinquentium agendi potentia per leges artis medicæ cognoſci, ſed paſſim exiſtunt poſſuntque evenire denuo caſus, ubi, cum de facto liquet, circa autorem facti quæſtio movetur: *an a fuſte, an ex lapſu in ſaxum, lien ruptus fuerit? an ſibi ipſi aliquis vulnus lethale, an alius fecerit? An calva fœtus, durante partu ſine auxiliis celebrato, inter crura puerperæ, an eadem, præcipiti in pavimentum fœtu, an illa, ex proœreſi, manu violenter illata, fracta, morsque*

(s) Τινὲς δὲ καὶ δοκοῦσι ὑπὸ τινῶν μειζόνων ἐφορμᾶσθαι δαιμόνων, καὶ προλέγειν τὰ ἐσόμενα καθάπερ ἐνθεάζοντες, ὃς καὶ ἐνθουσιαστικὰς ἰδίως ὀνομάζουσι. PAVL. Libr. 3. 13.

Quidam etiam putant, ſe a majoribus affligi dæmonibus ſibi iraſcentibus, & futura prædicunt, veluti numine afflati, quare etiam entheaſtici appellantur.

que infantis exinde consecuta sit? An ex colluctantibus alter mortem alteri fecerit, cui ex nisu musculorum, arteria, anevrismate ante distenta, rupta fuit. In hisce enim casibus omnibus, & similibus aliis, quando de facti certitudine nulla oritur dubitatio, solius autoris inveniendi studio, industria medici requiritur, potestque, sedula investigatione facta, & læsionum circumstantiis ac forma, locisque affectis probe inter se comparatis, an casu, an culpa, an dolo perpetratum quid fuerit, utcunque, aliquando etiam proxime ad veritatem, intelligi.

§. 6.

Est etiam quædam certitudo causæ, sine cognito autore, qui feciſſe dici possit. Hæc in causis inculpationum sæpissime obvenit, & decisionis juridicæ fundamentum sistit; Eventus aliquando contingunt spontanei in homine, qui, propter concursum illatæ extus injuriæ ad aggressorem referri possent, & fieri quidem illud solet sæpissime, ut, quod a morbo contemporaneo factum est, malæ voluntati causisque externis effectum esse dicatur. *Veneni accepti effectus a bile oriri potuerunt, si illa in tubum intestinalem effusa est. In utroque casu inflammata, & per gangrænam corrupta intestina sunt.* Vel, *abortivit fœmina causis sponte ortis, sibique abortum moviſſe videbitur;* Vel, *apoplexia abripiet senem, aliquo postquam injuria illi illata est tempore.* In hisce de vera causa dubitationibus, examen a medico artis suæ gnaro institutum, eventum hunc nulli autori attribui

poſſe, declarabit, ergo de ſola cauſa, ſine reſpectu ad autorem, mota fuit quæſtio.

§. 7.

Deinde, quod cauſas delictorum atque criminum attinet, ſolet aliquid committi, ſine ullo actu, ſola auxiliorum, ad impediendum eventum neceſſariorum inque facultate delinquentis poſitorum, omiſſione, atque neglectu debitæ providentiæ. Quodſi hoc ita accidit, ut peccetur, nulla legis aut exhibendi debiti ignorantia, nulla mediorum adhibendorum inſcitia, nulla præſente, quæ impediebat, quo minus media applicarentur, impotentia, quodſi potius ex nexu circumſtantiarum, quæ eventum comitantur, evidens eſt, illum, qui omiſſione noxam attulit, faciendi modos haud ignoraſſe, nec ullam faciendi impotentiam adfuiſſe; nulla ſane tunc ratio eſſe poteſt, propter quam aliquis eventus cauſa fuiſſe dici haud poſſit, adeoque certitudo cauſæ, criminis omittendo commiſſi, tunc adeſt. *Haud ignoravit graviditatem ſuam mulier, cum impoſſibile ſit, motum fœtus in matrice haud ſenſiſſe, partum celavit, & media ad partum felicem ſibi cognita, ſtudioſe neglexit; etiamſi ergo feſtinanter peperit, faventque illi omnes partus haud opinati conditiones, animi durante partu diſtractio & fere ſtupor, ejusdem defectio ſeu Lipothymia poſt partum conſueta, ignorantia modorum, quibus curandus a partu infans, illique deligandus funiculus umbilicalis eſt, impotentia ſeſe continendi, & afflictionem naſcituri inter crura matris*

tris evitandi, ut propterea causa mortis infantis haud esse, perhiberi possit: attamen, cum suæ graviditatis sibi fuerit conscia, feciſſe, infantemque occidiſſe haud minus dicitur, ſi media illius ſervandi doloſe neglexit, quam ſi violenter occidiſſet, cum tantum ſit, non ſervare ſi poſſis, quantum eſt, interimere. Eodem modo, neglectus mediorum, quibus ſiniſtri eventus impediri poſſunt, artifices, commiſſæ culpæ, imo etiam doli, reos facit: *ſi obſtetrix contra artis regulas peccavit, accerſita non acceſſit, aut deſeruit parturientem, cauſa mortis infantis dici omnino poterit, & medici in jus vocabantur per Græciam, ſi curare nollent, uti eſt apud* LVCIANVM *in abdicato:* adeoque etiam certitudo quædam cauſæ, in omiſſione per circumſtantias comprobata, ſtabilitur.

§. 8.

Etiamſi autem autor ejusque inſtrumentum, quo uſus eſt, ſeu cauſa facti, liquet, perque omnes rationes medicas conſtat, illi eventum tribui debere, dubium tamen ſupereſſe poteſt, an autori, hujus cauſæ qua uſus eſt, potentia cognita ita fuerit, ut, feciſſe, dici poſſit. *Captivus, elapſurus ex cuſtodia, ſatellitibus, dato opio, ſomnum mortemque infert, opium mortis cauſa eſt, ſed, qui toxicum miſcuit, ſe ejus vires ignoraſſe, prætendit,* datur ergo cauſæ certitudo, ignorata ejus efficacia, qualis etiam eſſe poteſt illa homicidæ, *qui pugno inflicto interemit, neſcire autem colaphi, uti inſtrumenti ad occidendum inepti ſibi viſi, efficaciam fortaſſe potuit.*

§. 9.

Horum omnium, quæ a me adducta nunc fuerunt, complexus, licet autorem cauſamque delicti tantum reſpiciat, ipſumque factum directe haud concernat, ad *corporis delicti* ideam tamen ſimul pertinet; aſt, propria aliqua & ad peccatum ipſum ejusque certitudinem directa ſignificatione, corpus delicti eſt, *facti per phænomena, magno cum ſtudio a perſonis fide dignis ſuæque artis gnaris, explorata, & ſenſibus haud obſcure ſed fideliter percepta, declaratio.* Quapropter, cum facta ſuas cauſas ſuosque autores ſupponant, & ſine illis exiſtimari in foro nequeant, lato equidem ſignificatu, corpus delicti ad illa eorundemque autores & cauſas ſeſe extendit, anguſtiore tamen ſenſu, *corpus delicti*, quantum ad medicos, *facti certitudo eſt, nullo quandoque ad autorem reſpectu habito, per circumſtantias effectuum, mortis vel morbi, declarata.* Si enim corpus delicti objectum eſt ſenſibus deprehenſum, circa quod in pœnis decernendis ſententiarum arbitri verſantur, oportet ſane illius declarationem talem eſſe, ex qua, quousque leges divinæ ac humanæ læſæ nunc fuerint, intelligi poſſit, id eſt talem, quæ ad ſenſus recurrit. Aſt cum autoris idea in facto ſemper haud ſiſtatur, ad illum quoque medici cognitio non ſemper excurrit. Nam aliam, quam quæ ſenſibus percipitur, certitudinem medici ignorant, nec illos attinet diſputatio mere juridica, uti: *an circumſtantiarum ex propria accuſatione delinquentis collectarum cum facto convenientia, ſi infans, quam mulier occidiſſe perhibet,*

hibet, tempore confeſſioni æquo, violentia confeſſioni æqua, inque loco indicto, repertus eſt, corpus delicti ſufficiens dici poſſit? Senſuum ſolo miniſterio apprehendi atque hinc intelligi debet omne id, quod ſententionantes a medicis reſciſcendum eſſe putant; ſæpe illi totius facti ambitum ſenſibus haud amplectuntur, & aliquam tantum ejus particulam percipiunt, *veluti, ſi ex uteri muliebris conditione, ejusque uberibus lac habentibus, partum paulo ante editum fuiſſe, cognoſcitur.* Propterea aliquod corpus delicti *ſemiplenum atque imperfectum* eſt, quod ſuſpicionem tantum, ſane haud minimam, facit. Sæpe medici circumſtantias effectuum, qui ex facto conſecuti ſunt, vel clare percipere haud poſſunt, *ſi cadaver putredine corruptum eſt*, vel neglectu aliquo haud percipiunt, ut vel primarias, quæ ipſum quæſtionis momentum ſiſtere debebant, conditiones haud animadvertant, vel falſas adducant; adeoque, hac quoque ratione, corpus delicti diſcrepat, ut *certum incertumque* eſſe deprehendatur, cui propterea ſententia ſuperſtrui aut poſſit, aut nequeat. In criminibus transeuntibus, nullumque aut debile ſui veſtigium in aliquo effectu corporeo relinquentibus, certitudo facti per ſua ſigna cognoſci ſufficienter nequit, niſi recens illud ſit, veluti, ſi virgo corrupta & ſtuprum in impuberem commiſſum eſt, ſi enim paulo ante commiſſum crimen illud eſt, ex violentiæ iſtius, ſæpe mortiferæ, ſignis, facti veritas, intervenientibus medicis,

eis, certe obſtetricibus, equidem evincitur, ſed abolentur ſigna, ſi poſt aliquod temtus quæſtio mota eſt.

§. 10.

Si omnia, quæcunque in foro criminali eveniunt, facta conſideres, pleraque Viſu comprehendenda a medico ſunt, ut fides ejus relationi habeatur, & propterea corpus delicti, *quod viſum comprobatumque eſt*, CARPZOVIO *Prax. Crim.* P. III. Qv. CIIX. dicitur; aliis, *viſo reperto* nomen eſt. Aliquando tamen & reliqui ſenſus facti circumſtantias declarant. Olfactus ſæpe veritatis fidelis interpres eſt: *Nulla putredinis ſigna adfuiſſe, nec fœtuiſſe cadaver infantis, abſceſſiſſe equidem, quod alterum putredinis ſignum eſt, cuticulam, non tamen computruiſſe adusque fracedinem, adeoque pulmonum experimentum, cum illi in aqua natarent, ſuſpectum haud eſſe.* Vel in alio caſu: *Etiamſi nihil certi per ſectionem compertum eſſe videatur, quandoquidem cadaver, aliquot retro diebus jam putredinem ſubierit, non tamen eo usque deſtructum illud corruptumve fuiſſe, ut, cum fœtor immanis haud fuerit, obſervari omnia & clare perſpici haud potuerint:* Sic etiam olfactus, corpus delicti, in quæſtione criminali *de veneficio per arſenicum*, unice conſtituit, quandoquidem toxicum illud, ſuo, quo *allium* refert, fœtore ſeſe ita prodit, ut nulla dubitatio de veritate noxæ abhinc factæ, ſi in ventriculis repertum eſt, ſupereſſe tunc poſſit. Tactus, uteros, juxta artis obſtetriciæ regulas, explorat. Auditus, certitudinem commiſſi delicti haud raro examinat, ubi delinquens

quens se ipsum accusans, propter isthanc confessionem, vagam forte minusque constantem, in suspicionem corruptæ imaginationis adducitur, tunc enim praxis fori hoc secum affert, ut interrogationibus, medicus, judicii causa de statu mentis formandi, adhibeatur.

§. 11.

In omni examine, quo certitudinem detrimenti, ex actione aut omissione orti, declarant medici, totidem effectuum ex facto iniquo consequentium signa erunt, quod mutationes sunt, quæ sine causa violenta produci haud poterant; Duo adeoque cum sint, quæ a medicis, instruendi judicis causa, effici tunc oportet, *alterum*, mutationis in homine præter naturam factæ historica descriptio, *alterum*, eventus hujus ad suam causam relatio, ideoque varia etiam signa sunt, quæ vel destructionem partium in corpore vivo factam, ejusdemque effectus tam præsentes quam futuros indicant, vel destructionis aut læsionis hujus causam tam physicam, instrumentum scilicet, quam moralem, ipsum scilicet aggressorem, si fieri possit, significant, *uti*, *si quinque digitorum impressiones lividas in facie infantis videas*, *ut tunc de manu admota*, *suffocationis causa*, *dubitare nequeas*, vel, *si recentis partus hodie facti signa in muliere deprehendantur*, *illa*, *mater hodie inventi fœtus*, *summa cum probabilitate dici valeat.*

§. 12.

Quidquid in objecto examinis, homine scilicet afflicto, videmus, non tam factum ipsum, quam seque-

ſequela facti eſt: poteſt factum ignotum eſſe, poteſt enim caſus aliquis effectus hujus cauſa extitiſſe, *tempus mortis naturalis poteſt coincidiſſe cum illata injuria*: adeoque ſigna *effectuum* a ſignis *cauſarum*, & ſignis *facti* ipſiusque *facientis*, diſtinguenda erunt quam curioſiſſime: *Vacuitas vaſorum* erit ſignum effectus, hæmorrhagiæ ſcilicet lethalis, *funiculus* haud obligatus, erit ſignum cauſæ, funiculus vel præfectus vel ruptus, erit ſignum *facti*, aut *caſus fortuiti*, nam ſi præfectus eſt, factum aliquid fuit, ſi ruptus, fortuitum quid evenit, aut evenire potuit; ſignum *facientis*, circumſtantiæ erunt illæ, quæ, mulierculam peperiſſe paulo ante, indicant. Licet autem raro, veluti in hoc exemplo, ſigna facti atque ipſius facientis in criminum inquiſitionibus clara ſint, in omnibus tamen corporum affectionibus, externam cauſam habentibus, aut per vim alicujus cauſæ internæ ortis, hæc duo ſemper diſtincta ſunt: Effectus, ejusque cauſa. *Videmus effuſum in cerebro ſanguinem, effectus lethiferi ſignum, ſed cauſæ remotæ aut alicujus injuriæ illatæ ſignum fortaſſis abeſt, nullis injuriæ illatæ indiciis, effuſo nullo ſub integumentis ſanguine, calva nec fracta, nec fiſſa. Nihil adeſt, ex quo, de vulnere, vel contuſione, ad factum armata manu commiſſum, concludere poſſis.* Hic nihil ex circumſtantiis a medico judicandis eſt, quod facientem ſignificare poſſit, qui tamen occidit, nam concuſſo vehementer capite, & tremore cerebri excitato, mortis cauſa fuit. Sufficit ergo

in

in expeditionibus forenſibus, detegendi criminis cauſa inſtitutis, cauſas proximas atque illorum effectus per ſigna evidentia detexiſſe. Hæc vario modo inter ſe diſcrepant, ſunt enim vel evidentia, *uti, fracta calva, fragmentis in cerebrum ſubſidentibus, ſine vulnere, non fortuitum eventum, ſed ponderoſum inſtrumentum forti manu applicatum denotat*, vel ſunt obſcura atque dubia, *uti ſanguis extravaſatus putrido immixtus cerebro, dum calva integra eſt.* Deinde ſigna effectuum quorumvis noxiorum aut mortiferorum alia in propatulo ſunt, *quis enim dubitat de gladio, vulneris lethalis cauſa, ſi cor, ſi vaſa majora tranſfoſſa ſunt?* alia autem ſunt abſcondita, qualia illa ſunt, quæ mortis infantium paulo poſt nativitatem defunctorum cauſas exponere debent, quas ſæpe fruſtra quærimus, quando vivus, & quantum ex corporis forma conjici poteſt, ſanus in lucem editus, nullaque intra partum violentia affectus fuit, ſiquidem nulla afflictionis cujusvis indicia alicubi apparent, dubiumque manet, an ſuffocatus, an neglectu debitæ poſt partum curæ interierit, an alia mortis cauſa in aliquo fœtus morbo poni debeat. Quapropter in his ſimilibusque caſibus abſcondita cauſa effectus mortiferi quovis modo indagari debet, ita tamen, ne in pernitiem inquiſiti ſis ingenioſior. Sunt enim cauſæ multæ apparentes, aſt fallaces. Quam ſæpe ſtigmata mortuorum aſumuntur pro ſuggillationibus, oſſium bregmatis ſtriæ oſſeæ, dum illæ in os integrum converſæ nondum ſunt, accipiuntur pro fiſſuris;

fiſſuris; putrilaginoſus ichor, pro ſanguine effuſo in cavitatibus, capitur.

§. 13.

Vt de facti criminalis certitudine, quo titulo totius criminis vel imputati vel evicti complexus ſiſtitur, ad inſtitutum paulo propius agam, ejus evidentia per ſignorum omnium valorem, quotcunque illorum ad inveniendam cauſam remotam ipſumque actum hoſtilem, aut caſum imprævisum, obtineri atque colligi poſſunt, conficitur. Ipſe autem actus, quo iſta ſigna, ſæpe uni loco addicta, ſæpe vaga inque univerſo homine vel variis ejus partibus diſperſa, colliguntur, corporis delicti eſt, per inſpectionem corporis afflicti facta, conſtitutio. Non autem tantum in mortuis ſigna facti colliguntur, ſed inſpectionem vivi etiam, omniumque ſymptomatum, quotquot illi, cum viveret, ex quo injuriam percepit, acciderunt, expoſitionem, illuſtrandis, quæ in funere repertæ fuerunt, circumſtantiis adjungi oportet, quo totius facti ambitus, morbi mortisque hiſtoriam, & hujus ex illo ſequelam, vario modo, plenius illuſtret: Eſt adeoque aliquis inſpectionis corporum afflictorum actus etiam extrajudicialis, ipſa ſcilicet corporis afflicti contemplatio, & privata, tam quoad læſionis formam, quam ſecundum ejus varios effectus & probabilem eventum, conſideratio. Valet enim medicorum atque chirurgorum privata, ſi ſuæ artis periti ſunt, inque foro comparendi facultatem habent, ad judicem facta relatio, ut, prouti illi de læſionis eventu judicaverint,

verint, ita quoque inquisitionis filum dirigatur. Consultum adeoque est, læsionis historiam & omnes corporis afflicti mutationes, uti illæ successu temporis ex natura morbi consecutæ sunt, invicem ordinata aliqua serie conscribere, de illis ad judicem referre, ut, etiamsi convalescit æger, periculi gravitas, vel si mors consequitur, ejus necessitas, comparatis illis, quæ in vivo erant, illisque, quæ in funere observabuntur, circumstantiis, extra dubium, quod contra medendi methodum moveri poterit, ponatur.

§. 14.

Major est inspectionis corporum, quæ publica auctoritate celebratur, solemnitas, utpote quæ justitiæ causa instituitur. Hujus objectum *mox* homo vivus est, veluti, si mulieris uterus, an partum edidisse putandus sit, inspicitur, vel, si ineptitudo ad agendum ex læsione aliqua manens, tanquam corpus aliquod delicti, conspectui eorum, quibus datum est, ut judicium ferre possint, sistitur; *mox* hominis funus, ad percipiendam mortis ejus causam, exponitur. Etiamsi enim bestiarum etiam cadavera ab artis veterinariæ peritis, ut noxæ illis illatæ gravitas percipiatur, inspici soleant, neutiquam tamen, nisi quis pascua aut aquas intoxicasse & integris armentis pernitiem intendisse dicatur, ad juris criminalis, sed cum minus de pœna, quam de damno sarciendo quæstio tunc moveatur, ad causarum civilium rationes controversia isthæc pertinet.

§. 15.

Inſpectio legalis funeris eſt actus publicus, a judice, medico & chirurgo, detegendæ mortis cauſæ gratia, inſtitutus. Objectum ejus quodvis funus eſt, inſolita atque incognita mortis forma, ſine teſtibus fide dignis effectum, ut ſuſpicio propterea violentiæ illi, cum viveret, illatæ eſſe poſſit. Deberent adeoque funera quævis in viis publicis, ſub aquis reperta, illorum quoque, qui ſibi ipſis mortem conſciviſſe putantur, cadavera, ſive ex vulnere, ſive ſtrangulatu, ſive ex præcipitio, mors conſecuta ſit, cultellis medicorum ſubjici, cum in his omnibus occultum ſubeſſe poſſit homicidium, ut, an alia, quam quæ apparet, violentia homo deceſſerit, ratione aliqua legibus æqua intelligatur. Tunc autem maxime, hominum repentina aut voluntaria morte, uti videntur, abreptorum corpora cenſuram publicam ſubeunt, quando ſingulares ac inſolitæ mortem vel præceſſerunt, vel concomitatæ ac conſecutæ illam ſunt circumſtantiæ, quæ ſuſpicionem aliquam illatæ illis violentiæ facere poſſunt: *Si derepente, cum ſanus eſſet, homo, ſtatim ex quo cibus captus eſt, invaſerunt illum vomitus alvique dejectiones cum ſanguine, ſi livor in funere apparet, & tumor eſt, & ſubitanea putredo.* Hæc enim, cum nova ſint & inſolita, perſuadere poſſunt judici, ut, in cauſam mortis ſibi inquirendum eſſe, exiſtimet. Non tamen ubique, quod homines repentina morte extinctos attinet, neceſſe eſt, altius rimari corpora eademque diſcindere, cum apud aliquos, cauſæ mortis in ſuperficie corporum

rum appareant, ut ſola inſpectio tunc ſufficiat. Si homo vagus, hyemis tempore in via publica mortuus inventus eſt, nullo violentiæ ſigno in cute ejus viſo, ex temporis ac tempeſtatis ratione ad mortis cauſam concludi facile poteſt. Qui in crypta ſubterranea ruinis oppreſſi, vel halitu metallico oppreſſi ſunt, examine haud indigent. Poſſet fulmine tactus ſub dio jacere, cujus mortis genus ex variis fulminis in corpora effectibus, etiam ſine ſectione legali, cognoſci poſſet: Si aduſtus eſt, aut nigricat, aut ſulphur olet; *Mira*, ait SENECA (t) *ſunt fulminis opera, atque illi mira & ſubtilis eſt potentia, loculis integris ac illæſis conflatur argentum; manente vagina gladius liqueſcit, & inviolato ligno circa pila ferrum omne deſtillat.* Verum, cum non omne fulmen viſibiles ſibique proprios in corporibus effectus relinquat, ſintque ex illis haud pauca, quæ contuſa jacent, livida, ſanguinolenta, & violentiæ ſibi illatæ ſignificationem aliquam in ſe habent, ideoque de rei veritate, exquiſitiore examine inſtituto, conſtare omnino debet: Tale exemplum proſtat apud FORTVNATVM FIDELEM (u): *Iter*, ait, *extra urbem faciebant ſimul ſodales: Oborta tempeſtate, unum ex his fulmen confecit, hujus propinqui, miſerum illum a ſuis ſodalibus perditum enectumque fuiſſe ſuſpicati, jure egerunt, ut digna de eis pœna ſumeretur, nec antea illi judicio*

(t) Libr. 2. de naturalibus c. 31.

(u) Relat. medicar. Libr. 4. ſect. ult. de Ictis a fulmine, cap. 1.

ſoluti ſunt, quam per medicorum relationes conſtitit, fulmine illum, nec aliter, fuiſſe percuſſum. Et expedita quidem res eſſet, ſi omnia fulmina fuſcarent, denigrarent, urerent, ſed ſunt etiam, quæ vulnerant, quæ diſcutiunt atque terebrant, ſunt, quæ nihil horum omnium faciunt, ſed disjecto aëre ſuffocant. *Si naturam fulminis ſpectes, omnia*, inquit ARISTOTELES (x), *ſpiritus ſunt, qui aut tenuis eſt & clarus, ideoque minime adurens, aut ſpiſſus ac fumidus, qui propterea incendio abſumit.* Multum adeoque difficultatis habebunt, qui, niſi uſtulata ac denigrata fuerunt corpora, effectum fulminis in funere deprehenſuri ſunt. Singularis tamen, etiamſi colliſum a fulmine vulnus eſt, illius debet eſſe figura, nec dubito, reperiri poſſe rationes, cur, tale vulnus ab aggreſſore haud factum eſſe, dici poſſit: Sunt etiam aliæ repentinæ mortes, quæ ſuſpicionem illatæ vivis violentiæ facere poſſunt. Senem hominem aut obeſum ſubitanea morte abripi nemo mirabitur, nec mali quid ſubeſſe ſuſpicabitur judex, ſi ebrioſus, in illo, quem potando ſibi contraxit, torpore, apoplecticus interit, maxime, ſi halans ex ore cadaveris ſpiritus ardentis fœtor, mortis cauſam abunde proderet. Qui frequentes experiuntur lipothymias, motibusque epilepticis ac paſſionibus hyſtericis, quantum ad fœminas, ſubjacent, poſſunt in ipſa morbi exacerbatione repente defungi. Novum etiam non eſt, in cellis vinariis, feruente muſto aut cereviſia novella, ſuffocatos

(x) Meteor. Libr. 3. c. 1.

tos reperiri, quibus aër, ſpiritu ardente fermenteſcentis fluidi plenus, ad reſpirandum haud ſuffecit. Ejusmodi ſubitaneos, a repleto gravibus halitibus aëre, ſuffocandi modos GALENVS refert varios, & ad mentem Eraſiſtrati, cauſam adducit: *Propterea pereunt illi, qui in charoniis ſunt barathris, tum illi, qui domus incolunt calce nuper illitas, aut qui ex carbonum vapore extinguuntur, quod ſpiritus præ tenuitate contineri nequeat* (y). Quidquid autem certitudinis de cauſa ejusmodi mortis innoxia, in variis circumſtantiis, eventum ejusmodi comitantibus reperiri poſſet, nunquam tamen violentiæ illatæ ſuſpicio penitus extinguitur. Abſentia certe ſignorum, quæ violentiam illatam, externis mutationibus in cute factis ſignificare ſolent, uti ſunt ſuggillationes, ſeu ortæ, ex ſanguine intra cutis vaſa effuſo, maculæ, ad mortem ſubitaneam innoxiam haud recte concludit, cum ſint loci molles parum reſiſtentes, adeoque non facile contundendæ, uti *epigaſtrium* & utrumque *hypochondrium*, quorum afflictiones lethales, ſine ulla per livores externos ſignificatione, eſſe poſſunt, veluti, vi oppoſiti, nemo a maculis ſanguinem referentibus in funere viſis, ad violentum mortis genus recte ſemper inferret, ſiquidem haud pauca corpora, quæ ſubitanea morte pereunt, inque ſanguinis ſtaſi illius rationem poſitam habent, liveſcunt, & ſtigmatibus, quæ latæ rubræ lividæ quaſi ex verberibus ortæ ſunt maculæ, notantur inſigniter. Ita refert

(y) Lib. 7. de uſu partium c. 8.

HIPPOCRATES paſſim in epidemicorum Libris: *Pleuriticis ſolet apparere latus lividum, plagæ ſimile* (z). *Ex hydrope mortuo hypochondria rubefacta erant, ut verberibus totum corpus cæſum eſſe videretur* (a). Nec a ſanguine, funeribus ex naribus & faucibus fluente, ad cauſam violentam valeret ſemper argumentatio; poſſunt tamen ejusmodi phænomena dubium omnino reddere judicem, ut ſatius eſſe ducat, veritatem, audita medicorum ſententia, experiri, quam negligentior in juſtitia adminiſtranda videri. Quod enim avtochiros attinet, ſæpe ita comparatum cum illis eſt, ut, an ab illis commiſſum facinus fuerit, dubitari poſſet, ſi vulnus, diſſecta gula, profundius eſt, ſi vulnus compunctum illa plaga ſubiit, qua quis ſe ipſum confodere haud poſſet, & ſubmerſos ac ſuſpenſos quod concernit, nunquam judex de mala defunctorum in ſe ipſos voluntate ita ſecurus eſſe poterit, ut, violenti quid ſubeſſe, ſuſpicari propterea haud debeat.

§. 16.

Qui ejusmodi repentina aut voluntaria morte abreptos homines ſectioni haud tradunt, cur ita ſtatuendum illis ſit, ex abſentia ſignorum violentiæ externorum excuſationem habere poſſunt. Sed periculo erroris haud carent, qui, ſine ulteriore cauſarum violentæ mortis exploratione, ad ſententiam ferendam hoc ſatis eſſe arbitrantur, ſi

(z) De acut. regimine Libr. I.
(a) Epid. Lib. V. Text. 85.

ſi inter cauſam violentam & effectum mortiferum nulla alia cauſa intercedat, adeoque illa hujus proxima eſſe, per totius criminis commiſſi circumſtantias declaretur. Quis dubitaret de facti certitudine, ſi per teſtes conſtat, ſub ictu, quo pectus transfoſſum fuit, vulneratum concidiſſe? quis ſectionem legalem in ejusmodi caſu neceſſariam eſſe putaret? eſſe tamen, facile percipias, cum aggreſſores, pro ſua cauſa, imprudentem vulnerati occurſum & gladii immerſionem ſine delinquentis actione factam, allegare ſoleant; aſt multæ ſane circumſtantiæ per ſectionem legalem patefieri poſſunt, quæ hujus aſſerti veritatem vel falſitatem arguant, poſſet adeoque accuſati patronus, ſibi, intermiſſa ſectione, varia defenſionum momenta erepta eſſe, jure conqueri; ubicunque ergo vel minima adeſt conjectura alicujus dubitationis, quam defenſor movere poſſet, ſectionem legalem cum debitis ſolemnitatibus, ne quid in ſe patiantur deſiderari, æqui judices inſtituunt Latent ſæpe mortis cauſæ, atque illa quæ proxime mortem anteceſſit, non ubique recte pro proxima habetur. *Teſtes referunt, vulneratum ſub ictu concidiſſe, omnique vita privatum procubuiſſe, cadaver autem occultandi criminis cauſa in flumen projectum eſt & nuſpiam apparet, aut inventum computruit, ut de lethalitate vulneris cognoſci haud poſſit. Poſſetne capitalis, ſola teſtium fide, ſententia ferri, cum abinde, quod mortuus viſus ſit teſtibus, ad mortis veritatem concludere nemo poſſit, potueritque, ſuperſtite aliqua ex vulnere con-*

valeſcendi fiducia, non vulneratus, ſed aqua ſuffocatus homo interiiſſe (b). Imo, ſi capite truncum funus, vel alio lethali per ſe vulnere confoſſum ac conciſum reperiretur, ſane, cum incognitum ſit, mortuone an vivo hoc ita evenerit, an ſanguis circum effuſus ex funere fluxerit, an ſtudioſe, celandæ veræ cauſæ gratia, adſperſus ſit, ratio non apparet, qua, ſine ſectione cadaveris, de vera mortis cauſa cognoſci poſſit. Omnium autem maxime dubia manebit mortis cauſa, ſi, nemine præſente, vulnus etiam externa ſtatim facie mortiferum, *uti, ſi globulus trans caput miſſus deprehenditur*, factum eſt; ſubeſſe enim poteſt alia læſio, tempore & effectu prior, non minus lethalis. *Interfectum veneno domo ſua in ſylvam extulerint venefici, ut a latronibus occiſus eſſe videatur.* Sed hoc relictum eſt aliis, quibus leges interpretari datum eſt, ut de neceſſitate inſpiciendi cadavera cognoſcant; quantum ad artis medicæ ſcientiam illud attinet, ſine ſectione funeris de vera mortis cauſa, abſoluta aliqua certitudine, conſtare quidpiam poſſe, merito dubitamus, admirabilibus caſuum eventibus, ut ita ſtatuamus, adducti. *Illud*, ait CELSVS, *interrogari me poſſe ab aliquo, ſcio, ſi certa futuræ mortis indicia ſunt,*

(b) Ejusmodi caſus, qui extra dubium poſiti, nullaque medici ſecantis interpretatione indigere videbantur, dubii tamen, ſine ſectione, manſuri ſunt, aut finxit aut novit D. PETRVS GOERIKE Diſſ. de neceſſaria vulneris inſpectione poſt homicidium. Helmſt. 1737.

ſunt, quomodo interdum deſerti a medicis convaleſcunt, quosdamque fama tulerit in ipſis funeribus revixiſſe? Quin etiam vir jure magni nominis, DEMOCRITVS, *ne finitæ quidem vitæ ſatis certas notas eſſe, propoſuit, quibus medici crediderent* (c).

§. 17.

Sed fruſtraneam cadaveris ſectionem eſſe, contra IMPERATORIS legem uſumque fori, aſſerere anniſus eſt Eruditus vir, D. POLYCARPVS LEYSERVS in ſua, quam de hoc argumento conſcripſit diſſertatione (d), cujus argumenta, quibus medicos ex foro ablegare tentat, ſunt ſequentia: Indignum jurisperitis eſſe, ut medicorum conſilia efflagitent: Conſuetudinis, non neceſſitatis eſſe, quo cadavera, ſtatuendæ pœnæ cauſa, inſpiciantur; ex circumſtantiis criminis, & ex effectu læſionum ſatis liquere, an lethale vulnus datum acceptumque ſit: Leges inter mortes, a læſione ipſa, & illas ab interveniente cauſa aliqua ortas, diſcrimen nullum ponere, ſed homicidium ſine diſcrimine puniendum ſtatui: Inſpectionem cadaveris ignoratam eſſe omnibus retro temporibus, & jus naturæ illam penitus detrectare: Nulla opus eſſe de lethalitati-

V 5

(c) De re medica Lib. 2. c. 6. Conferantur, quæ celeberrimus IOAN. MARIA LANCISIVS de ſubitaneis mortibus Lib. 1. c. XV. in illam rem propoſuit.

(d) De fruſtranea cadaveris inſpectione, Helmſt. 1723. quam confutavit illuſtris SAM. FRIDER. BOEHMERVS. in ſua de legitima cadaveris ſectione Diſp. Halæ 1747.

litatibus disputatione, ubi propter doli absentiam pœna ordinaria per se cessat, vel alia excusandi ratio sufficiens, ex ætate homicidæ, animi ejus statu, moderamine inculpatæ tutelæ, justo dolore, desumpta præsto fuerit: Cum leges saltim cum telo ambulanti necandi causa, mortem decreverint, multo magis supplicio affligendos, qui occiderunt, nec excusationes ullas audiendas esse; sententiam mortis, sine præjudicio medico, super inspectionem cadaveris fundato, fieri posse & debere: HADRIANVM Imperatorem, *referente* MARCIANO *ad Leg. Corneliam de sicariis*, inter eum, qui occidit, & saltim vulneravit, ut occidat, nullum discrimen ponere, & utrumque uti homicidam damnare; satis esse ad supplicium, ut aggressoris occidendi animus, ex facti natura, instrumenti lethiferi nocendi potentia, atque de eventus mortiferi immediata sequela, constet: IMPERATOREM, *Nemeseos* CAROLINIANAE Art. 149. de inspectione funerum, non de sectione, egisse, eamque præjudiciis jurisperitorum illius temporis superstructam esse; indulgentiam illam judicum, qua, per excusationes ex qualitate vulnerum desumptas, impunes homicidæ manent, multos allicere alios, ut fortunam istam impune occidendi experiri velint: Summos quoque legum interpretes, inter quos *illustres Facultates Juridicæ* LIPSIENSIS atque VITEMBERGENSIS nominatur, neglectam sectionem haud curare, si de voluntate aggressoris, de instrumento lethifero, deque immediata mortis sequela, constat.

§. 18.

§. 18.

Verum nondum rationibus his vis legis de inſpiciendo occiſi cadavere, deque judicio ſuper læſionum diverſo lethalitatis gradu ferendo, fracta eſt: Etiamſi enim a præjudicio legis receſſerimus, Jus naturæ vult, vitam homicidæ & occiſi æquali ſtare pretio, & illam amiſſam hujus morte luendam eſſe. Quodſi ergo dubium ſupereſſe poteſt, an vitæ vulnerati jactura ad rationes aggreſſoris referenda ſit, an ille potius alia ex cauſa, quæ aggreſſorem nihil attinet, non autem ex ejus actu mortifero immediate fluit, ſed aliunde acceſſit, defunctus ſit; quodſi porro lex naturæ tutelam vitæ unicuique permittit, qui in periculo mortis verſatur, adeoque & delinquenti defenſio denegari nequit, quodſi ergo ſine ſectione cadaveris nulla defenſionis momenta animo concipi poſſunt. Adeoque neutiquam ex ſolo legis præjudicio, quia, ita fieri oportere IMPERATOR juſſerit, ſed ex obligatione & æquitate naturali erga delinquentem, ſectio legalis medica neceſſario requiritur, cujus potiſſimum cauſa ille actus celebratur. Neglecta ſectio in quibusdam caſibus dubium eſſe ſineret, an homicidium commiſſum ſit, poſſet enim in cadaver actus crudelis commiſſus eſſe, veluti infanticida animum occidendi habere potuit, & præcidit jugulum parrui, aſt ille ante partum, aut durante illo, defunctus eſt; hic nulla vita peſſumdata fuit, nulla ergo locum habet compenſatio, ſed unde ſcias, in vivum ſæviiſſe matrem, niſi ſecueris? Ecquis haud videt, funeris ſectionem totius inquiſitionis in cauſa homicidii fundamentum plerumque eſſe?

eſſe? Deinde lex divina naturalis ac civilis non decernit ſupplicium illi, qui in vitæ periculum aliquem adduxit, ſed illum, qui occidit. Vnde autem reſciſcas, adfuiſſe periculum, cum aliqua tamen vitæ ſervandæ fiducia conjunctum, adfuiſſe illi, qui defunctus non *propter* forte, ſed *poſt* vulnus eſt, convaleſcendi potentiam, quam peregrina forte cauſa, ad rationes aggreſſoris haud referenda, impedivit? Vnde intelligas, vitæ formam, læſione vitalium viſcerum facta, ab homicida deſtructam fuiſſe, nec coincidiſſe mortis cauſam aliam? Qualis actus forenſis poterit hujus certitudinis normam ſtatuere, ſi a ſectione funerum receſſeris? Lex naturæ, vitæ ruinam vitæ illius jactura compenſandam ſtatuit, qui mortem intulit. Quodſi ergo duo vulneraverint, altero innoxium viſum inſtrumentum applicante ad latus ſiniſtrum, ubi coſtæ finiunt, unde lien rumpatur, altero pectus transfodiente, videbitur ille, apertum qui vulnus fecit, mortis cauſa eſſe, altero, qui vera cauſa fuit, impuni abeunte. Quis modus ſupereſt verum occiſorem detegendi, ſi medicos ex foro abigis? Lex naturæ multorum vitas pro una compenſanda haud poſtulat. Quo medio cognoſcendi poteris ex multis vulneribus illud detegere, quod mortem intulit? ſique duo percuſſores in quæſtionem veniunt, unde ſcias, hujus aut illius gladio confectum hominem eſſe, ſi funus haud diſſecas? Superveniente morbo, qui ex natura læſionis haud fluit, ereſypelate, propter vulnerati incontinentiam, inducto, extin-

extinguitur afflictus homo; quis te docebit, an ad ægroti, an ad percuſſoris rationes cauſa mortis referenda ſit? Dicis, niſi vulneraſſet Cajus, Sempronio ereſypelas cauſa mortis futura non erat. Largior: Sed cauſam proximam mortis puniendam leges volunt, non remotam, *qui occidit, morte pœnam luat.* Quis autem occiderit, an ipſe ægrotus, an, qui male medicatus eſt, niſi funus ſectum eſt, conſtabit neutiquam. Clandeſtina committuntur homicidia, venenis inſidioſe mixtis; aufugiet veneficus, ſi ſectionem funerum ex foro relegabis. Lex adeoque naturæ inſpectionem funeris occiſi non abnuit, quin imperat, & divina lex non impedit fieri. Nam illa, ex eventu homicidium æſtimandum eſſe, pronuntiat. Ita enim ſonant verba divina *Numrum.* cap. 34. v. 16. ſqq. Wer iemand mit einem Eiſen ſchlägt, daß er ſtirbt, der iſt ein Todtſchläger ꝛc. adeoque de læſione, quæ mortem, tanquam cauſa proxima, intulit, ut mortem mereri delinquens poſſit, agitur, neque iſta particula conditionalis animum aggreſſoris, ſed eventum & læſionis effectum, nulla interveniente peregrina mortis cauſa inductum, denotat. Denique, quando ſententiarum arbitri, propter neglectam ſectionem mortui, argumentis aliis ſuæ ſcientiæ inducti, a rigoroſiore decreto detineri ſeſe quandoque haud patiuntur, hoc equidem ſectionum omiſſionem haud laudant vel eam tanquam futilem expungunt, ſed defectum illius aliis circumſtantiis ſuppleri quandoque poſſe, ſtatuunt. Nempe defenſionum momenta

menta ſurripienda delinquentibus haud ſunt, neque illis judices tanquam ira commoti pœnas ſtatuunt: *Duci te jubeo, quia damnatus es*, ſed æquali juſtitia & verſus criminis punitionem, & verſus reum, feruntur, cui defenſionis media licet haud expectari poſſe viſa, tamen tanquam poſſibilia non præſcindunt, ne novo ſanguinis crimine provincia oneretur; cum tantum ſit, innocentem ad ſupplicium duci, quantum eſt, occidere.

§. 19.

Summa adeoque in proceſſu criminali inſtruendo, affliti hominis corpus vivum inſpiciendi, defuncti autem ſecandi, eſt ubique neceſſitas, cum, quidquid ſine illo decernitur, conjectura eſſe poſſit ac præſumptio, cum errore in cauſa ſanguinis committendo conjuncta. *Non ſolum*, ait BENED. CARPZOVIVS *practica rerum criminalium p. 134. nobis de homicidio conſtare debet, ſed etiam de omnibus qualitatibus & circumſtantiis homicidii, & præcipue, occiſum ex percuſſione aut vulnere inflicto obiiſſe, illudque fuiſſe lethale & mortiferum, hoc eſt tale, quod plus tendit ad mortem, quam ad evaſionem.* Atque ille ipſe graviſſimus legum criminalium interpres *P. 1. Qu. 26. n. 30. Inſpectionem cadaveris partem primam & neceſſariam inquiſitionis* appellat.

§. 20.

Inſpectio adeoque corporis occiſi, uti neceſſaria eſt, & unicum, cui in cauſa ſanguinis ſententiæ ſeve-

ſeveriores ſuperſtrui poſſunt, fundamentum ſiſtit, ita, ut fidelis ſit, variis, quæ uberiorem examini inſtituto fidem facere poſſint, ſuſcipitur atque peragitur ſolemnitatibus, quas, etiamſi ad medicum nihil attinere videntur, in gratiam eorum, qui me audiunt, breviter deſcribam. Finis hujus actus judicialis eſt certitudo facti: *utrum violentia vivo illata ita mutaverit ſtatum hominis naturalem, ut, ob deſtructionem irreparabilem partis ad vitam abſolute neceſſariæ, mortem oportuerit conſequi*: *an vero iſta violentia fuerit ſaltim cauſa occaſionalis ac remota, & nova alia peregrina, quæ pro mortis proxima habenda ſit, intervenerit*? Cum ergo in hoc actu res agatur inquiſiti, vel jam cogniti vel ſuo tempore cognoſcendi, cujus mors vel vita, a renuntiatione ſecantium dependent; Adeoque, ut momenta, quibus deciſio ſuperſtrui debet, ſint evidentia, utque tanti ponderis res, quanta vita inquiſiti, omni cura atque ſolicitudine pertractetur, nec leviter perfuncti eſſe ſuo officio judices videantur, variæ præter illam, quæ in luſtratione funeris conſiſtit, a parte judicis circumſtantiæ, cadaveris inſpiciendi ſolemnitatem comitantur: non minus eſſentiales, quam eſt expeditio ſecantium, non enim aliter hi recte ſecaſſe, omnemque induſtriam ac fidelitatem ſecando adhibuiſſe, quam, quia ſub conſpectu teſtium fide dignorum ſecuerunt, putabuntur. Quare invalida erit medici privatim cadaver ſecantis, deque læſionis alicujus lethalitate relationem exhibentis, ſignificatio, etiamſi de ejus fide

fide atque eruditione nullum ſubnaſci poſſit dubium. Poſſet etiam dubitari, an medici relatio altera, aut prioris uberior explicatio, ſit valida, ſi circumſtantiam novam adduxerit eandemque ex memoria repetat, inquiſito oneroſam. Negligunt ſæpe ſecantes examen vaſorum majorum corporis, & cavitatum cordis contenta haud luſtrant, in cauſa infanticidii, neque, an illa ſanguine plena, an eodem vacua fuerint, exponunt, lethalem tamen per funem umbilicalem ſanguinis effuſionem contigiſſe, quod ille haud deligatus viſus eſt, concludunt; adeoque Facultates Medicæ, ob hujus circumſtantiæ defectionem, de hæmorrhagia lethali certi nihil conſtare, reſpondent: etiamſi ergo medicus vacuitatem a ſe deprehenſam ſecundario ſcripto proderet, invalida tamen foret teſtificatio, utpote *anamniſtica* aut per memoriam repetita, quæ relationi, ſuper viſionem fidelem, ſub judicis intuitu celebratam fundatæ, haud æquivalet: Hinc, veluti teſtium conſenſus in cauſis civilibus veritatem conficit, ita judicialem viſorum ac repertorum conſignationem cum medici relatione, cui chirurgus ſubſcribit, in momentis lethalitatem attinentibus, conſentire, æquum eſt, neque raro evenit, quo momentum defenſionis ex diſſenſu ſcriptionis judicialis, quam Regiſtraturam appellant, & relationis medicæ, haud inique petatur; quapropter neceſſarium eſſe arbitror, ut medicus a ſe viſa judici ejusque aſſeſſoribus fideliter exponat atque declaret, & verba,

verba, quibus hiſtoria corporis delicti concipienda ſit, pronuntiet.

§. 21.

Nolo nunc in amplam recenſionem ſolemnitatum omnium, quæ actum inſpectionis cadaverum comitari ſolent, excurrere, quandoquidem judicis eſt, iſtas omnes recte inſtruere. Nemeſis CAROLINIANA non medicos, ſed chirurgos, Wund-Aerzte, ad inſpectionis actum poſtulat, ſed, medicinam utramque, & illam internarum & illam externarum ægritudinum, in eadem tunc perſona ſimul fuiſſe, iſtorum temporum hiſtoria medica luculenter confirmat, ut, de quo ſibi gratulentur, chirurgi propterea non habeant (e); An chirurgi concurſus ad eſſentiam inſpectionis pertineat, ut, illo abſente, in celeris expeditionis negotio, ſolus medicus ſectionem valide celebrare haud poſſit, &, diſſentientibus chirurgo & medico, utri major fides adhibenda ſit? an medicus & chirurgus, qui vulnus, vivo homine, tractaverunt, ſectionem legalem ipſi procurare poſſint, cum, illos ab abſolutæ lethalitatis partibus ſtare, &, famæ ſtudio, curandi impoſſibilitatem allegaturos eſſe, adſit præſumtio? An in difficili caſu plures uno medici convocandi ſint? An ad actum juramento adſtrin-

(e) Excellentes Medici, AMBROSIVS PARAEVS, GVIDO de CAVLIACO, CAROLVS STEPHANVS, aliique iſtis temporibus, Chirurgorum nomen atque officium ſimul gerebant.

ſtringendus ſit medicus ac chirurgus, qui ad ſectionem, abſentibus ordinariis, deliguntur? An dignitate Academica inveſtitum eſſe oporteat, qui actum hunc celebraturus eſt? hæc judicis quæſtiones ſunt, non medici.

§. 22.

Ipſi autem ſecantes ſui officii nunc gerendi rationes recte perſpiciant, ſciantque, ſe, vitæ ac mortis inquiſitorum arbitros, ſententiæ aut rigoroſiori aut mitiori fundamentum nunc ponere, adeoque omni ſua ſcientia, quam ſane ad ejusmodi actum exercendum haud mediocrem eſſe decet, omnique providentia eo annitantur, ut deſcriptio compertorum ſenſibusque variis acceptorum ſit fidelis, exquiſita, perſpicua, quæ ſententiarum arbitris normæ loco, ſimul cum aliis facti circumſtantiis, eſſe poſſit. Duo autem ſunt, quæ in hac ſolemnitate in ſecantis partes veniunt: *Sectio*, atque de compertis *Relatio*.

§ 23.

Solam aliquando inſpectionem cadaveris ſufficere, ſunt, qui putent, dum vel, propter abſentiam ſignorum externorum, violentiam factam innuentium, naturali morte periiſſe cenſetur, qui ſine teſtibus defunctus eſt, vel læſio magna ſtatim primo intuitu lethalitatem ſignificat, ut adeoque ſectione non opus ſit, quandoquidem facti ambitum oculis metiri licet, effectum autem ſubitaneum lethiferum teſtes affirmant. Sed, quod funera attinet, quæ nullam vim paſſa eſſe videntur, caveant judices atque medentes,

ne

ne cutis atque partium externarum integritati fidant, cum dentur afflictiones, quæ ſui veſtigium adeo luculentum, ut illud ſtatim primo intuitu cognoſci poſſit, haud relinquunt, uti ſunt ſuffocationes, venenorum lentorum effectus, ictus mortiferi in partibus quibus oſſa haud ſubjacent, & quæ propterea haud ſuggillantur. Ex altera parte, quod manifeſta lethalitatis ſigna attinet, etiamſi illa luculenta ſint, tamen labori parcendum non eſt, omnium minime, ſi ſine teſtibus homicidium commiſſum fuit; poſſet enim hoc vulnus, quod extus apparet, mortuo illatum eſſe, vel etiamſi ſub teſtium oculis vulneratus defunctus eſt, poſſet tamen defenſor, intermiſſa ſectione, varia movere dubia: *Vulnera magna non ſemper eſſe lethalia: Derelictum ab adſtantibus ægrum fuiſſe, nimia mortis credulitate, debuiſſe venam ſecari, vulnus dilatari*, & quæ ſunt aliæ excuſationes, tunc ſatis validæ, ſi contrarium, abſente ſectionis formula, doceri nequit. Sectionem autem legalem neceſſariam quandoque haud videri, *quando pœna ordinaria homicidii locum non habet, ſi demens eſt, qui vulneravit, ſi ad vulneris qualitatem non attenditur, veluti eſt in aſſaſſiniis, latrociniis, duellis* (f), judicis cognitioni relinquitur.

(f) Conf. GEORG. WILHELM. DETHARDINGII ſcrutinium academicum de neceſſaria vulnerum inſpectione in crimine homicidii commiſſo, Roſtoch. 1726. 4. p. 55. ſqq.

§. 24.

Inſpectio externarum corporis humani partium, & omnium in ſuperficie ejus viſorum plena deſcriptio, non parum lucis ad inveniendam mortis cauſam accendit; Livor cutis, niſi ex mortis forma conſecutus eſt, ortæ ex effuſo inter vaſa cutis, aut ſub illa in cellulas pinguiferas ſanguine maculæ ex rufo cœruleſcentes, quas ſuggillationes, & in majore exemplo ecchymoſes appellant, illatam a contundente inſtrumento violentiam indicant, ſimulque vitam docent ſuperfuiſſe tunc, cum inſtrumentum applicatum eſt, cum fluens extra vaſa ſanguis cordis motum ſupponat, veluti, ſi ſuggillationes veræ ſunt, illis, in cognoſcenda vita neogenitorum, tanquam fidelibus ſignis, etiamſi pulmones in aqua ſubmerguntur, uti ſolemus. Cuticula, a ſubſtrata ſibi cute ſponte decedens, inque veſiculas ſero ſanguineo ſeu ichore turgidas elevata, putredinis vel ſphaceli eſt ſignificatio; Vnguiculi molles membranei, cutis in vertice glabra, pilis deſtituta, *abortivum*, ſed horum omnium plenitudo *maturum* partum ſignificant; Tumores, ſive qui a pinguitudinis inflatione, ſive, qui a cavitatibus plenis in ipſo mortis articulo nati ſunt, diatheſin corporis putridam, ex morbo vel veneno, ſubinnuunt; Transparens in funeris facie ſanguis, inter ſuffocationis ſigna locum habet; Sunt præterea quarundam læſionum rationes, in corporis integumentis poſitæ, veluti, ab evulſis pilis noxa apud

AMMAN-

AMMANNVM (g), ut propterea, integumentorum momenta anatomica, & uſum, quem vivo corpori præſtant, percipere, æquum ſit.

§. 25.

Corpus humanum integumentis involvitur, quibus nomen eſt *communibus*, ideo, quod univerſæ machinæ ſuperficiem tegunt, partesque reliquas ſub ſe comprehendunt. Sunt illa quatuor: *Cuticula*, quam græci epidermidem vocant, *Reticulare Malpighii corpus*, *Cutis*, atque *Pinguedo*, niſi priora tria ſub una cutis appellatione comprehendere velis: Hæc integumenta variis in corporis locis hiatus ſiſtunt, quibus res aliæ ingrediuntur, aliæ exeunt. Sunt enim aperturæ majores, aliæ minores, tandemque minimæ atque inperceptibiles, quibus difflatur, quicquid humoribus noſtris ineſt, ſubtiliſſimum. I) CVTICVLA: extima eſt cutis lamina, ſub qua fines tubulorum inhalantium atque exhalantium ſiſtuntur; nam εἰσπνοον καὶ ἔκπνοον ὅλον τὸ σῶμα: *Totum corpus inſpirabile & exſpirabile*, quod HIPPOCRATES haud ignoravit (h), recentiores cultius docuerunt, interque illos, SANCTVS SANCTORIVS ac HALESIVS menſuram, qua plus vel minus humidi difflatur in aërem, definiverunt. Duo autem ſunt, quæ per ſummam effluunt cuticulam, *alterum*, halitus inſenſibilis, quem corporis pondus imminutum ad ſtateram docet, viſus exponit, quando enim hyemali tempore ſpiſſus aër eſt, ut facile aliquid in ſe haud recipiat,

(g) Prax. vuln. lethalium Dec. III. Hiſt. 7.
(h) Epid. Libr. VI.

piat, tunc viſibilis fit halitus noſter, & ille *cutaneus*, & ille *internus*, qui ex ſuperficie intima finium aſperæ arteriæ provenit, & ore efflatur; *alterum* ſudor eſt, cui equidem BOERHAVIVS peculiares attribuit fontes, glandulas puta cutaneas miliares MALPIGHII, qui autem, poſtquam, glandulas iſtas folliculos muciparos eſſe, intellectum fuit, nunc iisdem apicibus arteriarum cutanearum, quibus vapor inſenſibilis procedere deprehenſus eſt, prodire animadvertitur. Halitus inſenſibilis ſudor tenuis eſt, & halitus auctus, per cauſas externas perque majorem cordis efficaciam, in ſudorem abit. Hos adeoque tubulos, ſane exiles, & in minima area, ex LEEVWENHOECKII calculo, fere innumeros, ordinat atque continet epidermis, cujus altera & extima lamina ſquamoſa eſt, altera firmiter ad apices cutis arterioſos tenet, eorumque eſt explicatio, nam, uſtione ſeparata cuticula, ſerum ex iſtis arteriarum finibus ſub ſe recipit, inque bullam elevatur; hinc, quodſi vivis ſponte abſcedit, *gangrænæ*, ſi mortuis, *putredinis*, eſt ſignificatio. Cuticula, ad digitorum in manu ac pede ſumma, unguis fit, tendines muſculorum, qui digitos extendunt, ſcutuli inſtar, muniens. Aſt illius cornea ſaltim lamina cuticulæ adhæret, dum interna, nervea, a papillis cutis nerveis elongatis oritur, acutiſſimi proinde ſenſus particeps, ut non niſi impie ac crudeliter, cumque ſanitatis jactura, ac mortis, certe quoad partem, id eſt ſphaceli, periculo, prælum, in primo torturæ gradu, unguibus admoveatur.

tur. Creſcunt ſubinde ungues, dum mollior illorum pars, ſic dicta *lunula*, ſenſim ſenſimque in longum emittitur. Membranei immaturis fœtibus apparent unguiculi, nec, niſi obfirmato ad naſcendum habitu, illis indurantur, proinde inter ſigna pleni fœtus, cui ad vitalitatem nihil deeſt, numerantur ungues indurati. Ad ſingula cuticulæ oſtia, quæ tubulis cryptarum mucoſarum atque papillis cutis nerveis reſpondent, ſinguli pili naſcuntur, atque vegetabilium lege nutriuntur, quorum illi, qui proceriores ſunt, *capilli*, reliqui *pili*, & ſub naſcendi primordium, *lanugo* audiunt, *illi* verticem capitis tegunt, naſcituris ſero geniti, maturitatis indicium, *hi* paſſim, plus ad pubem, exeunte puerilis ætatis termino, emergunt. Omnibus una eſt fabrica ac unus vegetationis modus. Omnes ex radice bulboſa nutriuntur; illis, ad plantæ leges, corticula eſt, cuticulæ propago, nec vaſa deſunt, quæ ex cutis propagata arteria veniunt: docet id morboſum pili incrementum, quod *plica polonica* dicitur. Capillitium profundius in pinguedine, quæ ſub cute eſt, radicatur, ſed pili intra emiſſaria pinguitudinis, quæ cutim dividunt, ſuos habent bulbulos; omnibus vaginula eſt ex epidermide, hinc illam detractam ſequuntur. Cuticulæ color etiam æthiopi albus eſt, ſed, transparens cum ſit, nigrum illud pigmentum ſibi ſubſtratum, quod in *corpore reticulari* MALPIGHII continetur, refert, uti PECHLINVS atque ALBINVS *de colore æthiopum* docent: II.) CORPVS RETICVLA-

RE MALPIGHII est tela tenuis, mollis, quam in lingua brutorum clare videmus, alba, cancellis divisa, pars humanæ cuticulæ mollior, sensus tactus causa socia, a nervorum finientium meninge pia aut involucro altero, effecta, quando nervus cutaneus ipse suis involucris orbatus, minimus factus, theca tendinea cutis inclusus, sub epidermide, *papillæ nerveæ* nomine, desinit; verumque fit tactus organon, quo objectorum propinquitates, mensuras, resistentiam, & corpus destruendi potentiam percipimus, cujus perceptio affligens dolor est. III.) CUTIS tela est, ex nervis arteriisque finientibus confecta, respondente singulis venula, quæ sanguinem recipit, & altero ostio sub cuticula aperitur, & aërem ac subtile quodvis medicamentum sorbet; docent effectus medicamentorum in corpora. Nervulus cutaneus evomit ipsum spiritum igneum, docentibus electricorum experimentorum tentaminibus. Intercurrunt cuti musculorum tendines, atque illa texturam habet raram, pinguitudinis substratæ emissaria intra se recipit, folliculos muciparos, quas glandulas appellant, suæ superficiei instratos habet plurimos, rem sevo similem effundentes, ad usus varios. Arteriæ cutaneæ continuatæ fiunt tubuli *halantes*, & pro ratione motus cordis auctioris, *sudoriferi*. Exquisitissima rerum dolorem facientium in cute perceptio est, atque illa, propter vasorum sanguiferorum copiam, contusa, livescit, minimis puncturis ac minimis sed frequentibus plagis afflicta

afflicta inflammatur, corrumpitur ac putrescit, hinc, in exemplis plurimis, medicinæ legalis quæstionibus subjacet. IV.) PINGVEDO folliculorum, oleum animale ex sanguine intra sese recipientium, continentium, ac, si res exigit, reddentium, est concatenata series, atque ex uno in alterum via patet. Loculi isti pinguiferi, pleniοribus, tument, marcidis, exhausta pinguitudine flaccent, estque perpetua istius materiæ, quam arteriæ pinguiferæ in cellulas adipis effundunt, vicissitudo, ut, quod hodie infusum illuc est, cras, succedente nova pinguedine, absorptum sit, cum leges vitæ humorum quietem haud ferant. Pinguedo ubique est subjecta cuti, opulentior ad musculos, quos dividit & lubricat; omnibus vasorum fasciculis circum est, abscondit intra sese glandulas lymphaticas; deficit alicubi, uti in scroto & juxta umbilicum: Eadem intus viscerum intercedit tunicis, eamque, ubicunque motus muscularis est, adesse, mechanica necessitate oportet, dum illa carent, viscera motu proprio destituta. Pinguedo quæstionibus medicis legalibus frequenter interest: *ubi copiosa subjacet, sugillationes fieri haud permittit, nisi ossa substrata sint: pinguedo claudit vulnera vasorum lethalia, ut supereſſe aliquamdiu vulnerati possint, ipso vulnere non minus mortifero.*

§. 26.

Præter integumenta communia, & mutationes in illis ab instrumento aut causa alia lædente fa-

ætas, locorum quoque, ſub quibus ſingularia recondita ſunt viſcera, aut vaſa, aut alia quævis organa collocantur, aliquis, ubi corporis læſi examen inſtituitur, reſpectus eſt, ut, veluti regio externa quædam afflicta fuit, ita ſubſtrata quoque illi viſcera lædi ſimul putentur. Adeoque in vivo, prout profundum vulnus erga ſubſtratum aliquod viſcus dirigitur, de eventu læſionum probabili, uti pars externa hæc vel illa læſa eſt, conjecturas inſtituimus, atque in ipſo cadaver inſpiciendi negotio, dum locos, ubi ictus vel vulnus ſedet, definimus, moris eſt, quæ ſubſtrata his viſcera ſint, ſimul deſcribere. Propterea haud abs re fore arbitror, ſi potiorum, quæ in ſuperficie corporis ſunt, regionum nomina, & partes internas his reſpondentes deſcripſero: non illorum qui me legunt, ſed illorum in gratiam, qui me audiunt.

§. 27.

Corpus humanum dividitur in Truncum & Artus, ſeu extremitates.

Truncus cavitatibus tribus inter ſe diſtinctis dividitur, diverſa organa continentibus; Calvariæ cavum, *actionum animalium*, Thoracis cavum, *actionum vitalium*, Imus venter, *actionum naturalium*, officinas ſiſtunt: Etiamſi enim & alia cava ſunt; in capite, os cum faucibus, & variæ ſenſuum ſtationes; in abdomine, ſcrotum, viris; attamen, cum iſta prima-

primariis ſuis reſpondeant ventribus, organorum cava calvariæ, os cum faucibus thoraci vel abdomini, propterea dictis tribus cavitatibus plures haud numerantur.

Externæ ſuper integumenta corporis communia deſcriptæ regiones, intervenientibus muſculis, vaſis, oſſibus, membranis, certa ſubſtrata ſibi viſcera indicant.

Capillata capitis pars, ſi linea a naſo ad cervicem ducitur, in duas regiones laterales, quæ bregmatis, ſeu ſincipitis dictæ ſunt, dirimitur; Intervenientibus integumentis communibus, poſt, muſculo epicranio dicto, hinc, membrana oſſibus calvæ circumducta, quam pericranium vocant, ſubſunt illis cerebri hemiſphæria; Lineæ ita ductæ, *futura*, oſſa bregmatis committens, *longitudinalis* ſeu *ſagittalis*, ſubeſt: ſumma capillitii area, *vertex* audit.

Si poſt alteram aurem ad alteram, lineam duxeris, omne, quod poſt illam eſt, *occiput* dicitur, atque illi lineæ ſubeſt futura *lambdoidea*, poſt quam locus eſt, cui cerebellum ſubjacet. Cardo, circa quem capitis globus vertitur, *cervix* aut *nucha* nominatur.

Si ante aurem, ad *tempora*, lineam duxeris, medius ejus locus *Fonticulum*, penes infantem deſcribet, quod ante illam ponitur, *frontis* eſt primordium. *Temporum* regio illa eſt, quæ utrinque, ab auricula ad faciem,

ciem excurrit: Vbi capilli finiunt, *frons* eſt, oſſibus ejusdem nominis reſpondens.

Faciei regiones totidem ſunt, quot organa in illam patent: In conſpicuo ſunt: oculi integumenta, *palpebræ*, ſuperior atque inferior, ejusdemque viſibiles ſuperficies, albuginea, pupilla, atque uterque ejus angulus aut canthus, *major*, qui ad naſum jacet, *minor*, qui temporibus prope eſt; Naſi dorſum, pinnas, faciei latera, buccas aut genas, deinde, labia, prolabia, myſtacium, naſi columnam, mentum pubertate majoribus pilis hirſutum, quotusquisque eſt, qui ignorat.

Quæ caput cum thorace committit, corporis regio, in complexu ſumpta, *collum* dicitur. Hujus anterior plaga, ad ſterni ſummum locum, *jugulum* eſt, ſub quo, tenuibus intervenientibus muſculis, via aëris ponitur, cujus caput, *Larynx*, tubus, *Trachea* dicitur, poſt quam deſcendit œſophagus, cujus infundibulum, *pharynx* eſt. Ad latera colli, arteriæ carotidis trunci & venæ jugulares dictæ, cum nervis, *pari vago*, *intercoſtali*, atque illis ex medulla ſpinali vertebrarum colli ortis, ponuntur; Retro collum cervix ad dorſi ſpinam excurrit, cui vertebræ, medullam ſuam ſpinalem amplectentes, intervenientibus variis muſculis, ſubjacent.

Thorax cavum eſt, cujus limites, duodecim coſtæ & totidem vertebræ dorſi, anterius autem,

autem, ſternum, definiunt, quorum compagem tactus apprehendit, ut propterea ad externarum partium numeros merito referantur. Quæ utrinque in declivi ponuntur, regiones, *latera* audiunt. Coſtas vel ſuperiores & veras, vel inferiores ac ſpurias ſi tangis, pulmones ſub manibus ſunt, variisque laterum regionibus reſpondent. Coſtarum quinque ſpuriarum & cartilaginis xiphoideæ fines diaphragma ſibi habent adnaſcens; ſub ſterno *mediaſtinum* eſt, thoracem dividens; ſub claviculis vaſa habentur ſubclavia.

Abdomen omne illud eſt, quod, ſi linea a cartilagine xiphoidea vel ſterni mucrone, ad pubis oſſium commiſſuram ducitur, quodque, ſi regionem ſub omnibus coſtis ſpuriis ſitam capis, comprehenditur: Hujus regiones deſcribuntur variæ: Vtrumque *hypochondrium* ſub cartilaginibus coſtarum ſpuriarum, uti nomen græcum ſonat, atque ſub ipſis his coſtis utrinque ſiſtitur, & *dextrum* quidem ſub ſe *hepatis*, intervenientibus muſculis abdominalibus latis, *convexam partem* tenet, cujus tamen lobus ſiniſter ad cartilaginis xiphoideæ finem excurrit, aſt *ſiniſtro* lien, ventriculi tuber ſiniſtrum, cum coli deſcendentis primordio, ſubjacent. Quæ, transverſæ manus latitudine, ſupra umbilicum ſiſtitur, *epigaſtrica* dicitur *regio*, cui proxime ſiniſter hepatis lobus

lobus, deinde ventriculus, ſubſunt. Sub eo, qui chordam umbilicalem fœtus ſuſtinuit, loco, umbilico, omentum, deinde inteſtinorum tenuium, jejuni maxime, ex parte tamen & ilei, helices aut turbines, ponuntur, ſi muſculos rectos mente ſubducis. A pube ad umbilicum regio hypogaſtrica extenditur, huic, poſt muſculos rectos, ſubſunt inteſtini ilei, circum meſenterium flexi helices, atque illuc usque omentum haud excurrit: Gravida mulier uterum fœtu tumidum hac regione effert, ſed oſſi pubis propius veſica urinaria collocatur.

Tergi fines Lumbos dicunt: ultimæ coſtæ utrinque *renalis regio* ſubjacet; ſi circumcirca abdomen lineam flectis, *regio epicolica*, illa ſcilicet, cui colon ſubeſt, deſcribetur. Hinc, quod limbo oſſium innominatorum adjacet, *regio* utrinque appellatur *Iliaca*, inteſtini ilei circumvolutiones amplectens.

Qua parte, ad finem abdominis vaſa ſpermatica viri, & rotunda uteri muliebris ligamenta exeunt, *annulus abdominalis* eſt, quo inteſtina in hernias excidunt: Reliqua, nemo eſt, qui neſciat.

Qui inter pudenda & ani oſtium medius intercedit locus, *perinæum* dicitur.

Tota ſpinæ longitudine, intra capſam ex vertebrarum commiſſuris junctam, medulla ſpinalis deſcendit.

Quod

Quod artus attinet, illorum omnium flexuræ dicuntur articuli, ſub quibus, vaſorum majorum, *arterioſi*, *nervoſi*, *venoſi* ac *lymphatici generis*, concurſus eſt. Si de ſingulis ſermo fuerit, ſupremi artus firmantur *ſcapula*; ſumma illorum regio, *humerus*, media *brachium*, ſpeciatim *radius*, id quod ante pollicem, *Vlna*, quod ante minimum digitum eſt, appellatur; reliquæ partes manus ſunt, cujus *dorſum*, *vola*, junctura ad brachium, *carpus*, digitique, *pollex*, *index*, *medius*, *auricularis*, *minimus*, in omnium ore & vulgaris ſunt notitiæ.

Prope artuum inferiorum cum pube confinia Inguen, hinc femur eſt, cujus ad Tibiam articulus, infra *poples*, ſupra *genu* dicitur. Carnoſior medii pedis pars retro ſuram ſiſtit, cujus tendo ab Achille nomen accepit & alligatur calcaneo; ſpina tibiæ, quæ anterior ejus pars eſt, carnibus nuda, ſub cute jacet; duo ſunt ad juncturam tibiæ atque fibulæ tubera, externum *fibulæ*, internum *tibiæ* caput eſt; Deinde baſis totius ſtaturæ, plantæ pedis innititur; ſummus pedis locus *dorſum* eſt, & digitorum pedis eadem, quæ digitis manuum, ratio eſt in omnibus.

§. 28.

Hiſce regionum corporis definitionibus cognitis, atque læſionum deſcriptione ad illas accommodata, ad luculentam reliquarum circumſtantiarum

rum profundius ſitarum declarationem via pandi-tur: ut, niſi locus, quem violentia tetigit, & in quo vulnus deſcendit, ad menſuras propinqui-tatum ac diſtantiarum unius regionis ab altera, cu-rioſius a medico delineetur, illi, qui ſententias laturi ſint, ſæpe nihil intelligant. Hinc poſſunt ſecantium errores facile detegi, ſi, quam læ-ſam fuiſſe ſcribunt, pars, læſioni externæ exacte haud reſpondet: *Quis diceret, recte vidiſſe medi-cum, ſi, vulnus inter coſtam quintam ac quartam ſpuriarum ſiniſtri lateris deſcendiſſe ſcribit, in ſcriptione, an ab ima ad ſummam, an a ſumma ad imam numerare inceperit, haud exprimit, ac deinde, intactis diaphragmate, liene, ventri-culo, inteſtinum jejunum offenſum eſſe, ac ex vul-nere omentum prominuiſſe, enarrat?* Tanti momen-ti eſt, partium externarum delineationem juſtam hiſtoriæ corporis delicti adjicere! tanti eſt, anato-men in academiis, etiamſi non ſubtiliter, ad uſum tamen forenſem recte, diſcere, ne illa ſui contemptum variis erroribus in foro commiſſis, cum ſecantis opprobrio, vindicet!

§. 29.

Præterea medicus, circa inſpectionem ſuperfi-ciei corporis externæ occupatus, ea etiam deſcribat, quæ ex corpore funeris fluxerunt, cum abinde ad mortis ſpeciem, & ad cauſarum lædentium effe-ctus, concludi poſſit. *Quæ vomitu rejecerat æger, cruenta fuerunt, hæc a cane devorata, animal oc-ciderunt*; quanta illa eſt veneni accepti indicatio? ſanguinem inter diros cruciatus ſimul alvo ex-

purga-

purgavit, hoc toxici accepti ſuſpicionem confirmat. Saliva, ore fluit: An mercuriali pharmaco enectus eſt? Sanguis, poſt violentiam capiti factam, ex aure manat; En magnæ, quæ cerebri baſin attigit, afflictionis teſtimonium. Præſente autem reo ſanguinem ex vulnere occiſi, aut ejus ore vel naribus fluere, judicem non movebit, ut credat, homicidam hujus phænomeni virtute nunc convictum eſſe. Antiquus ille error eſt, quem LVCRETIVS (i) adducit,

Emicat in partem ſanguis, unde icimur ictu
Et ſi cominus eſt, hoſtem ruber occupat humor

quemque, poſt ATHANASIVM KIRCHERVM, amplexi ſunt, pro temporum iſtorum rationibus, alii (k). Forte antiquiorum temporum mos, reum ad cadaveris conſpectum ſiſtendi, aliam cauſam habuit, ſcilicet ut ille, conſcientia delicti commotus, criminis notam terrore ac aliqua vultus mutatione, oſtenderet; Gratulamur autem temporibus noſtris de profligatis ex foro, cum hac, etiam aliis ſuperſtitionibus: A vulnere & magna alia thoracis læſione ſanguinem ſputo, cum viveret, rejectum eſſe, eundemque in cadavere ad os adſcendiſſe, magnam vaſorum pulmonalium deſtructionem factam fuiſſe, haud obſcure indicat. Stercora

(i) De rerum natura Libro IV.

(k) Collegit iſtas fabulas THEOD. KIRCHMAYERVS de cruentatione cadaverum fallaci præſentis homicidæ indicio. Vitembergæ 1659.

cora atque urinas morienti fluxiſſe, ſpumam cadaveri in ore eſſe, inter ſigna ſuffocatorum haud male ponitur; Sed, quamvis haud deſint, qui ex fæcibus neogenitorum in cadavere viſis, ad ejus vitam poſt nativitatem actam concludendum eſſe exiſtiment, mira tamen eſt hujus experimenti fallacia, nam, ex cadavere quoque meconium fluit, ſi ejus abdomen premas, potuitque fæx iſta infantium, ſine motu vitali dejici, uti ſæpe fit, quo cava funerum, inchoante putredine, recludantur, ac in exemplo longe majore, ipſi fœtus, defunctis matribus, utero effundantur, veluti nuper factum eſſe, fideli ad venerabile Conſiſtorium Lipſienſe facta relatione percepi, cum mulier, ſuſpendio voluntario vitam finiens, fœtum mortuum, de fune pendens, in pavimentum effudit, quod diatheſi putrefactoriæ, in liquoribus fœtum ambientibus ortæ, adſcribendum eſt, atque illi eventui *Excellentiſſimus* D. IOANNES ADAMVS KVLMVS, *de infantis poſt matris obitum partu* (1) fidem fecit uberrimam.

§. 30.

Etiamſi autem ex cadaveris ſola inſpectione, quando e. g. vulnus trans pectus actum videt, ad corporis delicti cognitionem quodammodo pervenire judex poſſet, ſecurius tamen, & cauſa ſanguinis, de qua tunc agitur, dignius eſt, læſionum effectus in ipſis rimari viſceribus, adeoque cava, in quibus illa concluduntur, ſectione legali reſerare.

§. 31.

(1) GEDANI 1742.

§. 31.

Veluti autem haud raro accidit, ut objectum inſpectionis malitia facinoroſi hominis, factum ſuum occultare ſtudentis, obſcuretur ac penitus ſæpe deſtruatur, uti, ſi inſans in clibano combuſtus fuit, ejusque oſſicula inter cineres reperta ſunt, ut tunc de vita fœtus iſtius, deque cauſa mortis ejus conſtare nihil poſſit, & vix quæſtiones, *an humana, & utrum fœtus maturi, atque in lucem editi hæc ſint oſſicula?* enodare medicus valeat (m). Ita quoque fit, quo putredo cadaverum omnem ſpem, veritatem inveniendi, ſurripiat. Ille enim putredinis in funera effectus eſt, ut læſionis vera forma, ejusque facultas mortifera intelligi nequeat, quando dubium ſupereſt, an deſtructio organorum violentiæ, an ſolutioni partium, quæ putreſcentibus rebus propria eſt, debeatur, & utrum repertus in cavis ſanguis in ipſo moriendi actu fluxerit, an ille ex ruptis a putrilagine venis ſanguiferis manaverit; Etiamſi autem putredo incertum quodammodo corpus delicti reddere poſſet, ut dubium forte maneat, an cruor in cavo repertus ex vulnere fluxerit, ſunt tamen ſigna violentiarum *permanentia* ac *indelebilia*, quæ a putredine deſtrui haud poterunt: Oſſa calvariæ fracta conſpici etiam in putrido cadavere valent, nec per putredinem delentur ſigna, quæ vitam fœtus poſt nativitatem indicant. Videmus enim putridorum cadaverum pulmones, ſi in aquam projecti ſunt, fun-

 dum

(m) IOH. BOHNIVS de officio medici Forenſis p. 534.

dum vasis petere, adeoque etiam pulmonibus in aqua natantibus significandi valorem putredo haud eripiet. Ast partium mollium læsiones reliquæ, omnino per putredinem talem sumunt faciem, ut nec vulnus, nec lethalis ex illo facta sanguinis effusio, nec suffocatio, nec collisio mortifera in ejusmodi funere, ad sententiam mortis ferendam sufficienter cognoscantur. Proinde, si funus eo usque destructum est, ut carnes absumptæ, spem veritatis inveniendæ nullam superesse sinant; quodsi etiam cum sanitatis eorum, qui actui legali interfunt, detrimento, ob summum fœtorem, contagii quid semper habentem, sectio perficienda foret, causæ satis tunc est, propter quam intermitti illam oporteat. Sed levis putrilago medicum deterrere, ut faciat, quod sui est officii, haud debet, ne ista sua meticulositate impunitatem criminibus afferat. Iudicis autem est, funerum dissectiones in diem haud differre, cum tempestate calida intra paucas sæpe horas, vulnerum ac læsionum facies mutari possit.

§. 32.

In ipso sectionis actu summa opus est providentia, ne in alterutram partem peccetur, & vel læsionis lethalitas occultetur, neglectis, quæ illam significare possent, indiciis, vel illa confidentius asseratur; levius tamen in causa dubia peccatum *illud* est, quod delinquenti favet, *illo*, quod reo jugulum frangit. Proinde, quantum salvo veritatis studio fieri potest, medicus versus delinquentem,

quentem, maxime in cauſis infanticidii, ejusque poſſibilem innocentiam, directum habeat animum. Sunt enim multa violentiarum illatarum ſimulacra, quibus induci ſecantes poterunt, ut delinquentem indiciis onerent: Videbunt integumenta capitis ex rubro livida, tumida, ſed caveant ſibi, ne effuſum, illata manu, ſanguinem propterea ſubeſſe, ſtatim pronuncient, ſæpe enim a partu laborioſo propterea, quod illum ſine auxiliis perfecit mulier, contunduntur integumenta capitis, & abinde tument, nec ſemper, quod livet & tumet, extra vaſa fuſum recte dicitur, & niſi ſanguinem videant in celluloſum contextum, qui cuti intercedit, effuſum, aut eundem ſub pericranio collectum, extra vaſa illum fluxiſſe vix arbitrabuntur, cum, ex naturali quoque morte, ſanguine ſuffundi integumenta poſſint. Ita etiam res ſeſe habet cum ſignis ſuffocationis, quæ, uti in ſeſe ſunt ambigua, ita, maxime penes infantes, raro ita clare comparent, ut audacter per illa ad violentum mortis genus concludere ſecantes valeant.

§. 33.

Ne autem Corpus delicti culpa ſecantium incertum maneat, omnis providentia in ipſo inſpectionis actu, inque relatione rerum compertarum elaboranda, opus eſt. Non omittendæ ſunt circumſtantiæ ullæ, quæ mortis rationem vel comprobare, vel illuſtrare poterunt, in quantum illæ ex cadavere deſumi poſſunt. Nam ad ea, quæ vivo evenerunt, medicus ſecans non reſpicit, niſi in quantum eorum veſtigia ſupereſſe in cadavere

percipit, uti, ſi dicat, convulſum periiſſe, cum livor tota cute apparens tale quid indicit, intemperanter vixiſſe, nam crudos cibos in ejus repertos fuiſſe ventriculo. Propterea, ne ullum, quod aliqua ratione inquiſito utile eſſe poſſit, momentum effugiat, non ſufficit, illam cavitatem aperuiſſe atque luſtraſſe, quæ vulnus aut injuriam aliam recepit, ſed reliquas etiam inveſtigare oportet. In effectibus violentiæ percipiendis medicus ſit perſpicax, quousque organon aliquod deſtructum ſit, clare videat, læſioni non tribuat, quod eſt putrilaginis vel purulentiæ aut ſphaceli. Quales effectus ex ipſa læſione, quales ex ejus ſymptomatibus provenerint, perſpiciat; Collectos in cavis humores, ſanguinem, ichorem, fæces, menſura adjecta, deſcribat. Sæpe, quod in cadavere repertum eſt, ad ideam facti ſiſtendam, *Globuli parvi plumbei ſclopetario vulnere illati*, ut ex eorum copia vulneris conditionem æſtimare ſententionantes poſſint, *pulviſculus albus, vel alius in ventriculis repertus*, ad examen illius, an venenum ſit, inſtituendum, ad acta referuntur. Circumſtantiæ etiam individuales ipſum vulneratum concernentes, negligendæ haud ſunt, ætas, ſexus, teneritas partium, maxime oſſium capitis, vel eorum robur & durities, in cauſa fracturæ cranii. Morbi, quorum veſtigia ſecando deprehenduntur, notentur ſedulo; an in pulmonibus vomica vel ulcus ſedeat, an hepar ac lien aliquid vitii intus habeant, & ſi quæ ſunt ſimilia; tentabit enim defenſor ejusmodi conditiones morbidas, in cadavere viſas, in clien-

tis

tis uſum convertere, cum læſiones robuſto & ſano homini tolerabiles, infirmo tantum lethales, homicidii excuſationem parere poſſint, veluti optimorum conſiliorum autor, BOHNIVS, *de relationibus vulnerum* p. 94. affirmat. Si plures in concurſu plurium aggreſſorum violentiæ illatæ ſunt, quid ſingula effecerit, qualis ex his nobile organon plus afflixerit, an una mortem fecerit, an omnes, magna cura atque ſolicitudine notetur atque deſcribatur. Quodſi enim in eſſentialibus ejusmodi corporis delicti momentis medicus defecit: *ſi vaſorum plenitudinem aut vacuitatem, in quæſtione mortis ex hæmorrhagia, haud vidit, ſi ventriculum cordis anteriorem, qui ſuffocatis ſanguine plenus eſt, haud inſpexit, ſi pulmonum experimentum ſufficienter haud inſtituit, ſi thoracem, per quem gladius ad abdomen deſcenderat, non aperuit*, totum ſane inquiſitionis negotium corruit, nec poteſt jactura reſarciri, male ſecto funere, quæ tamen ſuppleri poteſt, ſi intermiſſa penitus ſectio fuit, factum autem recens eſt, tunc enim exhumanda haud raro, eademque, niſi putredo nimium invaluit, ſero ſecantibus tradenda ſunt cadavera.

§. 34.

Læſiones quædam, quas mors conſecuta eſt, ut intelligatur, an illæ cauſa mortis proxima dici poſſint, ſingularem providentiam, ſecando, poſtulant: Calvariæ tectum ſerra ſapienter auferendum & ſuſpenſis agendum eſt manibus, ne, ſi inſtrumenta in ſinum aliquem duræ matris inci-

dunt, dubium oriatur, an ſanguis ſub calva repertus ſit ille, qui viventi, an ille, qui inter ſecandum effluxit. Deberent ſeſe juvenes, dum in academiis vivunt, ſecando plus exercere, quam nunc fieri ſolet, ut diſcant evitare vaſa majora venoſa, quæ ſecta, etiam in funere ſanguinem fundunt, quando coram judice cava aperiuntur: Facile vulnerantur venæ ſubclaviæ, ubi ſternum ſolvitur, & ſanguis ex illis fluens ſecantes vexat efficitque, ut actus hic ſolennis nitide exerceri, omnique dubio effectuum mortiferorum viſio carere propterea haud poſſit. Qua parte vulnus cavitatem ſubiit, ſecandum eſt neutiquam, neque ſtylus, explorandæ vulnerum profunditatis cauſa, multo minus gladius, ad explorandam ejus cum vulneribus convenientiam, demergendi ſunt. Ipſius vulneris externam amplitudinem, latitudinem, longitudinem emetiantur ſecantes, menſuram ad uncias definiant; non inconſultum eſt, vulneris pictam effigiem ad acta referre; viſcera, vaſa diſſecta vel compuncta deſcribant ſecantes, & ſanguinis in cavo reperti copiam definiant; In his omnibus medicum haud decet nimium largiri chirurgo, ſed ipſe, ſi artem callet, ſcalpellum provide ducat.

§. 35.

Altera officii medici forenſis, circa evolvendam facti aut eventus mortiferi certitudinem verſantis, pars eſt, viſorum atque aliis etiam ſenſibus perceptorum expoſitio; hæc vel oretenus vel ſcriptione perficitur. Medicus enim omnes circumſtantias a ſe compertas præſente judice, veluti vult

CARPZO-

CARPZOVIVS *Prax. Crim. Part. I. Qu. XXVI.* doceat atque demonſtret, verbisque rem clare exponentibus & ab Actuario conſcribendis exprimat, quod enim ſcriptum coram judicio eſt, unica inquiſitionis, quantum ad lethalitatem, norma erit, nec licebit medico circumſtantias novas quasdam & eſſentiales memoria repetitas ſcripto inſerere, atque ex his concludere. Verum, quod ipſum judicium medicum de viſo atque comperto attinet, poterit illud in ſuſpenſo manere, utpote quod matura deliberatione indiget, & medicus, ſe ſententiam ſuam in ſcripto expoſiturum eſſe, profitebitur: Caveat, ait BOHNIVS, optimarum præceptionum in medicina forenſi autor, *ne in tradenda relatione ſit obſcurus, ac intellectu difficilis ullo modo reperiatur, neque ambiguis verbis & phraſeologia, quæ iniqua interpretatione veritatem ſupprimat, utatur. Terminis equidem technicis loquatur, ſed interpoſita aliqua paraphraſi.* Si ardua illi res videtur, ad Facultatis cujusdam Medicæ ſententiam provocare, ſuamque ſuſpendere poterit, aut, ſi de eventu læſionis decreturus eſt, rationes, cur illi ita ſentiendum ſit, luculenter adjiciat.

§. 36.

Denique ſunt haud paucæ, quæ factum illuſtrare, ejusque eventum vel neceſſarium vel limitatum exponere poſſunt, circumſtantiæ extrajudiciales, medicumque ſecantem nihil attinentes, omnes ſcilicet illæ, quæ vitam debilem afflicti hominis, ab illata illi violentia adusque ejus mortem, con-

cernunt; an ſubito defunctus ſit, an medicus ac chirurgus ſero acceſſerint, qualia ſymptomata, inter quæ moriebatur, fuerint? locus, ubi poſt læſionem vulneratus procidebat, examinandus; Sæpe enim excuſationem afferunt cauſarum patroni, dubiumque eſſe aſſerunt, an ictu, an lapſu ruptura *lienis*, *hepatis* in ſectione viſa, acciderit; circumſpicitur adeoque, an durum ibi quoddam ſaxum vel palus eminens ſit, in quo offendere, labens, potuerit. Inſtrumentum lædens, licet in ipſo ſectionis actu illud examinare opportunum ſit, ſerius tamen ad acta referri, ad intelligendas ejus qualitates nocivas, poteſt. Medici autem & chirurgi, qui vulnus curaverunt, de ſymptomatibus a ſe viſis, de methodo medendi, qua uſi ſunt, de læſionum, quales viventi erant, conditionibus, utpote artis peritorum, hinc fide dignorum, etiam extrajudicialis valet ſignificatio, ſine qua de lethalitate vulnerum abſoluta vel limitata Facultates Medicæ, ſi eorum arbitrio opus eſt, judicare nequeunt: Sæpe etiam minima viſa circumſtantia rem tamen illuſtrat, adeoque etiam omnia, ſive ſuſpicionem & opinionem, ſive veritatem parere poſſint, momenta, ad factum pertinentia, ſedulo conquirantur: *Vas ligneum, cui ſuperſedebat mulier, cum pareret, ejusque contenta, maxime aqua & ſordes, ſi dicat, ſe alvum exoneraturam peperiſſe, inſpiciantur. Secundinæ, ſi adſunt, examinentur, poſſet enim gemellos peperiſſe, altero ſaltim*

tim reperto, quod ex placentæ forma intelligitur. Veſtes occiſi per quas transactus eſt gladius, & ſi quæ ſunt alia, haud negligantur.

CAP. II.

ARTICVLVS I.

De noxis mortis morbive cauſis in genere.

§. 1.

Poſtulatus a judice medicus, ſecundum artis ſuæ præcepta, effectus nocivos, alicui actui aut omiſſioni cuidam attributos, examinat, & cauſæ in ſuſpicionem adductæ vim cum illius ſequela ita comparat, ut judex, eventum hujus, illius tanquam cauſæ ſuæ proximæ ac immediatæ productum eſſe, intelligat, vel ut, inter delictum atque eventum aliam propiorem ac peregrinam cauſam intercedere, percipiat: Non autem tantum *læſiones factum* involventes cenſuram incurrunt, ſed *neglectus* etiam mediorum, quibus eventus cohiberi potuit, quandoque examini ſubjacet, cum ille non minus, quam ipſe actus, dolum aliquem involvere poſſit. Proinde *Noxas* generis loco nunc ponere ſatius viſum eſt, cum iſtius vocis ſignificatio ad omnem injuriam, ſive omittendo, ſive committendo illatam, excurrat: Vtriusque & *facti* & *omiſſi* conſequentia, aut in pernitie & deſtructione, ſeu morte, aut in corruptione & aliqua tantum inducta ad agendum ineptitudine ponitur: propterea, cum eventus ſua natura diſcrepantes ſub hoc, ampliſſimo ſa-

ne

ne, capite contineantur, de injuriis *mortem* vel *morbum* facientibus seorsim agendum est.

§. 2.

Quæcunque injuria externa mortis causa est, lethalis dicitur; Vt adeoque jure ita dici possit, necesse est, illi inesse vim destruendi corpus animatum, illiusque actiones ad vitam necessarias cohibendi, quo ille, qui injuriam fecit, mortem hac sua violentia induxisse, recte perhibeatur, utpote in qua quæstione sententiarum criminalium cardo vertitur. Potest autem causa applicata corpori ea illud afflixisse vehementia, ut noxæ abinde ortæ vel vitæ legem primariam, vel conditionem ac circumstantiam unam atque alteram earum, quæ ad vitam sunt necessariæ, & sine quibus illa superesse nequit, abstulerint. *Sic vitæ legem primariam turbant omnes noxæ, quæ efficiunt, ut fluxus sanguinis fiat incoërcibilis; sed conditionem aliquam ex multis ad leges vivendi necessariam aufert, detrimentum toti hepati, spleni, toti ventriculo, aut aliis partibus, quæ vitæ formam proxime non attinent, allatum.* Quamvis ergo injuria omnis eadem celeritate non occidat, sed *brevis* sæpe vel *longa* inter destructionem partium & mortem exinde consequentem mora intercedat, ista tamen temporis, intra quod causa lædens effectum suum edit, diversitas, nihil excusationis affert, ut, quæ lenta morte enecavit, causa mortis fuisse propterea dici haud debeat, sed omne noxium lethale est, quod aliqua sequela symptomatum continua homini mortem fecit inevitabi-

evitabilem, & hoc quidem illud eſt, quod in omni læſione, non illa tantum, quæ a vulnere facta fuit, ſed quacunque alia, *abſolute atque per ſe lethale* dicitur, cujus ſcilicet effectus lethifer nulla per naturam arte impediri poteſt, ἃ ἐξ ἀνάγκης καὶ διὰ παντὸς ἐπιφέρει θάνατον: *quæ ex neceſſitate & ſemper mortem afferunt* (n), veluti juxta CELSVM (o), *ſervari non poteſt, cui baſis cerebri, cui cor, cui ſtomachus, cui jecinoris portæ, cui ſpina medullæ percuſſa eſt, cuique aut pulmo medius, aut jejunum, aut tenuius inteſtinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati ſunt, cuiue circa fauces grandes venæ vel arteriæ præciſæ ſunt.*

§. 3.

Lethalitatis quædam menſura eſt: *ante omnia ſcire medicus debet*, CELSVS ait, *quæ inſanabilia ſint, quæ difficilem curationem habeant, quæ promptam.* Veluti ergo illud abſolute & per ſe lethale eſt, quod ita afflixit, ut reſtitutionem partis ad vitam abſolute neceſſariæ integram, vel humoris vitalis, qui effluxit, reſtaurationem fieri impoſſibile ſit, ita adſunt aliquando in homine afflicto circumſtantiæ quædam, ex ejus individuali textura fluentes, vel ab aliquo eventu pendentes, qui ex natura læſionis non provenit, ſecundum quas læſio aliqua nunc haud occidiſſe dicitur, quæ tamen ſecundum partium læſarum ſtructuram æſtimata, plerumque occidere ſolet; & hæ afflictiones, ſive vulnera ſint, ſive aliæ deſtructiones ſolidorum, aut corruptelæ humorum per

(n) HIPPOCR. *Coac. Præn.*
(o) De re medica L. V. c. 26.

per venena factæ, dicuntur ut plurimum lethales, *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ μάλιστα θανάσιμα, in plerisque exemplis, lethalia*, veluti hunc lethalitatis gradum HIPPOCRATES ſtabilivit, qui cæteroquin, *τὸ θανατῶδες, lethale, τὸ θανατωδέστερον, lethalius*, & *τὸ θανατωδέστατον*, aut *ſumme lethale*, tanquam totidem gradus neceſſitatis mortiferæ, paſſim poſuit, & exempli cauſa, vulnera vaſorum juguli *θανατώδεα*, ſed vulnera cerebri *θανατωδέστατα* & abſolute lethalia nominavit. Proinde non forte illud *ut plurimum lethale* eſt, quod difficilem curationem, ut CELSI voce utar, habet, quia difficilis curatio poſſibilitatem ſanitatis tamen recipit, & regulas artes ſupponit, juxta quas ſub certis quibusdam conditionibus mors impediri poteſt. *Sic vulnera inteſtinorum tenuium, licet ſumme periculoſa, curam tamen quandoque recipiunt, ſi vulnus amplum eſt, ut conſui poſſit, ſi poſſibile erat, vulnus dilatare & inteſtinum læſum ad oram vulneris externi adducere, inque illa glutinare.* Sed illud ut plurimum lethale & veteribus & recentibus dicitur, quod in ſe curam ab arte dependentem reſpuit, aliquando tamen curatum fuiſſe legitur, & quod, ſi legas, fidem artis peritorum excedit, ſique curatum eſt, felici eventui, ad hominis individualem corporis ſtructuram vel bonitatem virtutis vitalis, quæ in illo eminens fuit, vel ad caſum fortuitum referendo, adſcribitur. In ejusmodi curationibus rarioribus, quales obſervatores, AMBROSIVS PARAEVS, VIDVS VIDIVS aliique tradunt, ſemper

per aliquid eſt, quod legibus medendi & ſtructuræ corporum non ſatis reſpondet: *ut globulus ſclopetarius per abdomen transverſim actus haud occideret*, veluti eſt apud ALBERTVM *Tom. III. Caſ. CVI*, utque *vulneribus in ſubſtantiam cerebri adactis*, ſupervixerint illi, quos BOHNIVS *Tr. de renuntiationibus vulnerum* excitat. Habent vulnera, globulis ex ſclopeto miſſis facta, ſingulare illud, ut globulus ipſe transjectus, inque aliquo oſſe offendens, curvo itinere procedat, adeoque, qui ex tali vulnere convaleſcunt, habere potuerunt viſcera illæſa, quibus ad vitam opus eſt, proinde ab illorum curationibus ad poſſibilitatem curæ in alio caſu, ubi ſectio docuit deſtructa eſſe vitalia, haud valet concluſio. Illius, qui convaluit, viſcera nemo vidit, an ſimiliter, ac in præſenti caſu factum eſſe ſectio docet, transfoſſa ac transjecta fuerint. Illius, qui convaluit, ſubſtantia corticalis cerebri, vulnerata ac celeri ictu ablata forte, hæc contuſa eſt, & paritas quædam inter illas læſiones convaleſcentium & hanc defuncti, nunquam ita ſtabiliri poterit, ut ab illis ad hanc concludere, & proinde, ad rationes aggreſſoris homicidium referendum haud eſſe, argumentari poſſis. Proinde, quidquid *ut plurimum* lethale eſt, cujus curandi poſſibilitas ex regulis artis nulla eſſe intelligitur, quidquid, ſi in aliquo caſu legitur aut curatum fuiſſe narratur, individualem aliquam hominis ſervati conditionem,

vaſo-

vaſorum, *quæ quandoque ſitu variant*, ſingularem directionem ſupponit, illud omne perinde eſſe, *ac læſio abſolute & per ſe lethalis*, cenſetur, ſi ſequela effectus læſionis eſt continuus & ejus eventus in cauſam aliquam intercurrentem conjici haud poteſt.

§. 4.

Læſiones abſolute lethales, raro exemplo ſanatæ nullum homicidiis patrocinium afferunt. Illi, qui evaſit, utpote pinguiori, adeps claudere vulnus potuit, hic, mortuus, macilentus eſt; ille ſanguine plenior & juvenis hæmorrhagiam ſuperavit robore vitali, quæ huic, tenui homini & infirmo, lethaliter, uti ex vacuitate vaſorum intellectum eſt, evenit. Hoc eleganter deciſum apud CELSVM (p) legitur: *Quin etiam confert aliquid ætas & corpus; facilius ſaneſcit puer vel adoleſcens*, *quam ſenior*, *valens*, *quam infirmus*, *neque nimis tenis*, *neque nimis plenus*, *quam*, *ſi alterum ex his eſt*, *integri habitus*, *quam corrupti.* Quamvis ergo aliquis ex eadem læſione evadere potuit, victum tamen propterea haud eſt, hunc, penes quem omne auxilium conſuetum nihil profecit, ſimiliter evadere potuiſſe, adeoque vitæ jacturam ad aggreſſorem haud referri. Interea ſeveriores judicando medicos eſſe haud decet, videndumque illis eſt, an læſiones, quæ ut plu-

(p) De re medica Lib. V. c. 26.

plurimum occidunt, in caſu quæſtionis, omnino nihil habuerint, quo effici, ut ſervaretur afflictus, potuiſſet. Ex ſummo periculo, ex ipſa deſperatione, per magnum aliquod auxilium, quandoque eluctari licet. *Arteria carotis externa deligando curata, apud* ALBERTVM *luriſprud. med. p. 445.* legitur. Illuſtris HEISTERVS, *vulnus arteriæ cruralis periculoſiſſimum, Diſſertatione ſua, quam de hoc argumento Helmſtadii 1741. habuit*, ſanare docuit. Proinde videant cauſarum patroni, neque invidendum hoc delinquentibus fuerit, an aliquid extra actum læſionis inveniatur, in quod mortis eventus, conjici poſſit. Verum, cum illud, quod plerisque lethale eſt, præſumatur huic quoque, cujus viſcera graviter ſauciata viſa ſunt, lethaliter eveniſſe, maxime ſi eventus ſubito conſequitur, aut ſymptomatum continuata & indivulſa ſeries eſt, ſique in cura omiſſum factumque nihil eſt, quod propiore jure mortem feciſſe recte dicatur; ideoque τὸ utplurimum lethale, illius, quod *per ſe, ſimpliciter & abſolute lethale eſt*, conditionem ſequitur. *Conſultius foret*, ait BOHNIVS *de lethal. vuln. in renunciationibus diſtinctione hac, utpote per quam defenſoribus diſceptandi argumentum atque occaſio ſuggeritur, ſupersedere, atque ſolum modo, an vulnus per ſe, an per accidens mortale ſit, diſquirere atque enunciare.*

§. 5.

Læſiones, mortis quæ abinde conſequitur, cauſæ ſemper haud ſunt immediatæ atque proximæ,

ſed ſaltim occaſionales, afflictique homines *poſt* vulnera, neutiquam autem *propter* illa ſæpe moriuntur, ut, veluti, *ſi ex plagis ſervus mortuus eſſet, neque id medici inſcitia aut domini negligentia accidiſſet, recte de injuria occiſo agitur*; Ita, *ſi vulneratus fuerit ſervus non mortifere, negligentia autem perierit, de vulnerato actio ſit, non de occiſo*, PAVLVS L. 30. §. 4. ff. *ad Leg. aquil.* ſiquidem & divini legislatoris, ineptitudinem inſtrumenti, quo quis occiſus eſt, pro lethalitatis limite ponentis, ſententia, humanis legibus, gradus lethalitatum ſtabilientibus, favet. Quando enim oraculum divinum, *Numer. cap. 34. v. 16. 19.* de homicidis ex propoſito necantibus agit, illisque mortem decernit, *Targum* vertente IOH. FRIDERICO BREITHAVPTIO diſertis verbis, *lapidem vel lignum, quo quis mori poſſit*, ita intelligi, ut conditio lethalitatis aliqua ponatur, explicat. Adeoque nihil habent, quod metuant, medici, ſi, ſententias ſuper læſionum eventibus mortiferis ferentes, quam primum cauſam mortis ex actu aut omiſſione lædentis haud fluxiſſe, ſed peregre acceſſiſſe intellexerint, ſi læſionis potentiam talem, quæ occidere potuerit, haud adeſſe perceperint, in mitiorem, veluti in cauſa ſanguinis fieri par eſt, ſententiam deflexerint, cum ſatius ſit, divino vindici arbitrium relinquere, quam novi ſanguinis effundendi occaſionem, ſuo rigoroſiore effato, ſententionantibus ſuppeditare.

§. 6.

§. 6.

Cum ergo non niſi duæ ſint mortis ex læſione aliqua provenientis rationes, quarum *altera* nexum perpetuum inter læſionem & mortem ſiſtit, omnesque cauſas intervenientes excludit, & vulnus *per ſe, abſolute & neceſſario atque ut plurimum lethale* conſtituit, *altera* autem nexum immediatum inter mortem & vulnus aufert, & ejus ſequelam alii peregrinæ cauſæ attribuit, atque vulnera, aliasque læſiones vel omiſſiones per accidens mortem intuliſſe, decernit; Ideoque de ſingulis his lethalitatum modis, deque earum ſignis, ex vivo æque ac mortuo, ejusque funere per ſectionis legalis exquiſitiſſimæ virtutem, deſumendis, ſingulariter agendum eſt. Quod lethalitatem vulnerum ac læſionum abſolutam attinet, oportet illam conſequi, ſi, generalius loquendo, conditiones ad vitam neceſſariæ ablatæ ſunt, quas ars reſtituere nequit; Adeoque mortem, neceſſaria aliqua & inevitabili ſequela, intulerunt læſiones,

1) Quæ ſanguinis fluxum faciunt incoërcibilem, ſive arteria ex majoribus, ſive vena majoris exempli deſtructa fuerit, & talis, quæ deligari haud potuit, cum ſit profunde ſita, ad quam applicari auxilia haud poſſint, vel, etiamſi inducta ligatura coërceri ſanguinis lethalis effluxus potuerit, quæ ante adventum medici & chirurgi ſanguinem dimiſit, ut, etiamſi omnis ſanguis ex corpore haud effluxerit, tanta tamen ejus jactura facta ſit, quæ aſphyxiam, ſeu motus cor-

dis atque arteriarum defectionem, neceſſario infert, ſiquidem vitæ vera forma in ſanguinis ſufficiente per corpus atque viſcera motu conſiſtit. Eo autem ſemper major eſt lethalitatis certitudo, quo propiora ad cor vaſa deſtructa fuerint.

2) Quæ reſpirationis uſum ſubito auferunt, aut eam ita debilitant, ut actionem pulmonum vitalem ſenſim deficere oporteat; propterea læſiones diaphragmatis, pulmonum, tota eorum ſubſtantia acceptæ, & omnia violenta, quæ aëris iter ad pulmones auferre potuerunt, neceſſitatem moriendi faciunt.

3) Quæ ſpirituum iter ad totum hominem, potiores ejus partes, aut aliquam nobiliorem, aut ad totos articulos intercipiunt, uti ſunt *cerebri*, *cerebelli*, *medullæ ſpinalis*, *magnorumque nervorum afflictiones*.

4) Quæ viſcus aliquod, ad vitam equidem proxime haud faciens, ad illam tamen abſolute neceſſarium, tota ſua ſubſtantia deſtruunt, uti *ventriculi* aut *inteſtinorum* eroſiones veneno factæ.

5) Quæ effluxum rei ſtercoreæ, putreſcentis, aut magnum ſanguinis vel ſeri confluxum in cava excitant, *ſive ſica urinaria*, *vel bilifera*, *vel inteſtinum quodvis*, quod in vulnus externum adduci nequit, adeoque ſtercus in abdomen demittit, deſtruuntur.

6) Quæ

6) Quæ viam chyli ex inteſtinis ad ſanguinem præſcindunt, veluti BOHNIVS vulnus viarum lactearum ſecundi generis lethale obſervavit, licet mors lenta exinde conſequatur; ſic ductus thoracici læſio abſolute lethalis foret, ſi poſſibile eſſet, illam ſine aortæ vulnere concipi.

7) Quæ totum articulum amputationi ineptum, tota ſua ſubſtantia deſtruunt, veluti fracturæ colliſæ femoris.

8) Quæ magnam ſanguinis effuſionem, aut ecchymoſin, in celluloſis viſcerum contextibus, & inter muſculos magnos ac plures excitant, ut gangrænam, cum ſanguis reduci haud poſſit, exinde conſequi oporteat. Sic fuſtigationem ad thoracem & abdomen, minutis licet bacillis factam, reperto intra pulmonum cellulas, paſſimque inter muſculos thoracis ac abdominis, grumoſo ſanguine, Facultas Medica Lipſienſis lethalem pronuntiavit.

9) Quæ, in viſceribus, vaſorum rupturam, aut ecchymoſin haud diſcutiendam, excitant, uti ſi a colapho, complicaris in pugnum digitis, percuſſum caput eſt, aut pugno afflicta præcordia ſunt, lethales effectus edere poſſunt, ſi eorum ſigna ſectio legalis detegit, maxime, ſi debiles ex morbo vel ætate tale quid paſſi ſunt.

10) Quæ diatheſin putridam ſanguini inferunt, veluti vulnera cæteroquin haud magna, inſtrumentis venenatis facta, omnesque violentiæ, veneno incoërcibili illatæ.

§. 7.

Mortis ſubitanea ſequela poſt læſionem aliquam, aut aliquo tempore poſt eam contingens, ſecurum ubique de ejus lethalitate judicium haud efficit, omnium minime, ſi violentia effectui haud reſpondet, inque funeris ſectione mutatio nulla obſervatur, quæ mortis formam, ejusque cum illata injuria nexum, ſignificet. Dantur enim repentina mortis genera, quæ apoplexiam ſenum, vel aliam ab ira excitatam, pro cauſa agnoſcunt. Non tamen excuſandæ ſunt læſiones ad ſenſum parvæ, ſi illæ magnis effectibus producendis pares ſunt, earum ſequela mortifera immediata eſt, & ſectio legalis mutationem aliquam factam eſſe indicat, quæ mortis cauſam proximam ſiſtit. *Sic vulnus ſcroti, confoſſis una inteſtinis hernia concluſis lethalis foret; Vulnus per orbitam in cerebrum nec magnum, nec profundum, vitam abſtuliſſet; Vulnus, quod lineam tendineam muſculorum abdominis pupugit, convulſo diaphragmate, ſuffocando occideret; atque ita plures læſiones, litet minimæ, quales fiunt a globulis minimis pulvere pyrio explosis, abſolutam lethalitatem afferre poſſent.*

§. 8.

Quamvis autem prognoſis, de eventibus mortiferis magnarum læſionum, certa ſiſti ubique nequeat,

queat, ſecurius tamen famæ medentium imo cauſæ criminali conducibilius eſſe, magnas noxas parvi haud facere, CELSVS judicat (q). *Eſt enim prudentis hominis, primum, eum, qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus, ut occiſi, quem ſors ipſius peremit; Deinde ubi gravis metus, ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe, ne, ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur. Sed, ut hæc prudenti viro conveniunt, ſic rurſus hiſtrionis eſt, parvam rem attollere, quo plus præſtitiſſe videatur.* Et plurimum quidem refert, de futuro læſionis exitu conſtare judici, cum decreta varia, ab iſto erga futurum probabilem eventum judicio, dependeant. Adeoque in deſperato res eſt, ſi vulnus erga partem vitalem dirigitur, ſanguis ſiſti nequit, in profundo vas ſanguineum diſciſſum eſt, cui medicina admoveri haud poſſit; ſi animus deficit; ſi ſupervenit convulſio; ſi ipſa pars læſa ex illarum ordine eſt, quarum afflictiones vel per ſe, vel ut plurimum lethales dici ſolent, licet formulis, juxta quas variorum viſcerum afflictiones mortiferæ dicuntur, addicendus animus ubique haud ſit, veluti optime a BOHNIO *de officio medici cap. V. p. 60.* contra veteres, *inteſtinorum, diaphragmatis, veſicæ* vulnera indiſtincte pro per ſe lethalibus declarantes, ingenioſe monetur. Parum etiam fiduciæ facere poteſt medentibus ſumma virium in afflictis proſtratio

(q) De re med. Lib. V. 26.

atque debilitas, ex magno ſanguinis fluxu, ex morbis prægreſſis & infirma ætate, naſcens, atque haud parum ſæpe metuendum eſt, ſi, propter malum corporis habitum, vulnera aliæque læſiones ſordeſcunt, ut propterea, quoniam vis vitæ haud ſufficit, & putrilago ob turpitudinem ſuccorum fit incoërcibilis, mors haud raro per neceſſitatem, reſpectu hujus individui, conſequatur, etiamſi læſio penes hominem alium fortem ac optimis ſuccis præditum, immedicabilis haud fuiſſet; id quod quando ita evenit, ut neceſſitas moriendi non ex vulnere, ſed ab ægri ætate, morbo, aliisque circumſtantiis individualibus, conſecuta ſit, legum interpretibus relictum eſt, diſpicere, quid, ſi propter inſeparabiles ab homine afflicto conditiones vulnus cæteroquin per accidens lethale, nunc abſolute mortiferum evaſit, ſentire velint. Quibus pulmones ulceroſi ſunt ac pleuræ accreſcunt, gravius læduntur illis, quibus pulmo ſincerus eſt. Excuſat aggreſſorem, qui pugno, abſceſſum pulmonum rumpens, occiderat, BOHNIVS *Relat. Vulner.* 104. Omnis morbus ſuperveniens afflictionis effectum auget. Qui ebrium, cui ex natura ebrietatis vaſa cerebri ſanguine tument, levius etiam tundit, mortem tamen neceſſitate aliqua, ad hunc hominem referenda, intuliſſe dicitur, qui violentiam hanc, ſobrius, innoxie tuliſſet. Vulnera quoque & venenum plenus ventriculus innocentius fert, quam ſi vacuus fuerit. Ejusmodi circumſtantiarum & effectuum mortiferorum ſecundum

cundum illas diverſitas, an aggreſſoribus patrocinium ac validam excuſationem afferre poſſit, videant illi, qui juris ejusmodi nodos extricare didicerunt.

§. 9.

Ne autem aggreſſor, ubi mors poſt injuriam ab illo illatam conſecuta eſt, plus ſolvere teneatur, quam debet, hinc rigoroſius ſentiant decretorum arbitri, atque ad ſupplicium forſitan rapiatur innocens, qui occaſionalem ſaltim mortis cauſam ſubminiſtravit, cui deinde aliæ peregrinæ, ex natura læſionis neutiquam fluentes, adeoque ad rationes delinquentis nullatenus referendæ, acceſſerint; proinde exquiſita opus eſt indagine, ut, an ſymptomata illa, quorum frequentia & gravitas pernitiem attulit, ex læſione tanquam cauſa ſua fluxerint, fuerintque inevitabilia, penitus perſpiciatur. Συμπτώματα enim *νοσήματος ἔκγονα οἰκεῖα καὶ ἴδια* (r), *quæ ex morbo nata ſunt, illi propria ac domeſtica*, ad delinquentis crimen pertinent, verum *τὰ μήτ' ἴδια, μήτ' οἰκεῖα, συμπίπτοντα κατὰ τινὰ τύχην* (s) *quæ nec propria, nec domeſtica ſunt, ſed aliquo caſu acceſſerunt*, læſionis autori tribui nequeunt, non enim aliorum, ſed ſua ſaltim delicta luere delinquens tenetur. Adeoque, quid ex natura illatæ injuriæ neceſſario evenerit, quid ſaltim ſupervenerit, ex hiſtoria eorum, quæ viventi adhuc, nunc defuncto, acciderant, referentibus medico, chirurgo,

(r) GALEN. de cauſis ſymptomatum.
(s) GALEN. method. med. Libr. I.

urgo, vel adſtantibus, percipitur. Illi effectus omnes mortiferi læſioni debentur, qui ex actione partis læſæ impedita fluunt, & qui reſpectu virium, ætatis, propriam humorum miſcelam, ſeu idioſyncraſiam, aliasque conditiones ab homine læſo inſeparabiles, nulla arte impediri potuerunt. Quidquid autem ex cauſa peregrina, quæ homini læſo propria, domeſtica, atque ab illo inſeparabilis haud eſt, oritur, adeoque conſuetum afflictionis ſymptoma dici nequit, ſi affectus exinde moritur, per accidens interemiſſe dicitur. Quid, *pleuritis ad vulnus cruris apud* BOHNIVM *de lethalitate vulnerum p. 54; quid purpura alba ad vulnus hepatis haud inſanabile viſum, apud* ALBERTVM Tom. I. c. 61. Quamvis enim purpuræ relatio ad vulnera putredini obnoxia quædam eſſe poſſit, neutiquam tamen vel illa, vel aliud ſymptoma, quod ex conſuetorum ordine haud eſt, inquiſitum gravare poteſt, favent enim delinquenti omnes eventus, qui abludunt a regula, & pro reo, docente BOHNIO de *offic. med. p. 624.* pronuntiandum eſt in ambiguis.

§. 10.

Quæ accidunt, adeoque læſionem κατὰ τὸ συμβεβηκὸς lethalem reddere poſſunt, vel *caſu*, vel *errore ægroti atque medentium* evenire ſolent. Caſus aliquis eſſe poteſt, ipſi læſioni contemporaneus, quo abſente, afflictio lethalis haud fuerat: *Poſt vulnus aliamve læſionem neceſſarium afferri haud potuit auxilium*, chirurgus vel medicus longius abeſt, interea, dum accedunt, ſanguinis

lethalis

lethalis facta eſt effuſio, haud incoërcibilis, ſi adfuiſſent remedia, uti, ſi vulnus *venam jugularem externam, vel arteriam temporalem, vel aliam quamvis ex illis, quæ acu filoque deligari poſſunt*, diviſiſſet. An autem, qui in deſerto loco vulneravit, & vulneratum ſine auxilio reliquit, ſi defectu opis allatæ afflictus interit, excuſandus ſit, meum nunc non eſt diſpicere. Alii caſus, impræviſi nec cohibendi, læſionibus varia ratione ſupervenire poſſint: *Incendium in domo oritur, ſine circumſpectione transfertur afflictus in alium locum, turbatur deligatio, ex terrore accedit ecchymoſis, mors conſequitur.* Deinde ex errore & peccato contra leges, ſecundum quas convaleſcere afflictus debebat, oriri poſſunt effectus mortiferi, niſi peccatum fuiſſet, haud conſecuturi, idque vel ex parte ægroti, vel medentium, vel illorum, qui ægroto famulantur. Aeger ſui interitus cauſa fit, ſi morbum ægre fert, juſſis haud obſequitur, intemperanter vivit, ſi vulnus ventriculi, quod glutinari jam inceperat, larga potione rupit, ſi deligationem corporis jactitatione ſolvit, cum mentis ſuæ compos fuerit, ſeque continere potuerit, nam quod illos attinet, qui, ob delirium ex vulneris natura conſequens, coërceri nequeunt, poſſent equidem omnes illi actus ægroti, quibus curatio turbata fuit, ad delicti ſequelas inſeparabiles referri, verum, quia non conſtat, an moroſitate, an delirio hoc ita factum ſit, quia chirurgi, vel ejus famulorum, qui ægrum cuſtodire debebant, negle-

ctu

ctu hoc evenit, hinc in mitiorem ſatius eſt declinare ſententiam. *Puella, quæ vulnus inter aſperæ arteriæ anulos exceperat, curari potuiſſet, niſi ſua inter delirium inquietudine vulnus rupiſſet*, per accidens tamen lethalis, ob neglectum cuſtodis, læſio fuiſſe viſa eſt.

§. II.

Effectus mortifer deſinit ad delinquentis rationes referri, quam primum, afflictum negligentius curatum fuiſſe, non fortaſſe conſueta illa defenſorum criminatione, ſed maturo judicio, ex ambitu totius methodi medendi deſumpto, intelligitur. Nam ad examen ſeverius omnino nunc, cum de vita tertii agitur, quam alibi, *quando male medicatus quis eſſe dicitur*, actiones medentium revocantur, quos adeoque in magnis læſionibus, aliquod vitæ periculum involuentibus, ſecundum artis leges ita agere oportet, ne quid deſideretur eorum, quæ fieri oportebat, ut læſus evaderet. Iure omnino meritoque in medentes delictum ruit, quodſi illi artem, quam profitentur, haud didicerunt, nullaque illam faciendi immunitate gaudent, nam ille erraſſe dicitur, qui in facto verſatur illicito. Illi etiam, qui artis ſuæ gnari eſſe præſumuntur, rigoroſius aliquando examen ſubeunt, an omiſſum aliquid ſit, quod ſervandi ægroti cauſa fieri decebat, aut factum aliquid, præter regulam, fuerit, quod morbum gravare potuit. Adeoque deſcriptio eorum, quæ peracta a medentibus fuerunt, actis inſerenda eſt quam exquiſitiſſima, ut

excu-

excuſandi locus haud ſit, pateatque, effectus mortiferos impediri non potuiſſe. Poſſet nimiæ temeritatis argui chirurgus, ſi dilatandi vulneris cauſa tendines diſſecuit, inflammationem auxit, incidendo arteriam, aut vas ex majoribus aliud tetigiſſe, dicitur, poſſet etiam juſto videri fuiſſe timidior, ſi thoracem, educendi puris vel ſanguinis cauſa, haud perfodit, fracta vel depreſſa calvæ oſſa, ac ſanguinem ſub illis effuſum, admoto trepano, haud curavit, nec articulum, qui gangræna tentatus eſt, amputavit. Has objectiones ubi medentes diluerunt, & poſtquam omni providentia effici nihil, quo æger ſervaretur, potuit, eventum mortiferum a ſe ſuoque actu removere, inque cauſam aliquam intervenientem conjicere, delinquens haud poterit.

§. 12.

Excuſationem aliquam facto mortifero affert ſymptomatum abſentia, quæ cæteroquin læſioni alicui lethali adeſſe ſolent. Evenit hoc maxime in læſionibus capitis, quæ ſuam occultare quandoque ſolent malitiam; Fallax ſane, uti in magnis morbis aliis, ita in periculoſis læſionibus eſt euphoriæ, aut in ſtatum meliorem converſionis, ſpecies. Λαθραίως τελευτῶσι *latenter & veluti inſidioſe pereunt*, veluti eſt apud HIPPOCRATEM (t); μηδὲν ἔχειν δοκῶσι κακὸν ὡς ἐν ἀκινδύνῳ κατεστῶτες, exponente GALENO (u), *nihil videntur habere mali, veluti extra periculum conſtituti*.

(t) Coac. Prænot.
(u) Comment. ad hunc locum.

tuti. Occultavit pinguedo vasis majoris vulnus, & æger extra periculum esse visus est, cedit pinguedo, nova oritur hæmorrhagia incoërcibilis, & mors subsequitur, vel ex tenui rima fissa calvæ, quam ῥωγμὴν græci appellant, pededentim paulatimque sanguis sub calva colligitur, ipsa autem fissura per signa intelligi, & ejus effectus mortifer impediri haud potuit, moritur æger derepente, & sensim stupore oppressus, concidit. Caveant adeoque medentes, ne mitius de eventu læsionum, ad partes vitales proxime accedentium, sentiant, ut ne, si deinde mors sero consequitur, sicut levius senserunt, ita etiam leviter feciſſe, mortisque causam suggessisse, videantur.

§ 13.

Piæ leges, quæ sanguini humano ubique favent, temporis quosdam voluerunt esse limites, ultra quos delinquens eventus mortiferi causa dici haud debeat, ut, qui sero mortuus a vulnere est, sua culpa aut symptomatibus aliunde ortis, periisse dicatur; quam normam, qua post certum dierum numerum aggressor mortis causa fuisse haud dicitur, veluti principium juris consideratam, delinquentibus haud invidemus, ut possint ex vivacitate afflicti, & ex diuturna ejus contra læsionis effectum mortiferum resistentia, aliquod malæ causæ patrocinium lucrari. Sed morborum exitus ubique diebus ac temporibus addictus haud est; Lethali vulnere obiisse præsumuntur, qui intra biduum aut triduum decesserunt, alii hunc lethalitatis terminum ad octiduum, alii ad decimum

mum usque tertium diem extendunt, alii, ſecundum legem Longobardorum, ad annum usque, delicti mortiferi eventu aggreſſorem teneri, autumant, ſi ſcilicet per integrum hoc intervallum, ſymptomata indies ingraveſcunt, & ex læſionis natura, tanquam cauſa ſua, proveniunt (x). Hi quidem ita recte ſentiunt; Sed illi, qui dies numerant, effugium homicidis ſuppeditant, male intellecta HIPPOCRATIS ſententia. Ille enim (y), quando eadem, quæ in febribus eveniunt, etiam vulneribus capitis evenire aſſerit, febres tantum ſymptomaticas ſuis diebus criticis judicari vult. Adeoque ubi deceſſerunt dies ſeptimus decimusque quartus, periculum quidem, quantum ejus ex febre eſt, ceſſat, ſed multa ſunt alia, eademque graviſſima, quæ ex læſione, etiamſi febris vulneris comes deſiit, ſupereſſe poſſunt ſymptomata. *Ex vulnere pulmonum ſupererit eorum ulcus, ſero occiſurum, ex læſa corticali cerebri ſubſtantia ſubito haud lethifera, ulcus lente ad medullarem ibit, & ſero occidet* (z). Quodſi ergo ſymptomata a læſione ad mortem usque continuo filo duraverunt, quocunque tempore moriantur vulnerati, ad intelligendos læſionis effectus mortiferos, ſectioni legali transmittendi ſunt. Quo longius autem ab accepta affliction eventus lethalis diſtat.

(x) BOHNIVS de deponendi ratione p. 63.
(y) De vulneribus capitis Libro.
(z) ABRAH. VATERVS de vulnere cerebri ſclopetario ſeptima hebdomade abſolute lethali. Vitemb. 1722. ALBERTI Iurispr. med. Tom. I. Caſ. 22.

ſtat, eo plura defenſionis momenta, efficacia, etiamſi minima fuerint, delinquens lucrabitur, ſiquidem in caſu dubio, pro ſanguine humano favor judicis ſemper militat.

§. 14.

Cum plurimum interſit judici, ſcire, an, qui læſus eſt, vitæ periculo ſit vacuus, an de vita periclitetur, ergo medentes ſuam formant prognoſin, & judicium inſtruunt, vel, plus fiduciæ quam metus ſubeſſe, vel, ægrum extra vitæ periculum haud poni, declarantes. Tamdiu in ancipiti verſatur morbus, quamdiu *ῥοπὴν ἴσην ἔχει κὴ πρὸς ὄλεθρον καὶ πρὸς σωτηρίαν*, *æqualiter & ad interitum & ad ſalutem pendet* (a), ſed confidentius de convaleſcendi ſpe pronuntiat medicus, ſi *ἀεὶ πρὸς σωτηρίαν ἑέπειν*, *plus ad ſalutem, quam ad interitum ſtatum ægroti vergere*, percipit, in qua eventus melioris prædictione, ne falſus ſit, fundamentum enunciationis in mutatione læſionis laudabili ponat: Infidelis eſt ſubitanea, cui vulneris natura contradicit, in melius converſio, *Σωζόμενος ἅπαντα διέξεισι τῆς νόσε τὰς καθ' ὅλε καιρὰς, ἀρχὴν, ἀνάβασιν, ἀκμὴν καὶ παρακμὴν*, *qui ſuperfuturus eſt, omnia morbi communia transgreſſus eſt tempora, initium, augmentum, ſtatum, decrementum* (b). Status melioris ſignum eſt, ſi humores extra vaſa fuſi diſſipantur, vel in bonum pus convertuntur, quod *coqui* dicitur, ut, ſi illud, naturæ excellente robore ſubito fiat, ſubito etiam periculo exceſſurum eſſe ægrotantem, indicetur.

(a) Autor definitionum GALENI.
(b) GALENVS de criſibus Libr. 3.

dicetur. Τὸ μὲν τῆς πέψεως εὐθὺς ἐν ἀρχῇ φαινόμενον ἐν τάχει σωθήσεθαι τὸν ἄνθρωπον δηλοῖ. *Si coctio cito apparet, cito ad ſanitatem rediturum hominem eſſe, indicat* (c). Vulnera ſpeciatim quod attinet, optimum pus in illis comparens, ſufficiens vitæ robur & ſalutis fiduciam promittit: τὰ ἕλκεα ἢν μὲν ἀνακαθαίρεται πύῳ λευκῷ, ταχείην θεραπείην δηλοῖ, ἐὰν δὲ μεταβάλλει εἰς τὰς ἰχῶρας, κακοήθη γίνεται: *Vulnera, ſi purgantur pure albo, celerem curationem ſignificant, ſi autem in tenues ſuccos, quos ichoras appellant, transeunt, maligna fiunt.* Sed vulnera magna, quæ cava ſubeunt ſuſpecta diu manent, cum, externo ore clauſo, pus intus eſſe poſſit, ſeram mortem allaturum, hinc evaſiſſe demum periculo ægrotus dicitur, ſi actio partis læſæ redit, illiusque conſtantia ex organi robore & ejus cum ſana parte, ſi cicatricem excipias, ſimilitudine, percipitur; Tunc uſus fori hoc ſecum affert, recuperatæ ſanitatis teſtimonium judici, concepta hunc in finem ſcriptione, a medentibus tradendum eſſe.

§. 15.

Etiamſi autem vita afflictis manet, ſit tamen, quo illi ad priſtinam, qua ante illatam ſibi violentiam fruebantur, integritatem ſæpe haud revertantur, adeoque jacturæ & læſionis ſibi illatæ compenſationem quando poſtulant, ad medicos

(c) GALEN. de Criſib. Libr. I.

dicos, quousque aliquis corruptus sit, ut artem vel disciplinam aliquam discere, vel ante exercitatam continuare nequeat, quæstio venit. Horum est, dispicere, an ex læsione, nec potius ex mala aliqua medicatione, organi læsi labes orta sit. Cicatrix ex vulnere faciei illata, manens, maxime si turpis est, quæstionem in foro movet haud minimam, veluti, si cartilaginea nasi pars, vel auricula abscinditur, aut labium dissecatur, nam inhonesta hæc sunt vulnera: veluti legimus apud VIRGILIVM (d);

populataque tempora, raptis
Auribus & truncas inhoneſto vulnere nares.

Damnosio romnino reliquis facici cicatrix est, nam occultari nequit. Etiamsi enim hac deformitate nulla agendi potentia læsa sit, tanta tamen est formæ humanæ, quæ in facie elucescit, dignitas, ut illa, si corrupta est, suum vindicem merito postulet, maxime, si fœmella fuerit, formam pro dote gerens. Licet forma hominem non faciat, sed ornet, est tamen in illa aliquid vere divini, quo ablato, tota hominis existimatio & amicitiam sibi conciliandi potentia, tota adeoque jus fortuna, dejicitur. Κάλλος μόνον, ait PLATO, ταύτην ἔχε μοῖραν ὥς τε ἐκφανέστατον εἶναι καὶ ἐρασιμώτατον. *Pulchrituao sola illud habet, quo & conspicua maxime & maxime sit amabilis* (e).

§. 16.

(d) Aeneid. Libr. VI. v. 496. 97.
(e) In Phædro.

§. 16.

Cæteroquin a læſionibus haud rarò organorum ſupermanet inertia: *τὴν ὄψιν ἀμαυρῶνται ἐν τοῖσι τρώμασιν εἰς τὴν ὀφρὺν καὶ μικρὸν ἐπάνω, ὅσῳ δ' ἂν τὸ τρῶμα νεώτερον ἢ μάλιστα βλέπωσι, χρονιζομένης δὲ τῆς ἑλκῆς, ἀμαυροῦσθαι μᾶλλον συμπίπτει: Viſus obſcuratur in vulneribus ſupercilii & paulo altius, prout autem vulnus recentius eſt, plus vident, cicatrice vero diutius perſiſtente, plus exeæcantur* (f). Surditatem atque aphoniam, ſæpe epilepſiam, frequenter paralyſin poſt ſe relinquunt læſiones capitis, aliquando ſtuporem atque oblivionem; a mammis afflictis earum ſcirrhus, tandemque cancer; læſi pulmones vitam ex vulnere inducunt languidam: Etiamſi inteſtinorum vulnus in externi vulneris oram adductum glutinatumque eſt, manet tamen miſero indecora ac involuntaria fæcum alvinarum ex vulnere fluxio, nec facile quispiam eſt, qui ex magno vulnere viſceris aut organi, labem ſuperſtitem haud habeat. Quod artus attinet, illos maxime, quorum miniſterio victum lucrantur & opus faciunt cujusvis generis artifices, quod ſi ex læſione illorum impotentia agendi contracta eſt, vitæ ſuſtentatio ab illo, qui læſit, poſtulatur. *Quam aptas*, ait CICERO (g), *quam multarum artium miniſtras manus, natura homini dedit, digitorum contractio, propter molles commiſſuras & artus, ad fingendum, ad ſculpendum, ad ner-*

(f) HIPPOCR. in Coac. Præn.
(g) De Natura Deorum.

vorum eliciendos ſonos ac tibiarum, apta manus eſt admotione digitorum, atque hæc oblectationis, illa neceſſitatis, cultus dico agrorum & tectorum extructiones, tegumenta corporum vel texta vel ſuta, omnemque fabricam æris & ferri. Ex quo intelligitur, ad inventa animo, percepta ſenſibus, adhibitis opificum manibus, omnia nos conſecutos, ut tecti, ut veſtiti, ut ſalvi eſſe poſſemus, urbes, muros, domicilia, delubra haberemus. Et quod eruditos ſpectat, *licet illis*, exponente GALENO (h), *manuum beneficio cum* PLATONE, *cum* ARISTOTELE, *cum* HIPPOCRATE *loqui.* Quapropter illarum deſtructio, cum totam hominis fortunam diruat, quanto æſtimanda ſit pretio, definiri haud poteſt. Similiter artubus inferioribus ſua eſt dignitas, ut illorum infirmitas a læſione manens judicis imploret officium. Ne autem prætextui fides deſit, exquiſito examine opus eſt, quo conſtet, morbum ejusmodi a ſimulatione alienum eſſe; proinde ſedulo inſpicienda ſunt, quæ a læſione ſuperſunt, impedimenta motus, ſive illa a paralyſi aliqua artuum iſtorum, ſive ab articulorum coalitu, quem *Ancyloſin* græci appellant, ligamento illis in durum callum verſo, ſive a fracto femoris in ſummo ejus articulo oſſe, quod difficulter confervet, oriantur, ſive a tendine muſculi, qui conſui nequit, ſecto, procedant, ut, utrum quid neglectum in cura ſit, & plus meliusque, quam facta eſt, effici res haud potuerit, adeoque, an corruptela articuli effectus læſionis ſit imme-

(h) De uſu partium Libr. I.

immediatus & incurabilis, intelligatur, quo in casu, cum ille, qui noxam intulit, ſoſtrum quoque teneatur ſolvere, cenſura poſtulatæ pecuniæ, ejusque ad æquum rerum pretium exiſtimatio, ſimiliter ad medicos dimittitur, ipſum autem partium afflictarum ſtatutum unicuique pretium pro illa, quam quilibet exercet, diſciplina, proque damni magnitudine, legum interpretes æſtimant, licet verum jacturæ pretium ſtatui a nemine facile poſſit.

CAP. II.

De Læſionibus mortis cauſis.

ARTICVLVS II.

De Infanticidio.

§. I.

Multas, ait SENECA, *rerum natura mortis vias aperuit, & multis itineribus fata decurrunt, & hæc eſt miſerrima conditio humani generis, quod uno modo naſcimur, non uno morimur: lacus, gladius, præceps locus, venenum, naufragium, mille aliæ mortes miſerrimæ huic vitæ inſidiantur* (i), & patienter quidem hæc omnia, ſi caſus fert, toleranda ſunt, nec vindicem habent fortuitæ quæ homini, nullis inimicorum ma-

(i) Controv. Lib. 3. 16.

chinationibus, evenerunt, injuriæ. Aſt divinis humanisque legibus damnantur, qui vel læſerunt, ut occiderent, animo in pernitiem hominis intento, & inſtrumento uſi, cujus vis mortifera incognita eſſe haud poterat, vel vere occiderunt, ut, illos mortis autores fuiſſe, nec actui mortifero cauſam interveniſſe aliam, per ſigna luculenta evictum ſit. Hæ quæſtiones contra homicidam motæ *altera*, num cauſa & mortem inferendi modus ſit evidens, *altera* an libera ejus, qui fecit, voluntas ipſi actui adfuerit, omnibus homicidiorum inveſtigationibus atque contra percuſſorem actionibus, ſunt communes. Verum, ſi vel ipſum hominem variamque ejus ætatem ac ſexum intuearis, vel læſionum, quibus leges vitæ deſtruuntur, diverſitatem conſideres, ſecundum proprias unicuique actui mortifero circumſtantias, modos quoque veritatis deprehendendæ diſcrepare videbis inſigniter, tam penes illos, qui jus dicunt, quam penes hos, qui judices de noxarum effectibus in corpus animatum inſtruunt. Homo, vel, quo minus vivus naſci poſſit, impeditur, vel naſcens, mox offenſionibus mortiferis, mox neglectu curæ ſibi debitæ, vitæ finem invenit; deinde, per omnem ætatem illatis violentiis, maturius, quam moriendum per naturam erat, homines, extinguuntur. *Naſciturus* atque *naſcens*, ob ſingulares aliquas vitæ ſuæ propriorumque ſibi quorundam organorum conditiones, injurias patitur mortiferas prorſus ſingulares, propter quas etiam opus eſt, ut diverſo aliquo,

quo, quam qui in homicidiis reliquis occurrit, respectu, de causis mortis infantum deque vera ejus forma medici dispiciant.

§. 2.

Lato significatu, infantia nascituros quoque comprehendit, ideoque actus mortifer ille, qui funus in utero facit, vel qui, proximo a nativitate tempore, in vivum exercetur, dicitur infanticidium. Hoc est: Effectus omnis, tam vitæ leges communes, quam illas nascituro atque nascenti proprias, extinguens, sive ex *actu* aliquo, libera voluntate & instrumentis, cognitam occidendi vim habentibus, suscepto, sive ex *omissione* mediorum ad servandam partus vitam idoneorum, sit consecutus. Adeoque infanticidium, sensu forensi, illud saltim dicitur esse homicidium, quod in embryonēs atque recentissime natos committitur. Quamvis enim crimen illud causas cum reliquis homicidiis communes quasdam habeat, vulnus, fracturas, contusiones, suffocationem, est tamen in illo aliquid, quod discrepat a reliquis delictis cruentis, & singularem inquirendi atque factum eruendi modum postulat, perpetuus scilicet respectus ad vitam actam in utero, ipsamque matrem; Vbicunque de infanticidio proprie sic dicto disquiritur, semper simul eodemque tempore, de matre, de signis partus ab illa celebrati, de partus aptitudine ad vitam, de ejus vita vel morte paulo ante nativitatem, de illo vivo vel mortuo in lucem edito, quæstiones instituuntur, & singula-

ris quædam mortis cauſa in hoc homicidio evenit, quæ in reliquis haud invenitur, dum vulnus aliquod exiſtit, quo nemo, niſi qui naſcitur, affligi, atque lethalem ex illo ſanguinis effuſionem paſſus, interire poteſt, funiculi ſcilicet umbilicalis, ſine deligatione facta, diſſectio.

§. 3.

Actus mortifer, qui infantem, anteaquam ad virium ſuarum complementum intra matricem pervenire poteſt, vita privat, eſt omnis ille, quo effici poteſt, ut circulus ſanguinis inter fœtum atque matrem ſubſiſtens, avulſa de fundo uteri placenta, ſolvatur, adeoque immaturi fœtus, quem abortum vocant, præcox ſubſequatur expulſio, ſive abortio.

§. 4.

Duplici forma fœtus, omnibus dotibus ad vitam in aëre ducendam neceſſariis nondum ſufficienter auctus, ante legitimum nativitatis terminum, qui cum fine noni menſis lunaris ſeu tricenarii coincidit, dejicitur, ut vel ante immaturam hanc ſuam nativitatem in utero matris ſuæ moriatur, mortuusque ſimul ac abortivus emittatur, vel vivus equidem, aſt debilis, excludatur. Qui immaturi ſunt, vel ita naſcuntur, ut nulla illis adſit vitam prorogandi fiducia, aut eo usque in utero profecerunt, ut vitam continuare poſſint, hos *vitales* appellant. Qui mortui eduntur, ſi putredinis ſigna ſecum afferunt, ſuo morbo periiſſe cenſentur, atque adeo vindi-

vindicem haud poſtulant. Abortus autem, quorum tenera corpuſcula corrupta nondum ſunt, hac ſua integritate ſuſpicionem faciunt, ſibi violentam mortis cauſam eveniſſe, qualiscunque demum illa fuerit. Solent ſine vitæ ſignis naſci bimeſtres atque trimeſtres; Quadrimeſtres, ubi nati ſunt, parum movent articulos, & ſubito, cum aërem ferre nequeant, extinguntur. Quinquemeſtres, utpote quorum muſculi tale robur jam acquiſiverunt, ut ſuo motu in utero præſentiam ſuam matribus ſignificare poſſint, aliquamdiu ſuperſunt; non tamen unquam quisquam illorum, qui quinquemeſtres vel ſextimeſtres naſcuntur, enutriri atque adoleſcere potuit. Qui autem ſeptimi menſis finem attigerunt, veluti, jure civili, pars jam ſunt reipublicæ, ita, cum depelluntur & pereunt, criminis reos faciunt, qui abortum moviſſe dicuntur. Omnes qui abortum procurant, ſunt homicidæ, quum partus, quem abigunt, & vivat, & Reipublicæ membrum aliquando futurus ſit.

§. 5.

Adeoque cum ſerio hæc res in foro criminali agatur, de probabilitate, ſub qua unus alterque abortuum intra ultimos menſes graviditatis natus ſupervivere poſſet, diſpiciendum eſt. Eſt quædam Iurisprudentiæ analogia, & admirabilis principiorum, quibus illa ſcientia ſuperſtructa eſt, conſenſio, ut, quod ſemel ſtatu-

tum eſt, tantum in una, quantum in altera diſciplina valeat, & eſſe debeat perpetuum. Iam cum Iurisprudentia civilis doceat, ſeptimeſtres & octimeſtres vitales eſſe, & illorum haud paucos enutriri, experientia doceat, ideoque duo ſunt, quæ ex hoc principio fluunt conſectaria, *alterum* illud, quod verum homicidium in ſeptimeſtris commiſſum ſit, *alterum*, quod mater infanticidii talis culpam ſimul ferat, quia vitalis natus eſt fœtus & talis, qui vivere poſt nativitatem potuiſſet, ſi cura acceſſiſſet; Quodſi ergo interit, qui ſervari poterat, neglectus curæ debitæ, plus ipſo venefico, accuſabitur, maxime, ſi per inſpectionem medici conſtat, eum qui natus eſt, muſculos habere repletos, eum reſpiraſſe, & plenos aëre pulmones, juxta experimentum cum aqua inſtitutum, habuiſſe, adeoque robur vitale ſufficiens ad vitam continuandam illi adfuiſſe, ſi cultura acceſſiſſet & providentia. Sed poteſt excuſari fœmina & crimen ſoli venefico tribui exinde, quod, qui poculo abortivo depulſus eſt, ſeptimeſtris talis non ſit, uti in jure civili capitur, ſponte natura excluſus, nullaque mala arte depulſus, quem adeoque vitalem naſci poſſe leges præſumunt. Aſt, uti in jure criminali conſiderantur abortus ſeptimeſtres, tales ſunt, qui per varia medicamenta vexati atque debilitati impediti fuerunt, quo minus nativitatis terminum legitimum vivi & ſani attingerent, hinc propter vim ſibi factam ad vitam inepti naſcuntur. Medicamentorum enim,

quæ

quæ vim phtharticam, aut fœtus corruptivam habent, ea eſt vis, ut matrem extenuent atque debilitent, quo ipſo fieri aliter nequit, quam ut fœtus naſcatur ſumme debilis & fere exanimis, utpote cui ſuccus nutritius, debilitata per medicamentum matre, ſubductus eſt, ut, etiamſi vivus naſcitur, porro tamen vivere nequeat. Proinde, ſecundum principia medica, *licet* criminis complex mater ſit, quia, cum abortus nuntii, fluxiones ſanguinis uterini, apparerent, obſtetricem accerſendam haud curavit, quæ junctim cum medico, niſi abortionem impedire, abortum tamen ipſum ſervare forte potuiſſent, *tamen*, cum fœtui vivendi aptitudinem veneficus mala ſua medicina abſtulit, percuſſor atque homicida ſolus eſſe videbitur. Multo minor eſt dubitatio, abortum ſextimeſtri minorem, ſolo crimine illius qui abortivum poculum miſcuit, occiſum fuiſſe, quo enim longius ab incrementi ſui complemento abeſt embryo, eo minus ſervari, ſi natus eſt, potuit.

§. 6.

Iam dudum ex foro exulat iſta, ſub qua, hominem occidi intra uterum poſſe, *Nemeſis* CAROLINIANA ſtatuit, conditio, ut animatum fœtum eſſe oporteat, in quem atrox illud crimen commiſſum eſſe dici debeat. Semper enim, ex quo in minimo ſtamine ovuli materni creſcere fœtus incipit, vivit, adeoque animam ſemper habuit, & ſi vegeta mater eſt, certa, intra uterum adoleſcendi, tandemque ad vitæ propriæ fruitionem, pervenien-

di

di, fiducia gaudet, adeoque perinde eſt, ſpe vitæ excluſiſſe fœtum unius menſis, quam enecaſſe, qui vivus natus eſt. Nullum tempus eſt, quo fœtus homo dici nequeat, non ſuperdatur anima, ſed ſimul ac creſcere fœtus incipit, in minimo etiam exemplo, adeſt; Non enim præexiſtunt animæ, &, juxta PLATONIS, ARISTOTELIS, PYTHAGORAE ſententiam, fœtibus divinitus, ſed cum ſemine paterno immittuntur, quæ *Epicuræorum* ac *Peripateticorum* ſententia eſt, quantum ad animarum originem, verior, in eo tantum impia, quod illi, materiales animas adeoque corruptibiles eſſe, ſtatuerint. Si adeoque, ex anima parentis prolis animam emanare, liquet, infuſionem ſane animarum corporum originibus eſſe oportet contemporaneam, cujus veritatis argumenta, *Summi Viri*, D. MICHAEL ALBERTI *de Termino animationis fœtus humani Halæ 1726.* & D. GEORGIVS AVGVSTVS LANGGVTHIVS *Profeſſor apud Vitembergenſes, de fœtu ab ipſa conceptione animato, diſputatione*, collegerunt (k). Propterea, veluti perinde eſt, ſegetes in tenera herba corrupiſſe, quam eſt, meſſem deſtruxiſſe, ſic quoque, qui primordium hominis delet, illi, qui abſolutum confecit, æquiparatur. *Homicidii feſtinatio eſt*, ait TERTVLLIANVS (l), *prohibere naſci.* Audiendus ſane haud eſt

(k) Confer. PLVTARCH. de animarum origine Libro: TERTVLLIANVS *de anima.*

(l) In Apologia c. 9.

eſt PAPINIANVS, quando *L. IX. D. ad legem aquiliam*, *partum nondum editum hominem non recte dici*, autumat.

§. 7.

Abortionis formam præcox ad partum conatus conſtituit, quem cauſæ irritantes inducere valent; ſi uterus eo usque nondum a fœtu ſuo diſtentus eſt, ut illum in ſeſe iterum recurrere atque contrahi oporteat, ſi adeoque verus partus terminus, qui cum ſumma, quanta eſſe poteſt, uteri extenſione coincidit, nondum adeſt, ab alia cauſa matrix convelli, & fœtus ante terminum expelli tamen poteſt, ſi placenta uterina, mutuo vaſorum ſanguineorum nexu fundo matricis juncta, ſolvitur, orituque abinde fluxio ſanguinis illius, qui per placentam venamque umbilicalem ad fœtum, ejus nutriendi cauſa, ducendus erat; Hæmorhagia enim uteri abortum omnem & præcedit & comitatur, omnis adeoque cauſa, quæ cor atque arterias matris atque omnem ejus ſanguinem eo usque movet, ut tecta per placentam uteri oſtia ſeſe aperiant, omnesque cauſæ, quæ in abdomen gravidæ mulieris violenter agunt, & tremore excitato placentam a fundo matricis ſecedere cogunt, abortionem provocare valent.

§. 8.

Exiſtere pharmaca, quæ uterum ita mutare poſſunt, ut ſeparationem placentæ uterinæ ſequi, atque abhinc fœminam abortire oporteat, experientia docet, quamvis iſta vulgaria, pro fœtum corrumpentibus habita, ejusmodi effectum ſola

edere

edere haud poſſint. Innoxiæ ſunt herbæ *Artemiſia rubra*, *Matricaria*, *Chamæmelum*, *Meliſſa*, *Roſmarinus*, *Folia & Baccæ Lauri*; utinam, præter iſtam ſupellectilem, alia contra fœtus vitam arma haud eſſent! ſunt autem varia, eademque efficaciſſima: Quamvis enim mirum ſit naturæ robur in conſervando fœtu, atque ille a medicamentis abortivis ſæpe haud moveatur, veluti ab Illuſtri BÜCHNERO, *in diſſertatione, qua quæſtio: an dentur remedia abortum ſimpliciter promoventia, in partem negativam reſolvitur*, *Halæ 1746.* expoſitum fuit quamvis etiam abſoluta quædam vis pharmacorum intacta matre, erga fœtum directa haud ſit: Omnia tamen medicamenta omnesque machinationes, quæ matrem debilitant, adeoque paralyſin fibris uteri afferunt, ut ille, propter laxitatem, placentam deſerat, fluatque nunc ſanguis, noxam omnino fœtui intuliſſe ejusque præcocem partum procuraſſe, dicuntur. Talia ſunt varia, tam, quæ conſtrictorios matricis motus excitant, quam, quæ uteros laxant, ut illi fœtus ſuos immaturos, hæmorrhagiis a paralyſi ortis, effundant. Adeoque etiam apparet, quid venæ ſectiones in pede, repetitis vicibus celebratæ, in gravidas poſſint, cum debilitata hinc vitæ vis, laxo utero, nexum placentæ cum matricis fundo ſuſtinere nequeat. Deinde innoxia non ſunt, quæ acredine ſua aromatica febrem excitare valent, motum ſcilicet cordis atque arteriarum auctiorem, *Zingiber*, *Piper*, *Spiritus ex volatilium genere*, *Cervini cornu*, *Fuliginis*, *atque ex reſinis efficaciores*, *Myrrha*, *Galbanum*,

banum, Opopanax, Sagapenum. Licet enim hæc omnia vegetam mulierem, atque illam forte viſcido ſanguine plenam haud moverent, movere tamen poterunt teneram, delicatulam & eam, quæ ſanguinea eſt, adeoque, ſi abortus factus fuit, atque ſimilium rerum apparatus inter gravidæ ſuppellectilem reperitur, de illius malo erga fœtum ſuum animo, deque ſubſecuti abortus cauſa, judicari quodammodo poteſt, niſi, alia cauſa, morbus, animi affectus, lapſus, vel violentia abdomini illata, allegari probarique poſſint. Sua ſane ſponte juvenculis atque robuſtis mulieribus raro fiunt abortiones, quin una vel altera, cur factæ fuerint, rationes allegari valeant. Largior ZITTMANNO Medic. forenſi Cent. VI. Caſ. 43. Sabinæ decoctum abortus movere non poſſe; ſimiliter decoctum croci baccarumque juniperi innoxie dari, concederem VALENTINO nec video cum D. MARTINO GOTTHELF LOESCHERO, *de judicio circa abortum concitatum ferendo, diſſertatione*, quid Borax efficere, ut abortus conſequatur, poſſit. Verum, cum nemo medentium ſit, quin vomitoria atque draſtica purgantia gravidis, hinc fœtui noxia eſſe, aſſerat, neminem etiam eſſe arbitror, qui pharmaca, inteſtinorum motus ſpaſticos atque convulſivos excitare valentia, præpoſteros quoque conatus pariendi excitare poſſe, ſit negaturus, ſingularis enim eſſe debet diaphragmatis & muſculorum abdominis, quando hi muſculi ad vomitum excita-

ti

ti ſunt, in tumidam fœtu ſuo matricem efficacia, nec impune dabuntur purgantia illa draſtica dicta, cum frequens deſidendi ſtimulus, ſive *Tenesmus*, inter cauſas abortionis numerandus omnino ſit, utpote quo muſcularis uteri vis erga oſtium internum inque placentam uterinam excitatur, atque hujus ſeparandæ, illius autem aperiendi, neceſſitas inducitur: Proinde mulieri in utero gerenti ſi alvus nimium fluxerit, periculum eſt, ne abortiat. Etiamſi enim, gravidas ſponte vomere, ſalutare ſit, nec ſpontaneæ dejectiones, aut laxantia remedia (m), illis noxas ullas afferant; Quamvis etiam venæ ſectiones, gravidarum neceſſitatibus accommodatæ, inter præſtantiſſima numerentur conſilia, atque CELSVS *de re medica* Libr. 2. Cap. X. *antiquos taxet, quod, primam atque ultimam fœtus ætatem hoc auxilii genus ferre non poſſe, judicaverint, perſuaſerintque ſibi, mulierem gravidam, quæ ita curata eſſet, abortum eſſe facturam, cum poſtea uſus oſtenderit, nihil ex his eſſe perpetuum, intereſſe enim, non quid intus in corpore geratur, ſed quæ vires ſint, conſiderare.* Attamen, ſi de facti abortus certitudine conſtat, aut ejus ſigna in muliere comparent, ſique de ejus cauſa, &, utrum illa pharmaca, quæ inventa, ſunt abortum fecerint, quæſtio inſtituitur, non omnino exculpanda erunt, facinoroſorum hominum contra

(m) Τὰς κυήσας φαρμακεύειν ἦν ὀργᾷ: Prægnantes purgare, ſi illis materia turget. HIPPOCR. ſect. V. aph. 29.

contra fœtus vitam tentamina, ſed, quot vicibus vomitorium purgansve, qua doſi, quo effectu datum ſit, ex qua materia compoſitum fuerit, &, quod venæ ſectionem attinet, utrum ad lipothymiam usque ſanguis miſſus ex vena ſit, ſedulo a judice diſquirendum eſt, cum nullum facile medicamentum ſit, quod abſolute vel juvet vel noceat, ſed modus utendi, acceptæ rei quantitas, tempus, ipſiusque utentis conditio multum diſcriminis ſecum afferant.

§. 9.

Cautos enim in definiendis abortionis cauſis medicos eſſe decet, ne malæ voluntati tribuant, quod caſui improviſo vel morbo debetur. Fœtui ex matris conditione vel bene vel male eſt, ait HIPPOCRATES *de natura pueri*, adeoque, veluti *mulierem utero ferentem acuto aliquo morbo corripi, illi lethale ſæpe eſt.* HIPPOCRATES *Aphor. ſect. V. 30.* Sic quoque juxta eundem, *de morbis mulierum Libro, multa alia pericula ſunt, de quibus abortus fit, ſi debilis fuerit, aut onus levarit, aut percuſſa fuerit, aut timeat, aut conſternetur, aut vociferetur, aut intemperanter utatur venere. Concitantur fluxione ventris ipſi uteri, ſi ictterus prægnanti acciderit, cum doloribus fortibus & urina acris & purgatio ſupervenerit biliosa, plane timendum, fœtum debilem fore, & abortum præſagit.*

§. 10.

Clarius contra abortionis autores loquuntur illatæ gravidis violentiæ; Male audit HIPPOCRA-

TES quando, quod juramento, ne facerent, a diſcipulis poſtulaverat (n), ipſe fecit, & fidicinam, ſe utero gerere profeſſam, πρὸς τὴν γῆν πηδῆσαι in terram deſilire juſſit, quo, cum id ſepties feciſſet, illi *res ovo ſimilis*, fœtus ſcilicet paucorum dierum ſuis involucris circumdatus, utero elapſa eſt (o). Quidquid enim uteris tremorem infert talem, quo nexus placentæ uterinæ fœtuum ſolvi poteſt, ſive ſit ictus calce factus, ſive fuſtigatio, ſive afflictio alia pugno ad abdomen gravidæ illata, illud omne fœtus exturbare valet. Quidquid oſtio uteri interno applicatum ſenſum illi doloris infert, convulſionis uterinæ, qua partus excutitur, cauſa fit. Talis impia contra fœtus vitam machinatio illa eſt, qua peſſariis ex acri medicina confectis uteri oſtium vellicatur. Quale illud inſtrumentum fuerit, quod apud TERTVLLIANVM *de anima Libro cap. 25.* legitur, certo non liquet: *Eſt etiam æneum ſpiculum, quo jugulatio ipſa fœtus in utero dirigitur, ἐμβρυοσφάκτην appellant, utique viventis infantis peremptorium.* Tali uſa eſt impia obſtetrix, apud GVIDONIVM PATINVM philoſophum & medicum *in literis ſuis gallico idiomate conſcriptis Epiſt. CXCI. & ſqq. Tom. I. ad Dom. Falconet. A. 1660. ſcripta Edit. Pariſ. 1692.* propterea ſuspendio punita, quæ, perforato fœminæ gravidæ per idoneum inſtrumentum utero, fœtum enecaverat, abortum procuratura, aſt ſucceſſu tam infelici, ut

(n) De Iurejurando.
(o) De natura pueri Libro.

ut correpta convulſionibus mater abinde exſpiraverit, ipſa nefanda muliere, ſe plurimos fœtuum hac ratione, ſalvis matribus, extinxiſſe, confeſſa: Et quis modos omnes definire auſit, quibus, externa vi, ſive caſu ſive culpa ſive dolo illata, fœtus utero excutiuntur, & vindictam non aliter ac illi, qui inter primos vitæ ſpiritus extinguuntur, clamitant.

§. II.

Nec tantum in fœtus, ſed in ipſas matres ſunt injurii, qui vel mala medicina, vel externa vi tenera hominis germina ſubſecant: *Corruptiones*, ait HIPPOCRATES (p), *fœtus graviores ſunt, quam partus & magis dolorificæ. Non enim fieri poteſt, ut citra violentiam fœtus corrumpatur, ſive pharmaco, ſive potu, ſive cibo, ſive peſſario aut aliqua alia re; Violentia vero omnis eſt mala: In hujusmodi quoque corruptionibus periculum eſt, ne uteri inflammentur aut exulcerentur, quod eſt ſumme periculoſum.* Et ille ipſe COVS Epidem. L. V. Tit. 22. fœminam viginti annos natam poculum abortivum hauſiſſe, ſed ipſam die quarto poſt, convulſionibus correptam interiiſſe, ſcribit. Qua de re ita legas apud OVIDIVM *Libr. II. Amor. Eleg. XIV.*

Quæ prima inſtituit teneros convellere fœtus,
Militia fuerat digna perire ſua.
Hoc nec in armeniis tigres fecere latebris,
Perdere nec fœtus auſa leæna fuit:
At teneræ faciunt, ſed non impune, puellæ,
Sæpe ſuos utero quæ necat, ipſa perit,

(p) De morb. mul. L. I.

Ipſa perit, ferturque toro reſoluta capillis,
Et clamant, merito, qui modo cunque vident.

§. 12.

Vario modo iſtæ de motis abortibus quæſtiones evenire ſolent: Aliquando fœtus ſeptimo menſe minores, qui vivere nequeunt, utero depulſos fuiſſe, ſuſpicio eſt. Hos immaturos eſſe, tenerrima cutis rubro transparens, clauſi oculi, aurium meatus clauſi, debilis, ſi vivos videas, reſpiratio, aphonia, & vagitum edendi impotentia, alvus nullas fæces fundens, unguiculorum rubor & ſumma teneritas, & capillorum defectio, tandemque oſſicula capitis majore fonticulo dehiſcentia, ſignificant. Hi, ſi pereunt, ejus culpa, qui abortivum poculum miſcuit aut vim intulit, periiſſe dicuntur. Quodſi autem tali, tanquam certe morituro, violentas manus intuliſſet mulier, an homicidium commiſiſſe dici poſſit, ambigitur; Deinde, cum majore vivendi fiducia naſcantur ſeptimeſtres, octimeſtres, atque illi, qui a ſuo naſcendi termino cum aliquo dierum defectu abſunt propius, hos ſtatura, habitus, meconium effluens, utpote quo ætas provectior indicatur, prodit, qui, ſi illis vivis, violentæ manus illatæ ſunt, veluti vel ex pulmonum experimento, vel ex ſanguinis effuſione ſub cute aut intra calvam facta, cognoſci facile eſt, non minus, illis, qui perfecti nati ſunt, vindictam volunt. Nam etiamſi mater propter abortivum poculum in jus vocari forte nequeat, utpote

te quæ illud non ipſa miſcuerit, ſed ab alio mixtum acceperit, nihilo tamen minus veluti infanticida punitur, cum ſive vi, ſive neglectu occidit fœtum, qui ſervari, cum ſeptimeſtris eſſet, poterat. Aliquando pepererunt mulieres, veluti per ſigna conſtat, ſed partum projecerunt, nec fatentur, ſe perfectum fœtum edidiſſe, ſed abortiviſſe prætendunt; adeoque, an aſſerto fides habenda ſit, & cujus ætatis abortus ille fuerit, diſquiritur. Plurima hujusmodi crimina occulta manent, ſi intra primos menſes abortio facta eſt, cum, quo minor fœtus eſt, eo obſcuriora partus celebrati ſigna eſſe ſoleant: Non niſi poſt medium geſtationis tempus, mammæ lactis illam ſpeciem, quæ coloſtrum dicitur, nutriunt: Vix mutatur oſtium uteri, ſi tenuis partus eſt, & ipſe uterus poſt paucos dies, excuſſo fœtu, in ſe recluditur; ut, quamvis ſanguinis effuſi copia, illa major, quæ menſium fluxu dejici ſolet, haud levem abortionis ſuſpicionem facere poſſit, indicium tamen hoc, niſi inſpectio uteri accedat, non ſufficiat. Nam ne lactis quidem præſentia ad partus convictionem ſufficiens robur habet. Aſt illæ, quæ ſeptimeſtrem vel octimeſtrem pariunt, ſi recens crimen eſt, obſtetricem artis ſuæ peritam fallere nequeunt, quia illa examplitudine oſtii uterini interni, ejusdemque cruento ſtatu, fœminam celebrati partus arguere poteſt; aſt difficile eſt ſcire, an infans, qui editus fuit, immaturus fuerit, niſi parciores per ventris cutem rugæ, expanſum valde uterum haud fuiſſe, adeoque abortum editum

fuiſſe, & mammarum tenuitas, quæ abſolutiore partu plenæ eſſe ſolent, id indicent: Poſſet hæc quæſtio moveri, ſi, quæ peperiſſe deprehenſa eſt mulier, ſe abortiiſſe & abortum projeciſſe, narrat, quo in caſu omnino refert, ex conditionibus in rea deprehenſis, an abortivum, an plenum fœtum pepererit, reſciſcere, ut ſententiarum arbitri decretorum aliquam menſuram exinde habere valeant.

§. 13.

An obſtetrici aut magiſtro obſtetriciam artem exercenti abortum procurare, ut mater ſalva ſit, liceat, non tam hujus, quam illius loci eſt, ubi de imputatis medico homicidiis quæritur: Evenit nempe, quo abortus inevitabilis ſigna adſint, ipſumque uteri oſtium ſit recluſum, incoërcibilis adſit ſanguinis fluxio, mater certo peritura ſit, niſi hæmorrhagia ſiſtatur, aſt ſiſti illa, niſi educto cum ſecundinis fœtu, nequit; Fœtus certo interit, mater brevi tempore peritura eſt, cum, niſi contracto in ſeſe utero, quod poſt fœtus eductionem fit, ſiſti claudique vaſorum ora nequeant. Quamvis autem ALBERTI Iurispr. Part. I. p. 134. educi fœtum, ut ſalva mater ſit, debere neget, uſus tamen in praxi artis obſtetriciæ receptus, hoc ita fieri, jubet; Ipſe enim fœtus ſervari nequit, neque ſpes eſt, claudi uterum & placentam glutinari poſſe, &, ſi ſeptimeſtris aut octimeſtris eſt, eo plus accelerandum eſt negotium, cum ſpes vitæ illi ſuperſit. Ambigeret fortaſſe chirurgus, an enecandus in utero fœtus ſit grandior, ſervandæ

vandæ matris cauſæ, ſed abortum educi, qui vivere porro nequit, nulla conſcientiæ lex eſt, quæ impedire poſſit; adeoque, hoc ſenſu, abortum, porro haud impediendum, promovere, ſumma eſt impunitas, & inſtitutum valde laudabile ac ſalutiferum (q).

§. 14.

Quæ partum celavit, graviditatem per varia ſigna, quæ illam prodere ſolent, ignorare haud potuit, nam partus imminentis præſenſionem habuit, aſt clam peperit, adeoque ſibi ac fœtui ſuo auxilia partus ſubtraxit, hinc ubi, ſe mortuum enixam eſſe, prætendit, fidem inventura haud eſt, cum, ſi qua graviditatem occultavit, animum in fœtus mortem intentum habuiſſe, præſumatur; Quod adeoque voluntatem & deſtinatum erga crimen animum, magnam ſane inquiſitionis criminalis particulam, attinet, negabit rea, ſe in fœtus ſui interitum conſpiraſſe, utpote quæ, tanquam juvencula & primipara, graviditatis indolem ſibi incognitam habuerit, omniumque circumſtantiarum, quæ partum proxime imminentem comitari ac ſignificare ſolent, imperita fuerit: ſe derepente a conatibus pariendi oppreſſam, impeditamque, propter obortam ſibi ſummam animi conſternationem ac defectionem fuiſſe, quo minus auxilium petere potuerit, ſe denique omnes, quibus recens natus curandus eſt, modos neſciviſſe, allegabit; Ideoque medicorum ſententiæ ſuper quæſtionibus

(q) IO. CONR. BECKER de παιδιοκτονία Gieſ. 1729. 4.

An gravidæ, ſanum vegetumque fœtum parientes, ſe graviditatem ſuam ignoraſſe, dicere poſſint?

An conatus pariendi ita celeriter invadere, partusque ipſe tam expedite procedere valeat primiparæ, ut ſibi mature proſpicere, atque inchoantis partus negotii aliquam in ſe ſignificationem, aliquo ante tempore, habere parituræ nequeant?

An etiam ea ſit natura partus, ut illo durante eoque abſoluto, puerpera auxilium petere, vicinas clamore excitare, & debitam recens nati curam gerere haud poſſit? An adeoque iſtæ, quas rea attulit, deſumptæ ab ignorantia excuſationes, in graviditatis ac partus natura fundatæ ſint?

poſtulantur. Quod adeoque primam, an ignorari a muliere graviditas poſſit, quæſtionem concernit; Quamvis ex ſola menſium defectione graviditatem percipere, deque illa convinci nulla poſſit; quamvis etiam tumor abdominis, junctim cum menſium oppreſſione ſumptus, ignaram omnium harum rerum mulierem graviditatis ſuæ conſciam reddere haud valeant, cum uterque eventus ex morbo eſſe, & tumor quidem uteri ex ſanguine intra ejus ſubſtantiam celluloſam quieſcente, & a ſpaſmis inteſtinorum abinde ortis, procedere ſoleat; Quamvis etiam probabile ſit, a fœmina, quæ prima vice paritura eſt, ſignificationem lactis in mammis viſi haud intelligi, ipſi autem motus fœtuum in utero fœminis quandoque imperceptibiles ſint aut obſcuri, quos mulier pro flatuo-

ſo

ſo inteſtinorum tumultu capere, ſeque plus ægrotam quam gravidam exiſtimare potuerit; His tamen non obſtantibus, & quamvis vera, nec ex catameniorum defectu, nec ex tumore abdominis, aut lactis in mammis præſentia, de graviditate convictio naſci poſſit, impoſſibile tamen eſt, gravidam, quæ vegetum fortemve embryonem & talem, qui ad usque partus legitimum terminum ſine morbo pervenit, matrice tulit, motus iſtos magnos, qui prope finem ſanæ & commodæ graviditatis ſunt, non percepiſſe, atque, dum ſe cæteroquin optima ſanitate frui novit, ad fœtus præſentiam exinde concludere haud potuiſſe, eoque frivolus magis eſt hujus ignorantiæ prætextus, ſi forte altera vice mulier peperit, Eſt tamen hujus excuſationis major quædam probabilitas, ſi tenuem aliquem atque infirmum fœtum enixa mater eſt, qui, ob deficientem totius corpuſculi atque muſculorum plenitudinem, prouti ex relatione medica intelligitur, magnos motus matri perceptibiles edere haud potuiſſe videtur. Quod alteram, de ignorata imminentis partus ſignificatione quæſtionem concernit, ſi primipara eſt, magna ſane oritur dubitatio, an ita facile recludi oſtium uteri potuerit mulieri, quo illi, ſe repente peperiſſe & tale quid haud prævidiſſe, aut expectaſſe afferenti, fides haberi ſtatim debeat, cum prima vice parientes inter majores plerumque dolores lentoque ſucceſſu eniti ſoleant. Verum cum in actu pariendi nullæ formulæ addicta natura ſit, & quotidiana experientia doceat, primiparas eadem, quam quæ partum ſæpe expertis

data eſt, facilitate parere, ſi robuſtæ ſunt & amplæ, ideoque derepente opprimi a nixibus mulierem, eandemque, etiam ſi primipara eſt, brevi labore opus ſuum conficere potuiſſe, a natura partus haud abluit, neque etiam illud abſonum eſt, primiparam, quam dormientem & temulentam ſtuprator compreſſit, utrum dolores, quos ſenſit, pro nixibus, an pro affectibus colicis, quales quandoque fluxum menſium præcedere ſolent, habendi fuerint, ignorare potuiſſe. Sed tertiam quæſtionem de præſentia animi apud illam, quæ peperit, in actu pariendi & poſt eundem, dubia, quod concernit: Quandoquidem de partu facili atque celeri in cauſa infanticidii plerumque ſermo eſt, illud equidem naturæ partus æquum eſt, mulierem a nixibus deprehenſam, inque loco, ubi deprehenſa eſt, per ipſius nixus rationes fixam, ſi procul ab hominibus tunc eſt, ſibi auxilium accerſere haud potuiſſe; Verum, quod fœtus curam attinet, ſi per circumſtantias, partus facilis fuiſſe intelligitur, nemini perſuadebit mulier, ſe adeo exanimem decubuiſſe, ut, quod natura brutis animantibus dedit, quo erga partum ſuum ſingulari aliquo amore ferantur, ejusdemque conſervandi ſtudio teneantur, perficere & recens natum fovere, amplecti, ac familiares convocare haud potuerit, niſi diſtantia loci illam excuſet. Non enim ea eſt virium a brevi facilique partu debilitas, ſi fœtum ſervandi amor acceſſerit, vt fœtui ſubvenire mater haud poſſit. Nihil

hil tamen in iſtis quæſtionum nodis perpetuum eſt ac conſtans, & improbabile haud eſt, fœminam, etiam poſt partum brevem, a magno aliquo ſanguinis poſt illum profluvio, ad animi deliquium, omniumque ſimul rerum, quas fieri ſervandi fœtus cauſa oportet, ignorantiam aut oblivionem deduci potuiſſe, ut adeoque, niſi proæreſin ac dolum ex celata graviditate judex percipere poſſit, neglectus ipſe ex quo fœtus periiſſe forte dicitur, magnum invenire poſſit patrocinium, ſiquidem ille auxiliorum cognitorum, præſente ad agendum potentia, eſt omiſſio; an autem vel modos agendi rea noverit, vel ſui compos poſt partum fuerit, certis, qualia in cauſa ſanguinis eſſe debent, argumentis a medico cognoſci nequit.

§. 15.

De hiſce momentis, naturam partus explicantibus, ut clare conſtet, opus eſt, molimina ad pariendum, partusque ipſius circumſtantias, tam præcedentes quam concomitantes & conſequentes, non ignorare: Partus naturalis eſt, fœtus, qui hactenus, propter contiguam ac continuam uteri fundo placentam, matris pars fuit, per neceſſarios ex plenitudine matricis cōnſequentes motus, a matre facta ſeparatio, perque uteri oſtia, tam internum quam externum, emiſſio. Mechanica, & ex indole ipſarum uteri virium, hinc exactionis muſculorum partui famulantium rationibus conſequens, eſt iſta uteri potentia, qua, motibus a voluntate primario haud dependentibus, ab illa

la tamen quodammodo adjutis, fœtus excluduntur: Cauſa enim partus proxima eſt fibrarum orbicularium, per externam matricis tunicam admirabili opere diſpoſitarum, in reniſum vis, ab incremento fœtus & aquarum illum ambientium, maxime chorii, volumine excitata, qua aquæ illæ, in obtuſam columnam compreſſæ, ſeſe oſtio uteri applicant, illud ſenſim dilatant, donec eam, quæ capitis, hinc corporis naſcituri volumen recipere & transmittere poteſt, capacitatem indipiſcatur, quare etiam aliæ cauſæ uteri contractionem excitantes, veluti de abortu dictum eſt, conatus pariendi excitare poſſunt, illa autem naturæ familiaris & amica eſt, quæ a ſumma uteri expanſione naſcitur, ut recurrentes atque ad quietem properantes fibræ ejus elaſticæ contenta cavi exprimant, primo quidem impetu fœtum, ſecundario, unde etiam nomen illis datum eſt, ſecundinas ſeu involucra fœtus, quæ, illo depulſo, aliquantulum adhuc manent. Adjuvant pariendi conatum muſculi abdominis omnes, *duo recti, cum pyramidalibus duobus, duo obliqui externi, duo obliqui interni, totidemque transverſales, omnes in lineam albam tendineam collecti.* Hi enim, junctim cum *diaphragmate, ſeu ſepto carneo, ex quatuor muſculis in tendinem latum collecto,* nituntur erga uteri globum, ſiquidem uterus partui proximus ad ſeptum usque ſuo accrevit volumine, hinc ab illo comprehendi niſuque magno deprimi poteſt: Etiamſi autem omnes illi muſculi, qui cæteroquin voluntati ſubjacent, propter

pter conſenſum cum utero, contemporaneos illi motus habent, ut contineri nequeant, vbi nixus matris partum urget, poſſunt tamen a voluntate matris adigi, utpote quæ, durante partus labore, exſpirando ſeſe adſtringit, plenos aëre pulmones verſus convexitatem diaphragmatis contento ſpiritu applicat, & veluti illi facere ſolent, qui alvum dejiciunt, partus negotium arbitrariis motibus promovet. An infans ſuo erga uteri oſtium niſu, applicato illi obtuſo capite, hunc actum pariendi adjuvet, dubium eſt, abeſt enim cooperandi opportunitas. Quid gemelli conferrent, qua parte pedem figerent? Si conſideres mortuos fœtus, dummodo capite ad oſtium uteri recte collocentur, eadem illos, quam qua vivi, facilitate naſci videbis; punctum fixum in utero nullibi eſt, erga quod pedibus niti fœtus poſſit, maxime cum infantes tunc, adductis ad mentum genubus, complicentur, cæteroquin haud pauci pedibus naſcantur, ut adeoque ſuis ad naſcendum viribus conferre nihil poſſint. Falſi propterea ſunt, qui, infantem meconii acredine, reſpirationis deſiderio, caloris uterini impatientia, ad partum adigi putant. Gerit ſe infans veluti cuneus applicatus uteri oſtio, cui a tergo vis totius uteri, atque muſculorum exſpirationi inſervientium, applicatur, & natura quidem propterea plerosque, ſponte ſua naſcituros, voluit in caput propenſos eſſe, qui usque ad finem geſtationis ſedentium ſpecie in utero collocabantur, & ſub finem demum,

mum, erga os uteri caput vertunt, quem motum, mechanicum potius quam voluntarium, *præcipitium* vocant. HIPPOCRATES, a ſuperpondio capitis infantilis hanc ad uteri oſtium converſionem fieri, arbitratus eſt: A quo ergo tempore conatus pariendi ſumme doloroſi atque anxii exorſi ſunt, continuant illi ad usque laboris finem, qui poſt fœtus atque ſecundinarum expulſionem ponitur; & naturæ quidem ſolius opus illud eſt, ſi fœtus ita jacet, quo nihil impedimenti adſit, quo minus, primum capite, hinc axillis, quas reliquum corpus ſubito ſequitur, naſci poſſit, quem in finem mobilia nullisque futuris connexa naſcentis capitis oſſa ſunt, eademque locum oſſe vacuum membraneum in verticis medio habent, *fontanellam* dictum, in quem convergere, & partus viis ſane anguſtis accommodare ſeſe poſſint. De partu, qui capite ad oſtium ſito fit, adeoque facilis eſt, in cauſa infanticidii plerumque ſermo inſtituitur, tali ſcilicet, quem ſola, nulloque auxilio ſuffulta mater, ſuis unice viribus uſa, ad finem perducere, adeoque clam parere potuerit. Sequuntur fœtum ſecundinæ, placenta enim uteri fundo eousque adhæret firmiter, ſi partus naturalis eſt, donec, expulſo fœtu, in ſe recurrens uterus nexum hunc ſponte ſolvat, qui placentæ ac uteri vaſis intercedit, proinde fit, quo ſubito ac ſeparatio placentæ contigit, ſanguis ille erumpat ex utero, qui Lochiorum fluxus appellatur; Hunc aliquando medici in relationibus ſuis pro fœtus ſanguine, quem ex illius

haud

haud obligato funiculo manaſſe putant, accipiunt, quos diſcrimen inter ſanguinem arterioſum embryonis, ruberrimum, & venoſum hunc, ex contractis in ſeſe uteri lacunis manantem, ac nigrum ſimulque grumoſum, haud ignorare decebat. Poſtquam ergo ſuo levatus onere uterus erat, ad priſtinam, qua ante imprægnationem uſus eſt, cavitatis ſuæ anguſtiam ſubito revertitur, ut ſigna partus celebrati aliquo poſt tempore deleantur.

§. 16.

Signorum, quæ partum paulo ante celebratum fuiſſe indicant, magna omnino in foro eſt, ad detegendum incognitum infanticidii autorem, utilitas: Aut enim fœtus recens nati, atque illius vel vivi inventi vel mortui, mater indagatur, aut mulier, in quo puerperii ſigna deprehenſa ſunt, ad confeſſionem, quid cum partu ſuo egerit, adigitur. In priore caſu ſuſpectarum mulierum uteri atque mammæ, utrum ille ſanguinem, hæ lac fundant, inſpiciendæ videndumque eſt, an infans repertus ſuſpectæ fœminæ proles dici poſſit; in altero caſu, de muliere & ſignis partus in illa deprehenſis, an illa recentia ſint vel vetuſta, diſquiritur. Si qua fœmina, tumido ventre incedere viſa, ſubito detumuit, ſi cui magna, veluti ex ſupellectili lintea judicatur, ſanguinis vis ſubito dejecta eſt, & ſanguis ille in grumos concreſcit, quidquid etiam illa de menſium fluxu hactenus impedito, nunc reverſo, & copioſius propterea fluente, fabuletur, meretur omnino, cujus venter inſpiciendus tradatur obſtetricibus, quo illæ,

illæ, utpote fidem habentes in foro, quam brevi longove abhinc tempore peperiſſe præſumatur fœmina, cognoſcant. Quæ hodie, heri, aut nudius tertius pepererunt, ſanguinem dimittunt, ſubnigrum muco mixtum, grumis concreſcentem; ſi ante hos dies partus celebratus eſt, ſanguis prodit tenuis, parcus: Ἡ κάθαρσις ἡ λοχείη τὰς μὲν πρώτας ἡμέρας τρεῖς ἢ τεσσάρας χωρήσει. HIPPOCR. *de morb. mul. Libr. I.* Quodſi etiam, menſtruum hunc ſanguinem, nec partus cruorem eſſe, ſuſpecta mulier prætendit, fidem, ſi illa oſtium uteri planum, amplam vaginam eamque brevem, rugoſam abdominis cutem, & lac in mammis habet, non merebitur; Nam lac mammarum, junctim cum cruento, utero eoque amplo & digitis obſtetricis acceſſibili, partum prægreſſum eſſe, ſufficienter indicat, quo mulier ad confeſſionem ſeverius adigi poſſit; Licet enim a lactis præſentia ſola ad partum concludere nollem, ſi uteri os acuminatum eſt, & reliqua partus ſigna haud reſpondent; Licet etiam lac in mammis, paulo ante partum celebratum fuiſſe, niſi cruentus adhuc uterus occurrit, haud differte aſſerat, ſintque fœminæ, quæ longo poſt partum tempore lac in mammis nutriunt; attamen lac verum ac album & copioſum ſuſpicionem contra fœminam, partus cauſa, haud levem faciet, qua de re ita ſentio: Lac ſolum ne ſuſpicionem quidem facit, cum illud & virginibus plenioribus a menſium defectione naſci poſſit: Lac præſens, abdominis cute rugoſa, & ventre tumido viſo, nunc

nunc tenui, etiamſi uterus clauſus omnique ſanguine vacuus eſt, ſuſpicionem faciet, partum celebratum haud ita pridem, non tamen admodum recenter, fuiſſe. Aſt lac in mammis, cruento utero eoque laxo, convictio eſt puerperii, niſi, ex morbo ventrem tumuiſſe, & loco fœtus molam aquoſam aut aliam dejectam fuiſſe, propterea haud improbabile videatur, quia fœmina mali eſt habitus & cachectica.

§. 17.

Quandoquidem ergo de mammis nunc, ubi de præteriti partus, & alibi, ubi de graviditatis ſignis agitur, ſermo motus fuit, momenta hujus organi anatomica atque phyſiologica breviter rimabimur: Glandula conglomerata, atque ex acinis glandulosis multis in unum corpus collectis conſtans, *mamma* eſt, ſemper equidem præſens & pu llæ connaſcens, ſed exilis, ſub papilla utraque, ad thoracis latera, in pinguedine, quæ ſupra *pectorales muſculos* eſt, hærens, nullum incrementum recipiens, niſi ubi plenior puella, menſtruum effuſura eſt ſanguinem, tunc enim, veluti, *de ætatibus capite* dictum eſt, mammæ plus tument virginibus, tam ipſa glandula, quam pinguedine, quæ circa glandulam eſt, adauctis; Hoc ſigno natura docet, concipi utero fœtum, eundemque natum mammis nutriri nunc poſſe. Maxime autem tunc cum ſanguis, hactenus in nutritionem embryonis abſumptus, poſt partum, contracto in ſeſe utero, vaſa ſanguifera mulieris omnia diſtendit, diſtenduntur quoque vaſa mammaria, atque lac conficiendi aptitu-

dinem acquirunt, tunc enim per laxa vasa sanguis ad mammas vi cordis agitur, ex rubro in *album*, *pingue & dulce liquidum*, *quod lac dicitur*, convertendus, nisi *chylum ipsum*, *succum illum primarum viarum* album ex alimentis elaboratum, in lac mutari velis, uti subitanea lactis post usum ciborum laudabilioris succi restauratio, atque sapor alimentorum vel medicamentorum in lacte deprehensus, docet. Effluit lac, in os sugentis alumni effusum, viginti, uti MORGAGNIVS vult, ductibus, quos *galactophoros* seu *lactiferos* appellant, tandemque, ubi lactare infans desinit, per *venas mammarias* ad sanguinem redit, quod tunc maxime fit, si menses revertuntur, vel novo fœtu uterus ingravidatur. Nervorum per mammas copia adest, omnes enim nervi *vertebro costales* ex superioribus septem, itidemque *axillares* quidam, illuc tendunt, atque una cum arteriarum atque venarum finibus vascularem & uberrimum lacti infundunt spiritum. Areola, papillæ propior, *sebaceas dictas glandulas*, aut *folliculos* potius linimentum pingue fundentes, ordinat, ut muco hoc lævigata, quæ circa papillam est, areola, tenere firmius applicata sibi sugentis tenelli prolabia possit. Lac ipsum mulieris opus est, potissimum gravidæ, an & viri, veluti ARISTOTELES *Histor. Animal. Libr. 3. c. 20.* observavit, disputatur.

§. 18.

Ex natura, fabrica atque effectibus uteri gravidi, parturientis, atque illius, qui partum absolvit, variæ, quæ mortis infantum causas exponunt,

nunt, circumſtantiæ patent. Ipſum infanticidium perpetuum erga uterum reſpectum habet, ſine quo nullum illi atque reliquis homicidiis diſcrimen intercederet. Circa duas potiſſimum quæſtiones, quantum ad medicos, infanticidii diſquiſitio verſatur: I) An, qui mortuus deprehenſus, paulo tamen ante natus infans eſt, vivus in lucem editus, illiusque corpori vivo, ſive *caſu*, ſive *culpa*, ſive *dolo* illata injuria fuerit, an potius in utero materno, ante inchoatum partus negotium, an etiam durante illo, per cauſas a nulla voluntate, nec errante, nec ex propoſito agente, dependentes, infantis mors ſit conſecuta? II) An ſuo, ex quo vivus natus eſt infans, morbo, an ex aliqua, & qua potiſſimum de multis affliction, an etiam neglectu, eoque vel ex ignorantia vel ex propoſito, vitæ finem poſuerit?

§. 19.

Quod primam quæſtionem, circa *vitam fœtus poſt nativitatem*, *vel ejus probabilem mortem ante nativitatem*, *aut durante partu factam*, concernit, oporret illam primo loco decidi, quoniam, niſi in vivos, actus mortifer exerceri nequit; Ergo, ſi ante nativitatem defunctus eſſe embryo deprehenditur, nullus inquiſitioni ſeveriori locus eſt; aſt hæc, ſi, vivum natum eſſe, per ſigna patet, ita inſtituitur, uti hanc, vel illam mortis cauſam adeſſe, judex intellexerit. Qui mortuus inventus eſt recens natus, medico atque chirurgo diſſecandus eum in finem traditur, ut per circumſtantias in ejus funere deprehenſas,

henſas, vivus mortuusne natus ſit, intelligatur. Adeoque, qui propoſitam de morte aut vita fœtus quæſtionem recte declaraturi ſunt, ſignorum, quæ alterutram ſignificare poſſint, conſcii eſſe debent.

§. 20.

De vita fœtus poſt nativitatem acta triplex occurrit quæſtio: An vivus aliquis natus ſit? an abortivus natus ſit, & talis, qui vivere nequit? An vitalis natus ſit, qui, niſi cauſa violenta oppreſſus periiſſet, ob partium ſuarum plenitudinem ac vitæ robur, vitam continuare potuiſſet? De ejusmodi partu, qui articulis ad motum muſcularem obfirmatis naſcitur, quique in *Nemeſi* CAROLINIANA ein gliedmaſiges Kind appellatur, ob hanc incrementi ſui perfectionem, præſumptio eſt in regulis artis fundata, illum ad partus usque primordium vixiſſe ſanum, adeoque ejus mortis cauſam vel in, & durante partu, vel poſt eundem, in aliquo caſu iniquo, offenſione aliqua, aut in quodam neglectu, quærendam eſſe.

§. 21.

Mortuus editus eſſe dicitur, qui vitæ ante nativitatem finitæ ſigna evidentia corpore ſuo oſtendit, putredinem ſcilicet, quæ ex cuticulæ ſeparatione, ex tumore corporis, & partium mollitie putrilaginoſa, atque fracedine vel fœtore cognoſcitur, ſi paulo poſt quam natus eſt examini ſubjicitur, nec corpuſculum ſero repertum, calidiore tempeſtate corruptum fuit. Talem fœtum antea quam naſceretur defunctum eſſe, nemo dubitabit,

tabit, qui novit, putredinem cum vita ſtare non poſſe. Quamvis etiam in hoc caſu ſanguis in cava effuſus deprehenderetur, videreturque, ex fluxu ſanguinis, tanquam actu vitæ poſt nativitatem ſuperſtitis, ad vitam poſt illam actam concludi poſſe, veluti nuper ad Facultatem noſtram relatum eſt, nulla tamen hujus concluſionis efficacia eſt, quoniam putredo vaſa venoſa etiam poſt mortem rumpit, veluti hæmorrhagiæ defunctorum ex naribus, aliisque locis, luculenter docent. Non autem vice verſa, qui cuticula naſcitur integra, & putredinis ſigna ſecum ex utero haud affert, vel vivus natus vel in partus mortuus eſt, ſed manent defuncti fœtus ſæpe ſine putredine in uteris, ſi membranis nondum ruptis defunguntur, utpote quorum liquores, aëre vacui, corruptionem putrilaginoſam, obſervante MAVRICEAV (r), impediunt. Involucra fœtuum in utero defunctorum molleſcunt inſigniter, placenta pulpæ inſtar diffluit, & funiculus umbilicalis ſanguinem in vena habet grumoſum, neutiquam fluidum, atque ipſe marcidus eſt atque exſuccus; Quapropter conſuetum eſt, placentas, ſi obtineri poſſunt, in ſectione legali ſimul explorare. Celeberrimus medicinæ legalis doctor, MICHAELIS ALBERTI de ſignis fœtus mortui ita habet: 1) *Si fœtus per partum excluſus non rigidus eſt*, 2) *Sed cutis ipſa laxa*, 3) *imo rugoſa*, 4) *flaveſcens & liveſcens exiſtit*, 5) *Si totus habitus ita immutatus eſt, ut magis adulti hominis, quam em-*

(r) Maladie des femmes groſſes obſ. 163.

bryonis figuram præsentet, 6) *Si abdomen præter modum est collapsum*, 7) *Si jam initia putrilaginis conspiciuntur*, 8) *Si maculæ lividæ & stigmata in cute varii coloris observantur*, 9) *Si cutis facile dehiscit, & cruor tetri coloris e variis corporis regionibus, putridus emanat*, 10) *Si præcipue circa umbilicum putredo eminens deprehenditur*, 11) *Si funiculus umbilicalis flaccidus, flavescens, rugosus, livescens, & velut colliquescens conspicitur*, 12) *Si fontanella nimium delapsa est*, 13) *Si fœtus cachecticus & oedematosus apparet*, 14) *Si anus dehiscit & aperta est.*

§. 22.

Quodsi autem sero repertus infans mortuus est, nihil ad mortem, nativitate priorem, hæc signa valebunt, adeoque prona est ab actionum vitalium post nativitatem exercitarum defectu ad fœtum mortuum conclusio. Sunt illæ actiones, quas partus vivus exercet, 1) *motus cordis & arteriarum, atque abinde dependens circulus sanguinis*, 2) *Thoracis motus, atque inspiratio aëris*: Si utriusque actionis post nativitatem celebratæ signa deficiunt, vivus natus esse dici nequit. Sed potest altera ex his, nempe respiratio, nondum inchoata esse, fœtu tamen vivo edito. Intelligimus autem, fœtui in lucem edito nullum, cum natus esset, motum cordis, nullum circulum sanguinis superfuisse, si ille nullum alicubi sanguinem effudit, ut nec in cavitates, maxime calvæ, nec sub integumentis, cruor emanans, & in thrombos seu grumos collectus, sub sugillationum nomine, deprehendatur.

tur. Si enim alba cutis eſt, vel maculæ lividæ in cute ſola ſubſiſtunt, nec tam ſunt ſanguis effuſus, quam putredinis primordia, ſi, cum funiculus umbilicalis haud obligatus eſſet, nullus per ejus arterias ſanguis effluxit, & omnia fœtus vaſa ſangine ſuo ſunt repleta; ſi ſimul pulmones aëre vacui reperiuntur, clarum eſt atque evidens, infantem, poſtquam natus eſſet, nullas vitæ actiones exercuiſſe, adeoque haud vixiſſe, proinde aliquem actum mortiferum in illo exerceri haud potuiſſe.

§. 23.

Sed poteſt poſt nativitatem aliquamdiu ſine reſpiratione infans vivere, adeoque ex aëre intra pulmones haud reperto, exque illorum intra aquas ſubſidentia ac verſus vaſis fundum demerſione, ad nativitatem mortui concludere nemo poterit. Agnoverunt hanc veritatem omnes medicinæ legalis doctores, atque etiam illi, qui experimentum illud cum pulmonibus in aqua inſtitutum, omni fide haud pollere arbitrantur. *Pulmonum in aqua ſubſidentiam non liberare a tortura*, & poſſe vivum natum eſſe, qui nondum reſpiravit, IOH. ZELLERVS in illa, quæ de hoc argumento inſcripta eſt, *Diſſ. Tubingæ 1701.* hab. aſſeruit. Poſſe aëre deſtitui naſcentes, BOHNIVS *Renunt. Vuln. leth. p. 179.* affirmat, & fœtui vivo nato, anteaquam reſpirare poſſit, violentiam lethalem accidere poſſe, ALBERTI *Iuriſpr. Medic. Tom. I. p. 183.* docet. Cum enim in lucem infans editur, adeſt illi eadem, quæ naſcituro ad-

erat, ſine aëre uſuque pulmonum vivendi facultas, patent illi viæ, quibus ſanguis, cum in utero eſſet, pulmones præterlabitur, *foramen ſcilicet ovale*, atque *canalis arterioſus*; Catulos vivos natos & pulmone nondum uſos, ſtrangulatos diu ſupervixiſſe, BOHNIVS vidit, & quotidiana obſervatio obſterricum docet, diu ſine reſpiratione mortuis ſimiles jacere neogenitos, qui tamen vivunt & vivere pergunt. Cum adeoque ſtatim a nativitate, antea quam reſpirandi libertas naſcenti datur, perire quocunque demum modo infantes poſſint, ideoque mortui nati eſſe dici non poſſunt, quorum pulmones actionem ſuam vitalem nondum exercuerunt, adeoque in aquis ſubmerguntur, ſi vita ex fuſo illorum ſanguine liquet.

§. 24

Etiamſi ergo pulmones, inſtituto cum illis experimento, fundum vaſis petunt, vixiſſe tamen poſt nativitatem ſuam infans dicitur, ſi deprehenſus eſt, motum cordis & circulum ſanguinis, ex quo natus eſt, continuaſſe. Hinc *ecchymoſis*, quæ ſanguinis in vivo inter fibras partium fluxio eſt, ſub integumentis viſa, infanti, acceptæ læſionis tempore, ſanguinem ex arteriarum finibus fluxiſſe, docet, effuſio enim arterioſi ſanguinis motum cordis, adeoque vitam præſupponit, docente BOHNIO *Relat. Vuln. Leth. 183.* ipſoque excellentiſſimo HEISTERO, qui, etiamſi certitudinem experimenti pulmonum oppugnavit, in illa tamen, *de fallaci pulmonis infantum experimento, Helmſt. 1732.* hab. diſſertatione, ab effuſo

ſo intra infantis integumenta ſanguine, etiamſi ejus pulmones ſubmerguntur, ad vitam ejus poſt nativitatem concludi valide poſſe, aſſeruit: Poteſt adeoque infanticida fœtui in ipſo uteri limine inſidias ſtruxiſſe, vel poteſt ille vivus, nec reſpirans, in pavimentum vel in cloacam præceps actus eſſe; Ergo datur infanticidium etiam in illos, qui nondum reſpiraverunt, perpetratum, & fallax ſubmerſio pulmonum eſt, nec ab illis in aqua mergentibus, ad mortem fœtus ante nativitatem, valet conſequentia.

§. 25.

Adeoque, etiamſi, pulmonibus in aqua ſubſidentibus, fœtus mortuus ante nativitatem eſſe videtur, ejus tamen vita ex ſugillationibus, aut ex vacuitate vaſorum, & fluxu ſanguinis mortifero intelligitur, ſimulque vitæ ejus in partu, aut poſt illum actæ veritas, & mortis genus indicitur. Licet enim debilem & moribundum forte natum eſſe, judicari ex inſpirationis defectu poſſit, utpote cui vires ad reſpirationem inchoandam haud ſufficerint, habitus tamen corporis tenelli plenus, ejus bonam ad partum usque valetudinem, partus autem facilis, qualis clam parientium eſſe ſolet, ejus inoffenſum per muliebria tranſitum ſi ſignificant, violentam omnino ejus mortem fuiſſe oportuit, nam ſponte ſuoque morbo extinctus ante nativitatem eſſe, qui ad partum usque ſanus vixit, haud cenſetur, ſed

vel durante partu, vel paulo poſt illum violenter mortuus eſſe, præſumitur.

§. 26.

Objicit excellentiſſimus HEISTERVS, &, pulmones illorum, qui reſpiraverunt, nihilo minus ſubmergi in quibusdam caſibus oppido raris poſſe, affirmat. Adducit enim pulmones ſcirrho tactos, quos in juvene phthiſico aquis ſubmerſos viderat, deinde fœtus cujusdam pulmones, qui, licet ille per viginti horas vixiſſet, ejusdemque vagitum adſtantes audiviſſent, in experimento fundum petebant, ut videri mortuus natus, per hujus experimenti fidem, potuiſſet. Sed veluti, quod ſcirrhos pulmonum, ita gravantes, ut ſubmergi illos oporteat, attinet, caſus ille ad forum applicabilis haud eſt, cum duros nodos in pulmonibus ſuis fœtus alere, ob defectum ſanguinis, haud poſſint, aut, ſi aluerint, nodus iſte extricari, diſſectis in partes pulmonum lobis, poſſit, ut, etiamſi ponderoſa ſcirrho pars fundum petitura ſit, illos tamen lobos natare oporteat, qui durum nodum haud habent. Quod autem alterum HEISTERI experimentum attinet, quo pulmo neogeniti vagientis deſcendiſſe tamen in fundum vaſis dicitur, dolemus ſane, pulmones iſtos in partes diſſectos & ſic ſingulariter in aquam projectos haud fuiſſe, certe illa circumſtantia verbis expreſſa in illa differtatione haud eſt. Largior enim, illius infantis pulmones deſcendiſſe & integros, & a corde ſeparatos, verum, an omnes particulæ deſcenſuræ fuiſſent, eſt quod dubitem, cum

cum vagitus aërem, certe in aliquo pulmonum lobulo contentum, ſupponat, aër autem, aqua ſpecifice ſemper levior, non poſſit non ſuum, cui ineſt, laxum corpus, ſuperficie aquarum eminentius reddere. Itaque ſubmerſio pulmonum in aquis, fœtum haud reſpiraſſe, docet, omnisque fœtus, cujus pulmones merguntur & in toto & partibus, cujus etiam vita per ſigna ſanguinis ſub integumentis fuſi haud pateſcit, merito habetur pro mortuo nato, utpote in quem nulla ſævities exerceri potuerit. Ne autem impunes abeant infanticidæ, ſi forte tale genus mortis invenerint, quod cruenta veſtigia poſt ſe haud relinquit, in minutas partes pulmonem diſcindi oportet, ne mortuus videatur infans natus eſſe, qui tantum impeditus, quo minus perfecte reſpiraret, fuit: datur enim, obſervante BOHNIO *Relat. Vulnerum lethalium p.* 177. debilis, & infirma quædam ac incompleta, quæ totos pulmones haud pervaſit, recens naſcentium inſpiratio, quando illis naſcentibus ſubito mors imminet, calvaria affliguntur, tunc paralytici fiunt, ut vis ad magnam reſpirationem illis propterea haud ſuppetat, vel ex utero ſtatim in vas aqua plenum decidunt, quo fit, ut plenam reſpirationem exercere haud poſſint, adeoque pulmonibus totis in ſublime ferendis aër parcus inſpiratus haud ſufficiat. Quamvis ergo fœtus pulmo mergens mortem ante nativitatem ſignificare poſſet, contrarium tamen, ſi vel minimam particulam pulmonum natare intelligas, ſe manifeſtabit,

bit, poteritque ab illa ad vitam infantis, in aëre oſt partum actam, concludi.

§. 27.

Plus dubitationis in illa quæſtione eſt, quæ pulmones in aqua & totos & in partes diſciſſos attinet, ſi ſuperficie aquarum eminentiores ſunt: Summi enim viri, non levibus rationibus adducti, hoc experimentum ſuſpectum omnino reddiderunt. Tres potiſſimum eventus eſſe perhibentur, ſub quibus a natante pulmone, ad vitam fœtus poſt nativitatem actam, concludi haud poſſit. *Alter* eſt, ſi fœtus ante partum in utero matris ita ſitus fuit, ut os ejus orificio uteri interno prope ſit, atque illi applicetur, ut in hac poſitione aërem in ſe recipere valeat. *Alter* exiſtit, ſi, defuncto fœtu ante nativitatem, obſtetrix vel mater ſuperſtitione adducta, ac ſi vitam mortuo redditurae ſint, aërem ejus ori inſufflant, quo in caſu natabunt pulmones ſine reſpiratione vitali acta, poteritque rea in quæſtionis rigoroſioris periculum adduci, viderique, ac ſi fœtum poſt peractam ab illo vitalem reſpirationem occidiſſet. *Tertius* denique ille eſt, quod pulmones defunctorum ante nativitatem infantium putredine tacti, natandi facultatem impetrare ab hac ſua putredine poſſe dicantur, ut propterea, ſi putridus infans repertus eſt, ejus pulmones, dum natant, vitam fœtus poſt nativitatem ſignificare, poſſe haud videantur. Verum, quod priorem caſum attinet, ille in foro nunquam obvius eſt, nam ille HEISTERI caſus, in quo pulmones ante

partum

partum defuncti natare vidit, quem etiam BOHNIVS & ALBERTI asserit, nec nos, existere posse, negamus, nunquam inquisitionis criminalis objectum esse potest, quia semper de inquisitis agitur, quæ clam sine ullo auxilio pepererunt, quarum adeoque infantes in illo HEISTERI situ, esse non potuerunt, cum tales partus, quibus datum est respirare in utero posse, capite ossi pubis maternæ insistant ita, ut non nisi mortui, ope obstetricis, educantur, veluti ex comparatione Programmatis ejus, *quo ostenditur, ex pulmonis fœtus innatatione vel submersione in aqua nullum certum infanticidii signum desumi posse Helmst. 1722.* cum dissertatione superius adducta, facile apparet, in qua excellentissimus autor, aliter quam in Programmate scriptum est, os uteri ori fœtus oppositum patensque, ipsum fœtum illum sponte natum haud fuisse, sed arte chirurgica educi oportuisse, declarat. Alter ille casus, quem BOHNIVS in sua de infanticidio dissertatione excitat, quo infantis pulmones ab inhalatione mulierc ularum aërem accipiunt, sicque natant, posset omnino, si eveniret, dubium medici judicium reddere, sed victum tunc per testes esse debet, talem inspirationis actum vere celebratum fuisse, sub qua conditione, experimentum pulmonis in aqua natantis vitam partus post nativitatem luculenter haud significare, *Facultas Medica Lipsiensis* apud BOHN. l. c. p. 182. respondit, utpote in causa sanginis, pro qua in re dubia standum semper est,

eſt, quamvis & tunc dubium ſupereſſe poſſet, an inhalatio in os partus mortui ſuſcepta, ob mucos in faucibus tenelli collectos, aërem ad pulmones compellere, eundemque per illos ita æqualiter, ut omnes eorum lobi abinde tumeſcant, diſtribuere poſſit.

§. 28.

Gravior illa eſt, quam ex Facultatibus Medicis quædam, & nonnulli artis doctores contra valorem experimenti, quo, pulmones in aqua natantes vitam fœtus poſt nativitatem ſignificare, perhibentur, movent, dubitatio, qua illi a putredine ad ejusmodi raritatem & levitatem adduci, quo natare poſſint, dicuntur, atque hoc eſt perpetuum patronorum cauſæ refugium, ut, ſi putrilaginis quidpiam in partu deprehenſum eſt, ſi cuticula abſcedit, ſi ſero repertus, maxime calidiore anni tempore, infans eſt, pulmonibus natandi facultatem abinde datam eſſe, adeoque de vita partus poſt mortem nihil conſtare, quin, mortuum natum præſumi tunc oportere, concludunt, habentque ſibi conſentientes magnæ famæ viros ALBERTI, in illa ſua, *de pulmonum ſubſidentium experimenti prudenti applicatione, Diſſ. Halæ 1728.* hab. & alios qui putredini in mutanda corporum gravitate aliquid largiuntur. Verum, ſi experientia militandum eſt, eam ſemper ſibi contrariam habebunt illi, qui a putredine pulmones natare dicunt, quod audacter affirmare haud dubito, cum mortuorum in utero fœtuum humanorum pulmones, data opera ad ſummum putredinis gradum pro-

provectos, ſemper demerſos viderim. Qui hoc experimentum capturi ſunt, voluntque fœtuum ante nativitatem defunctorum pulmones putrefacere, ſciant, fallacem illis apparitionem obvenire, nam videbunt, pulmones in illa aqua, intra quam putrefacti fuerunt, ad ſuperficiem efferri, putabuntque, nunc confectam eſſe putredinis vim pulmones rarefaciendi, ſed ſubito percipient mergi pulmones, ſi illos in aquam recentem projecerint, cur autem in illa ſpurca, putrida, ac fœtida aqua ſubſidere haud poſſint pulmones, ratio illa eſt, quod columnæ aqueæ orta a putredine & abraſis pulmonum putreſcentium fibris denſitas, deſcenſui pulmonum reſiſtit. Quod expertus ſum, alii ſimiliter comprobaverunt oculatiſſimi viri, BOHNIVS *in diſſertatione ſua de Infanticidio p. 175.* Clariſſimi Medici Lipſienſes D. AVGVSTVS QVIRINVS RIVINVS, atque IOANNES LANGIVS, quorum experimenta, cum vitulorum ante nativitatem defunctorum pulmonibus inſtituta, cum reſponſo, de valore pulmonum natantium vitam fœtus poſt nativitatem ſignificantium, excitat D. SCHREIERVS, Erörterung und Erklärung der Frage, ob es ein gewiſſes Zeichen, wenn eines Kindes Lunge im Waſſer unterſincke, daß ſolches in Mutterleibe geſtorben ſey. Zeitz 1690. 4. & D. HERM. FRID. TEICHMAYERVS *in medicina ſua legali p. 139.* illi ſententiæ ſubſcribit; Accedit experientiæ ratio: Cum enim Thorax cavum ſit aëre vacuum, veluti diaphragmatis convexitas etiam in mortuo probat, quæ

ſubito

ſubito mutatur, ſi aër per vulnus ad pectus demittitur, in loco autem aëre vacuo nihil putreſcat, ideoque, niſi ante thorax a putredine deſtructus in ſectione legali deprehenditur, pulmones putridos, id eſt laxos, molles, fœtidos, nemo ſecantium inveniet, neque, etiamſi putridi vere fuerint, natandi facultatem abinde accipere potuerunt. Sane eo usque favendum impiæ infanticidarum cauſæ haud eſt, quo artificiis, ac ſcholaſticis diſceptationibus ad detinendos a ſeveriore ſententia judices, uti velimus. Interea, ſi putredo deſtruxiſſet corpus, ut propter ſummam ejus corruptelam certi quidpiam conſtitui haud poſſet, illud ſcepticorum, *μηδὲν ὁρίζομεν* (s), *nihil definimus*, eo plus locum habet, quo minus, etiamſi de vita fœtus poſt mortem conſtaret, de mortis ejus cauſa aliquid tunc liqueret, cui ſententia ſeverior ſuperſtrui poſſit.

§. 29.

Minima ex omnibus illa eſt, contra fidem pulmonum in aquis natantium, dubitatio, qua fœtus in utero adhuc clauſo reſpirare poſſe dicitur, id quod ſi ita eſſet, omnium fœtuum ante nativitatem mortuorum pulmones in aqua natarent, nec fortaſſe unus vel alter plenos aëre pulmones ſecum afferret, & fœtuum ante nativitatem defunctorum nullus ſubſidentes in aqua pulmones haberet, quod contrarium eſt experientiæ: Confutavit hanc ſententiam *illuſtris* BERGERVS *ſua de vagitu uterino diſſertatione*, & Autores, qui ſtatuunt

(s) DIOGENES LAERT. Libr. IX.

tuunt, confutavit (t), & inter alios ZELLERVM (u), qui, ut fallax pulmonum experimentum esse evinceret, respirationem fœtuum comprobare annisus est, arbitraria aliqua opinione, qua aërem in liquore amnii, qui embryoni circumest, deprehendi, existimat, ad vagitus in utero exauditos provocans, qui sine respiratione fieri haud possent. Hos ab infante editos fuisse, qui credit, fidem etiam adhibere poterit narrationi illi, quæ est apud LIVIVM (x) qua, infantem in utero, *io triumphe*, exclamasse, perhibetur. Levis est ista controversia, quæ attingi haud meretur. Objicit ZELLERVS, pullos in ovo pipientes audiri, & esse in obtuso ovi loco folliculum aëre plenum, quod visus doceat, ideoque ex analogia, quam alibi assumimus, ut a nutritione pulli in ovo ad nutritionem fœtus in utero concludere soleamus, oportere etiam circa fœtum esse aërem, qui viis haud satis cognitis pulmonem subeat. Verum ab animalibus ovo exclusis, ad illa, quæ in utero, vacuo aëre loco, perficiuntur, neutiquam valet conclusio, neque ante pulli pipiunt, quam ovi corticula ab incremento pulli aucto effracta, & hinc aëri via concessa est. Scholastica hæc est disputatio, & nemo sapientum de respiratione fœtus in utero serio cogitavit.

§. 30.

(t) D. IO. GEORG. a BERGEN de Vagitu uterino. Frf. ad Viadr. 1714.

(u) D. IOAN. ZELLERI disput. medico-forensis de pulmonum in aquis subsidentia, Halæ 1725.

(x) Historiæ Rom. Decad. 3. Lib. I.

§. 30.

Illa autem dubitatio ſpecioſi quid habet, qua infans media ſui corporis parte de utero progreſſus, reſpirare poſſe, dicitur, quo reſpectu caſus aliquis foret, quo fœtus in lucem nondum editus aërem ducere poſſet, dicique valeat reſpiraſſe, qui nondum perfecte natus erat. Hæc poſſibilitas magnum cauſæ infanticidarum parere poſſet patrocinium, poſſet enim infans reſpirans, nec tamen natus, inter femora matris, nullo actu mortifero exercito, ſola pariendi difficultate oppreſſus fuiſſe. Sed negant artis obſtetriciæ doctores, hoc ita perfici: Inchoante enim partus negotio tali, quale eſt clam parientium & partum ſine auxilio edentium, cum caſus alius in quæſtionem nunquam veniat, quam qui facilem partum involvit, caput infantis obtuſum, facie occulta atque ab aëris contactu excluſa, ſenſim prodit, ſubſequuntur axillæ, nec tunc quidem reſpirandi facultas eſt, caput enim naſcituri mentum prope ad pectus poſitum habet, ut reſpirare hoc ſitu haud poſſit. Quodſi autem ultra axillas eminet embryo, nulla porro mora eſt, & ſtatim partus abſolvitur, urgentibus fœtum conatibus. Adeoque futilis ille prætextus eſt, media corporis parte prominentem fœtum in partu hærere, reſpirare, ibidemque mori poſſe: Etiamſi largus ſim, & partum eminente capite, ſubſiſtere poſſe, putem, erit tamen tunc talis naſcituri ſtatus, in quo thoracem dilatare nunquam poterit, ſiquidem reſpiratio neutiquam in ſpontaneo aëris per

os

os atque fiſtulæ, qua reſpiramus, caput, *Larynx* dictum, irruptione, ſed in actione muſculorum pectus diducentium ponitur: Nullus autem modus eſt pectus diducendi, ſi fœtum os uteri, ſane validiſſimum, amplectitur, illiusque thoracem tenet ac veluti ſtrangulat; in illo caſu BOHNII atque HEISTERI poſſet forte fœtus reſpirare, quia uterum circa ſe laxum, effuſis ante aquis, habet, aſt in hoc, ubi fœtus in amplexu oſtii uterini hæret, nunquam quisquam reſpirabit: Firmum adeoque medicinæ legalis principium eſt, vivos in lucem editos eſſe, quorum pulmones, experimento cum aquis inſtituto, natant.

§. 31.

Quando ſecantes thoracem fœtus aperiunt, ut experimentum illud, quo quæſtio de vitâ fœtus ante vel poſt nativitatem acta decidenda eſt, inſtituatur, nihil omittant eorum, quæ fieri oportet, ut omni ſuſpicione tentamen deſtituatur. Pulmones cum corde inter illos medio, a vaſis majoribus, quibus cor annexum eſt, *vena cava atque aorta*, hinc a mediaſtino poſtico, cui capſa membranacea cor amplectens ſeu pericardium annectitur, ſeparent: Hos, ſi infans mortuus natus eſt, videbunt carnis rubellæ inſtar, compactos, collapſos prope tergum ita jacere, ut nihil emineant, hinc pericardium cum corde nudum conſpici poſſit, quod a pulmonibus, ſi illi aërem hauſerunt, tumidis circumquaque tegitur. Poſſet etiam rubellus pulmo eſſe, imo albidus, quæ differentia nullum diſcrimen affert, ut, quia

illum ſecantes haud deſcripſerint, incertum propterea corpus delicti dici debeat: Nam coloris pulmonum differentia, a ſanguinis copia vel inopia, neutiquam autem ab aëre dependet, ut poſſit, ſi albus pulmo eſt, reſpiraſſe videri, ſed pro mortis genere, ſi durante partu inter magnos labores fœtus, anteaquam reſpiraret, mortuus eſt, rubri, ſæpe lividi, ſi ſua morte extinctus eſt, pallidiores ac hepatis particulæ ſimiles ſunt. Deinde cor a pulmonibus ſeparent, ne cordis pondus pulmones ſecum in fundum vaſis dejiciat, quod fieri poſſet, ſi ventriculi ejus, maxime dexter, ſanguine repleti ſunt, atque auricula quoque cordis dextra ſanguine venoſo tumet, veluti eſt in ſuffocatis. Si videant, pulmones fundum vaſis petere, examinent, annon unus lobus præ altero plus emineat, poſſet enim debilis fuiſſe inſpiratio, quæ nihilominus vitam fœtus poſt nativitatem ejus actam indicaret. Id quod ut clarius intelligant, diſſecandi in minuta ſegmenta pulmones erunt, quæ, ſi omnes fundum petunt, fœtum haud reſpiraſſe, licet forte vixerit, ſignificant; Si pulmones valde rubent, quod a ſanguine intra illos collecto oritur, ſimulque fundum petunt, exprimendus ex particulis diſſectis ſanguis eſt, cum ille, *referente* THEOPHILO BONNETO *in ſepulchreto anatomico T. I. Libr. 2. Sect. 1.* pondere ſuo pulmones deprimere ſoleat. Caveant autem, ne ex eo, quod pulmones in aqua ſubſident, ad mortem ejus ante nativitatem, concludant, ſed ſufficit exinde concluſiſ-

cluſiſſe, quod infans haud reſpiraverit, vixiſſe autem, etiam haud reſpirantem, perhibebunt, ſi, vitam illi continuatam poſt nativitatem fuiſſe, ex fluxu aliquo ſanguinis vitali perceperint. Quodſi autem pulmones vel integri quanti ſunt, vel in partes diſſecti, aliqua ſui particula natabunt, niſi forte mulierem mortuo aërem ore inſufflaſſe perhibeatur, vixiſſe poſt nativitatem fœtum, etiamſi putridum cadaver eſt, audacter pronuntiabunt. Sufficit ergo ad judicium de vita fœtus poſt nativitatem acta, pulmonum expanſio vitalis inſpirato aëre facta, aut fluxio vitalis ſanguinis, in partu viſa, vitam ſupponens, nec opus eſt ad alia provocare, quæ dubia ſunt. Meconium enim ex ano naſcentis fluens, ad vitam ejus poſt nativitatem actam cognoſcendam nihil facit, cum & mortuis fluat. Aquam, in qua experimentum inſtituitur, oportet eſſe limpidiſſimam, ſunt qui tepidam volunt, ne ſcilicet, ſi turbida aqua eſt, ſpiſſitudini illius tribuatur, quod pulmones ad ſuperficiem elati fuerint. Similiter vas eſſe debet ſatis profundum, ut, ſi pulmones merguntur, alte merſi eſſe dici poſſint, utque, ſi natant, fundum haud attigiſſe, recte perhibeantur.

§. 32.

Quodſi ergo de vita fœtus poſt nativitatem acta per ſigna clara atque indubitata conſtat, in cauſam mortis ejus, *qui alter ſectionis legalis finis eſt*, inquiritur: Niſi enim ante nativitatem defunctus eſt, quod per ſigna ſuperius adducta conſtat, ſi tempus nativitatis ſalvus attigit, vel

ex fœtus pleno corpuſculo, ex placentæ uteri atque funiculi ſtatu recente, nec flaccido, nec putrido, colligi poteſt, nihil ſane ſupereſt, quam quo ille, vel durante partu vel poſt illum, *caſu*, *culpa*, vel *dolo* perierit. Varia ſunt mortis recens natorum genera, atque ex illis unum neogenito proprium eſt, *lethalis* ſcilicet per funiculum umbilicalem haud obligatum ſanguinis fluxio: Nam reliqua mortis genera infantibus accidere poſſunt etiam natu majoribus, qualia ſunt, mollium capitis oſſium compreſſio, vertebræ primæ ac ſecundæ, quæ occipiti junguntur, luxatio, acus longioris in fonticulum patentem depulſio, thoracis violenta compreſſio, juguli aliarumve partium vulnera, cum variis ſuffocandi modis.

§ 33.

Funiculus umbilicalis recens nati, per ea, quæ ſuperius dicta ſunt, cognitus, ſtatim ex quo infans natus eſt, præſcinditur magnaque cura deligatur, a quo officio obſtetrices ὀμφαλοτόμοι, *umbilicorum præſectrices* penes græcos dictæ fuerunt. Hæc prima chirurgia eademque valde neceſſaria eſt, licet eam inutilem, ac uſu magis quam neceſſitate inductam, IOANNES HENRICVS SCHVLTZIVS *Halenſis Academiæ* fulgidum quondam ſidus, in problematica ſua: *an umbilici deligatio in nuper natis abſolute neceſſaria?* diſſertatione *Hal. 1733.* prædicet. Hæc chorda ex ſupra dictis ſanguinis materni ad fœtum, & ſanguinis ex fœtu ad placentam vel matrem revertentis via eſt; Hæc absque naſcentis

ſcentis periculo, nec placentæ continua, neque, ubi præſecta fuit, ſine deligatione diu manere poteſt ſanguis enim ille, qui ex fœtu, motu cordis ejus per utramque arteriam umbilicalem ducitur, tanquam ex vulnere arteriarum, magno cum impetu & brevi tempore omnis emanat, vel tam minima ejus pars manet, ut vitæ ducendæ haud ſufficiat. Ergo deligandus funiculus umbilicalis eſt, a neglecta enim illius deligatione, ſub quibusdam conditionibus, mors infantis eſt certiſſima. Neminem movebit SCHVLZIVS, ut credat, eandem humani funiculi, quam qui brutorum eſt, conditionem eſſe, & concluſionem valere, ut, cum illorum funiculi ſine ullo hæmorrhagiæ metu rumpantur, humanus quoque fœtus chordæ ſuæ deligatione haud indigeat. Diſpar omnino utrinque eſt ratio, brutorum chorda ante nativitatem deſiccatur, quod ita neutiquam eſt homini, chordam fœtuum ſuorum animantia mordent, efficiuntque maſticando, quo minus fluere ſanguis lethaliter poſſit.

§. 34.

Aſt deligatio funiculi umbilicalis ad vitam naſcentis hominis ſervandam eſt neceſſaria, quoniam vis arteriæ utriusque umbilicalis, quæ ſanguinem ad placentam uterinam ducit, haud ſane eſt exigua, veluti avtopſia docet, qua, ſi funiculum umbilicalem præſectum videmus, duos ſanguinis radios ad inſignem diſtantiam projici percipimus, id quod fortaſſis ab illis, qui deligationis neceſſitatem, adeoque infanticidia ex hæmorrhagia umbilici fieri poſſe, negant, viſum ob-

ſervatumque haud eſt. Non autem, qui ita ſentiunt, ut, ex obligatione funiculi neglecta mortem infantis conſequi poſſe negent, rationibus ſuis deſtituuntur: Arterias diſſectas in ſe contrahi atque ſic claudi, vult SCHVLZIVS, cui accedit id, quod muſculi abdominales recti, inter quos iſtæ arteriæ ex abdomine procedunt, reſpiranti poſt nativitatem infanti claudantur arctius, ipſasque arterias comprimant. Poteſt etiam videri, ac ſi, diſſecta chorda, flacceſcentes arteriæ viam ſanguini præpedire poſſint, atque ipſi iſti nodi, arterioſi in quos arteriæ umbilicales convolutæ ſunt ita inſtruantur, quo metuendum a ruptura funiculi ſanguinis effluxum præpediant. Et largiendum quidem hoc illis eſt, ſi, ex fune longo & procul ab umbilico infantis præciſo, ſanguinem lethaliter effluere poſſe, negaverint: Quo enim longior illius eſt, quæ de abdomine pendet, particula, eo plus impedimenti contra fluxum mortiferum adeſt; Enimvero, quo brevior relicta ad abdomen chordæ umbilicalis portio eſt, eo minus reſiſtentiæ adeſt, propter quam ſanguis per vulneratas arterias nec deligatas effluere nequeat, nec tantum recens nati ſic intereunt, ſed etiam infantes, aliquo poſt nativitatem tempore, ex funiculo lethales hæmorrhagias, teſte THOMA BARTHOLINO *Hiſt. Anat. rarior. Cent. III.* patiuntur. Non autem tantum praxis fori frequens docet, per funiculos haud deligatos naſcentium ſanguinem lethali cum eventu fluere, veluti ex vacuitate vaſorum in cadaveribus reperta intelligitur, ſed

etiam

etiam clariſſimorum virorum relationes paſſim id docent (y), & licet ab excellentiſſimo TREWIO quædam obſervationes commercio Norimbergenſium & Ephemeridibus naturæ curioſorum inſertæ ſint, quæ contrarium affirmant, &, nullo ligamento circumducto breviter conciſos funiculos ſanguinem lethaliter haud fudiſſe, doceant, attamen, etiamſi hæc ita ſint, poſſintque multi hoc vulnus pati, quia retrotractæ arteriæ ſeſe intra celluloſum ac pinguiuſculum contextum chordæ umbilicalis abſcondunt, attamen ſine effectu ejusmodi exempla a defenſoribus adducuntur, ubi ipſa ſectio legalis eventui fidem facit, docetque, ſanguinem ex infante lethaliter fluxiſſe. Sed longa funiculi portio ad umbilicum infantis relicta, etiamſi deligata haud eſt, ſanguinem fluere haud ſinit, & illa a SCHVLZIO in adducta diſſertatione excitata exempla, manifeſtam, cur ſanguis fluere haud potuerit, cauſam habent, frigus ſcilicet & faſciam abdomini infantis preſſius adductam, veluti Excellentiſſimus D. PHIL. ADOLPH. BOEHMERVS in diſſertatione *de neceſſaria funiculi umbilicalis, vi vaſorum ſtructuræ in nuper natis, deligatione Halæ 1745.* evicit, atque lethalem hujus neglectus eventum docuit quam eruditiſſime.

§. 35.

Interea ſub certis limitationibus, ſanguinem partus ex funiculo ejus haud deligato non fluxiſſe, nec ex hoc neglectu mortis cauſam petendam eſſe, largimur, ſi vacuitas vaſorum tanquam effe-

(y) Miſcell. nat. Curioſ. Dec. 2. anni VII. obſ. 193.

ctus hujus neglectus, per sectionem legalem haud reperitur, si longa, eademque nodis arteriosis instructa funiculi umbilicalis pars de abdomine mortui fœtus propendet; Si non dissectus, sed ruptus ille est, nam ruptæ in vivo arteriæ se ipsas claudunt, sique frigus nascenti fœtui progressum sanguinis impedivit (z).

§. 36.

Ex vena umbilicali quidquam effluere nequit, est enim illa sanguinis ex matre ad fœtum iter, & obsistit, ubi hæc vena in sinum hepatis immergitur, jugum valvulosum, regressum sanguinis impediens, nec motor adest, qui illius sanguinem versus umbilicum infantis pellere possit.

§. 37.

Quod autem funiculi obligandi omissionem attinet, illa sub conditionibus supra adductis, si brevis eius particula remansit, multo magis, si ex ipso abdomine evulsa fuit, mortis infantium causa est certissima. Quoniam autem a viso fune umbilicali non deligato, ad hæmorrhagiam lethalem exinde factam, concludere neutiquam licet, nisi hæmorrhagiæ ipsius signa vel effectus deprehendantur, ideoque, si umbilicum haud deligatum in funere infantis medicus videt, in vacuitatem vasorum venosorum inquirere debet quam curiosissime: Nisi enim hæc reperta fuerit, sine effectu hæmorrhagiam mortiferam per funiculum

(z) Conf. D. MICHAEL ALBERTI dissertatio de funiculi umbilicalis neglecta alligatione in causa infanticidii limitanda. Hal. 1731.

lum haud obligatum contigiſſe, concludet, cum, niſi probanti quod aſſeruit, nullibi, omnium minime in cauſa ſanguinis, fides habeatur. Eſt equidem inter ſigna effuſi per umbilicum haud deligatum ſanguinis, illud etiam, ſi magna cruoris quantitas circa infantem fuſa conſpicitur. Sed caveant ſibi ſecantes, ne huic ſigno fidant, dubitare enim fas eſt, an cruentatio iſta ex fœtus haud deligato umbilicali fune contigerit, an potius pro ſanguine illo habenda ſit, qui, Lochiorum titulo, educta placenta, aliquando etiam ante illam, effundi ex utero ita ſolet, ut haud raro infantes ſanguine materno tincti naſcantur.

§ 38.

In hoc negotio gerendo, inque definiendo fluxus ſanguinis per haud obligatum funem facti eventu mortifero, ita procedant ſecantes, ut venas majores ubique inſpiciant, *venas jugulares* in collo, *ſinus duræ matris* in calvæ cavo, *venam cavam*, *venas meſarrhaicas* ipſumque *venæ portæ* truncum; diſcindant hepar, videantque, an ſanguis ejus ſinubus inſit, ventriculum utrumque & utramque auriculam cordis examinent; Quodſi ergo illa vaſa ſanguine, uti ex hæmorrhagia defunctis eſſe ſolent, vel vacua, vel majorem partem depleta invenerint, concludere ad neglectæ deligationis effectum mortiferum certiſſime, atque ſimul, in illo caſu ubi infans poſt nativitatem haud reſpiravit & pulmones ejus in aqua deſcendunt, judicare poterint, nihilominus vixiſſe infantem, quia, ſi mortuus natus eſſet, per arte-

rias

rias umbilicales profundere ſanguinem haud potuiſſet.

§. 39.

Reliquæ mortis formæ naſcentibus communes ſunt cum omnium ætatum hominibus; Capite læſi pereunt, ſtrangulati, ex vulnere quovis, aliove modo decedunt: Singulis tamen his occidendi modis ſemper aliquid intercurrit, quod infanti, ob texturam partium propriam, aliter eſt, quam adultiori. Pleraque exempla infanticidiorum læſiones capitis involvunt, tanquam manifeſtam mortis cauſam, modo tamen ipſo incerto manente, quo illatæ fuerint, ut, an actu aliquo mortifero, admota nempe manu, an caſu quodam, & ſine voluntate violentiam infans tulerit, ex circumſtantiis ipſius afflictionis intelligi haud poſſit. Sæpe etiam mixtum mortis genus eſſe videtur, ut dubium ſit, qualis ex variis noxis vitæ finem fecerit. Reperitur infans mortuus, cujus funiculus obligatus haud eſt, cujus caput valde contuſum deprehenditur, qui præterea vulnus habet in jugulo. In hoc caſu potuerunt plures mortis autores fuiſſe; Caput inter femora puerperæ forte compreſſum fuit, quia ſine auxilio illa peperit; Lethalis forte per funiculum haud obligatum ſanguinis effuſio facta eſt, deinde mortuo diſſectum fuit jugulum: Vel, etiamſi infanticida omnium trium harum læſionum cauſa fuit, priores tamen, læſionem capitis & præruptionem funiculi, evitare forte haud potuit, cum præceps in humum laberetur partu expulſus infans,

infans, unde & læſio capitis & ruptura funis oriri potuit, aſt mater in illa, quæ conſueta novellis eſt puerperis, lipothymia cum verſaretur, funem deligare haud potuit; hinc, vulnus jugulo jam mortui fœtus intuliſſe videbitur. Quis ergo modus, veram mortis formam in hoc caſu inveniendi? Expedita res eſt: læſiones capitis ſubito haud necant, ſi ergo vacuitas vaſorum deprehenditur, ex hæmorrhagia mortuus eſt, ſed quali, dubium, an illa ex vulnere juguli, an illa ex haud deligato funiculo? Vulnus ergo ſedulo inſpiciendum eſt: ſi inter muſculos & vaſa ſanguis grumoſus effuſus fuit, dubium haud eſt, ex illo mortem conſecutam eſſe, ſi autem horum nihil eſt, non equidem ex vulnere juguli, tanquam actu, ſed ex chorda umbilicali haud deligata, tanquam neglectu, orta eſt pernities.

§. 40.

Si afflictiones infantium naſcentium capitibus illatas intuemur, quædam ex illis manifeſtæ ſunt, ſeque ſugillationibus & effuſo paſſim ſanguine produnt, aliæ ſunt abſconditæ, magnaque providentia & diligentia inveſtigandæ; Sub integumentis capitis communibus, primum tactu, deinde, diſſectis illis, viſu detegitur effuſus extra vaſa ſanguis, qui hæret in tunica celluloſa cutem ſuccingente, & areas efficit majuſculas, ac totidem veluti folliculos ſanguine turgidos producit. Hæc ſugillatio vel ſuper unius ac alterius, vel ſuper omnium oſſium calvariæ, *frontis*, *bregmatum*, *occipitis* regionibus deprehendetur; Si præter has ecchymoſes nihil ſanguinis verſus interio-

res

res & propiores locos effluxit, aut in ipſis ejus ventriculis, aut baſi calvariæ, reperitur, dubium ſane manet, an ex iſta violentia mors conſequi potuerit; Poſſunt enim, teſte BOHNIO, ipſaque experientia loquente, recens nati ipſique infantes, quamdiu mollia, nec futuris firmiter conjuncta oſſa calvariæ habent, magnas afflictiones impune ferre, fit etiam ſæpiſſime, quo difficili partu excluſi fœtus, capite vehementer contuſi, naſcantur, quod aliter fieri ſæpe nequit, ſi capite grandiuſculo prædíti embryones anguſto primiparārum uteri oſtio exeunt, & inter oſſa *pubis* ac tubera oſſium *Iſchii*, comprimuntur, interea ejusmodi læſiones ſuperficiales cutaneæ non occidunt; Adeoque in ſimili caſu, ſi illa, quæ nunc in quæſtione eſt, grandem capite fœtum edidit, ſique ſub externis tantum integumentis ſugillatum illud eſſe, conſpicitur, lethalem abſolute hanc læſionem fuiſſe, dici nequit; poteſtque haud definienda mortis cauſa ſubeſſe, aſt hanc in dubio relinquere quam audacter, ſine ſigno, definire, ſatius fuerit. Si autem, remotis integumentis capitis communibus, per commiſſuras oſſium teneriorum ſanguis transſudat fluidus, ſi oſſa rubent, ſuſpicio major eſt, effuſum cruorem ſub oſſibus calvariæ vi facta eſſe; Fallit tamen iſta apparitio, vidi ejusmodi infantium oſſa, ſecus, ac placida morte defunctis eſſe ſolent, ruberrima, nullum tamen ſanguinem ſub calva eorum effuſum deprehendi, & ruborem iſtum a ſanguine intra teneram

diploën

diploën, ſeu celluloſum intra utramque oſſium bregmatis tabulam contextum ſtagnante ortum duxiſſe, judicavi, hinc cauſam, ad aliquam partus difficultatem, cum caput infantis inter anguſtias orificii uteri interni hæreret, retuli. Verum remotis provide, ne duræ matris ſinus vulnerentur, oſſibus, ſi ſanguis inter oſſa calvariæ & duram cerebri meningem deprehenditur, etiamſi talis alibi ſuper cerebrum aut intra illius cava ſeu ventriculos haud repertus eſſet, nullum ſupereſt dubium, læſionem adeſſe, ex qua mors abſoluta aliqua neceſſitate conſecuta ſit, quoniam nulla ars eſt, quæ teneris opem ferre & ſanguinem hunc educere poſſit, quod aliter eſt in adultis, quorum oſſa futuris junguntur, proinde ſtabilia ſunt, & operationem chirurgicam ferunt, quæ Trepano perficitur, & qua ſanguis ſub oſſibus ſupra duram matrem hærens educi, cum aliqua ſalutis fiducia, poteſt. Sub pia matre & inter cerebri gyros hærens ſanguis extra vaſa fuſus, atque ille, qui in ventriculis cerebri, inque baſi calvariæ, aut circa cerebellum atque medullæ ſpinalis primordium reperitur, infantibus æque ac adultis exitialis eſt & abſolute lethalis.

§. 41.

Non ſtatim dimittatur infantuli funus, ſi cauſæ mortis nihil in ejus calva deprehenditur, ſed, cum occultæ læſiones eædemque lethales dentur aliæ, inquirendum in vicinos cerebro locos eſt. Collum obtorquent infanticidæ naſcentibus, ſic medullam ſpinalem, omnium, præter illos, qui a

medulla

medulla oblongata veniunt, nervorum originem, atque ſic influxum ſpirituum verſus corpus cohibent, & celerem mortem abſoluta moriendi neceſſitate inferunt: Hujus facinoris ſignum, ſecta calvaria, nullibi apparet. Quodſi autem vertebræ primæ, quæ *Atlas*, & ſecundæ, quæ *Epiſtrophæus* dicitur, confinia contempleris, ſanguinem tam inter cutem & muſculos occipitii, quam intra capſam oſſeam ex vertebris colli effectam, effuſum videbis, ſi tale facinus perpetratum eſt: Acus longa, per fonticulum membranaceum ad cerebrum adacta, infanti mortem attulit, apud ALBERTI *Iurispr. Medica Tom. I. p. 187.* eritque in hoc caſu area parva ſanguinolenta illo in loco, ubi acus infixa fuit.

§. 42.

Etiamſi autem de mortis cauſa proxima, cerebri ſcilicet per effuſum ſanguinem facta compreſſione, conſtet, modus tamen & cauſa antecedens ex viſis atque in funere repertis non liquet, dubiumque manet, an admota manu, an præcipitio ex utero in humum facto, an preſſione capitis durante partu, iſta violentia capiti illata ſit. Interea tamen conjectura quædam, qualis ex his tribus læſionum modis evenerit, inſtitui poteſt, ſi ad concurrentes circumſtantias advertas animum. Diceres forte, ſi infans durante partu caput oppreſſum habuiſſet, non reſpiraſſet, nec expandere potuiſſet thoracem, ſi caput, præcipitio de utero in humum facto, afflixiſſet, nam obortа ſubito paralyſis actum hunc vitalem impediviſſet.

viſſet. Sed oppreſſi cerebri effectus ille haud eſt, ut reſpiratio auferatur ſubito, videmus enim illos, qui ex alto cerebri vulnere ſtupidi decumbunt, libere reſpirare; In humum præcipiti partu delapſos fœtus judicare poſſes, ſi funiculus umbilicalis non diſſectus, ſed diſruptus eſt, ſed parum fidei in hoc ſigno eſt BOHNIO *Diſſert. de Infanticidio p. 185. 186.* caſus hujus poſſibilitatem & frequentiam tamen haud neganti: *Diſruptum* ait *funiculum caſu & fœtu a parturiente ſtante in humum ex improviſo præcipitato, non raro accuſant de infanticidio ſuſpectæ, firmantur etiam in effugio hoc a patronis cauſæ: Quibus equidem aliquando graves accedunt nonnulli medici, divulſionem ejusmodi funiculi, utpote ſecundum naturam tenacioris ac validioris compagis, niſi per corruptionem fuerit eroſus, perquam difficilem eſſe, aſſerentes, ſimulque metuentes, ne per præcipitationem nati impetuoſiorem ſecundina potius, forte cum utero quoque protrahatur ſeu evellatur, quam funiculus rumpatur. Ab obſtetricibus nihilominus peritioribus denotatum novimus, parturientibus ſtantibus ſibique ſolis relictis, fœtum cum impetu ejusmodi exturbatum, illum laceraſſe, & quidem in hujus parte modo altiore, modo profundiore, ſeu illi propiore, niſi extraordinariæ longitudinis fuerit*: Scilicet funiculus umbilicalis maturo fœtui molleſcit & facile rumpitur, longitudinis autem eſt illius, quæ fœtus ſtaturam aliquantulum excedit. Finge adeoque, ſtanti fœminæ ſupervenire conatus pariendi, eam ambu-

lantem conatibus reluctari, deinde, quod fieri poſſe, Die Berliniſche Wehemutter cap. 6. p. 128. aſſerit, infantem magno uteri conatu expelli: Videbis, hærente firmiter ſecundina ad fundum uteri, gravitante fœtu, rumpi funiculum, utpote qui humum ſua longitudine haud attingit, oportere. Quis autem fide jubet, hoc aſſertum ita fidum eſſe, ut dubitandum de ejus veritate haud ſit? Non enim ita fœtus utero decidunt, veluti poma vento excuſſa, omnium minime primiparis; Aſt, etiamſi huic excuſationi dare fidem nolles, activam tamen atque manualem aliquam afflictionem imputare propterea non poſſes. Inter crura parientis compreſſum naſcentis caput fuiſſe, magna veriſimilitudo oritur, ubi non una forte capitis regio, ſed totum illud, atque ipſa facies contuſa & ſanguine ſuffuſa deprehenditur.

§. 43.

Non deſunt veriſimilitudines, quæ ſecantibus parum exercitatis imponere poterunt, ut violentiam capiti factam fuiſſe, arbitrentur, cum vident ſerum ſanguinolentum ſub integumentis calvariæ, quod ſanguinem extravaſatum eſſe putant, cum tamen phlegma ſit partu duriore collectum, aut fiſſuras naturales oſſium capitis fœtus, ob habitum oſſeum nondum obfirmatum, pro fracturis habent, aut ſtigmata livida inchoantis putredinis ſigna pro ſugillationibus agnoſcunt. Caveant ſibi medici, ne facili ejusmodi & inconſiderata renuntia-

nuntiatione judices ad ſeveriorem ſententiam excitent.

§. 44.

Suffocati pereunt infantes ſubito ac nati ſunt; imo in ipſo partu ſæpe, circumducto ſibi funiculo umbilicali, enecantur, quod, poſt HIPPOCRATEM, *de partu octimeſtri libro*, FRID. RVYSCHIVS *de fœtu a funiculi umbilicalis mira contorſione enecato, Obſerv. Anat. Chirurg. obſ. X* & la MOTTE, *traité des accouchements, cap. XXII.* obſervaverunt. Accidit enim, quo, ſi longior funiculus umbilicalis fuerit, fœtus in aquis amnii volutatus, ſibi illum circa collum vel ventrem flectat, abinde duo ſunt quæ evenire poſſunt, *alterum*, hæmorrhagia, rupto fune intra uterum, veluti a D. MICHAELE ALBERTI *de funiculi umbilicalis neglecta alligatione limitanda p. 36.* obſervatum eſt, *alterum*, ſtrangulatus, ſeu interceptum ſanguinis iter per vaſa colli arterioſa ac venoſa, nam ſuffocari infans naſciturus nequit, ſi ſuffocatio mors eſt ab impedito aëris ad pulmones per aſperam arteriam itinere orta; compreſſum autem a funiculo jugulum infantis eſſe, ex eo patet, ſi circulus lividus circa collum a ſugillatione prementis funiculi ductus apparet. Quæ ſi ita ſunt, videbitur forte mors eorum, qui ex funiculo haud deligato, effuſo ſanguine, moriuntur, puerperæ deligationem negligentis tribui cum certitudine nunquam poſſe, nam ruptus ante nativitatem funis eſſe potuit. Sed nullum malæ cauſæ patrocinium exinde naſcitur: Nam quibus funis circa

collum flexus fuit, aut, quibus ille ruptus ante nativitatem eſt, & ſanguinem effudit lethaliter, ita facile haud naſcuntur, ut in quæſtionem criminalem venire poſſint, utpote quos mulier ſola ſine auxilio nunquam parit, qui adeoque latenter enecati non fuerunt.

§. 45.

Proprio ſignificatu ſtrangulatio mors eſt ex impedita aëris ad pulmones via orta, quam naſcentes cum adultis communem habent, ut propterea, quæ de ſuffocatorum ſignis memorabantur alibi, huc quoque pertinent, nec alii, quam qui tunc adducendi ſunt ſuffocationis effectus, hic obveniunt. Vtrinque enim 1) ex lividis circa jugulum maculis, ſanguinem effuſum ſub ſe habentibus, 2) ex facie livida, lingua tumida, prominula, 3) ex venis piæ matris ac jugularibus ſanguine diſtentis, 4) ex pulmonibus lividis & ſanguine ſuffuſis, 5) ex ſpuma oris, 6) ex ventriculo cordis anteriore ſanguine pleno, ex aëris defectu mortem ſubſecutam eſſe, conjicimus. Sed ultra probabilitatem, niſi externa ſigna illatæ jugulo violentiæ ſimul concurrant, vix quidquam ex his affirmare licebit. Eſt tamen aliquod ſuffocationis genus, quod naſcentibus præcipuum manet, illud ſcilicet impedimentum, quod parientes fœtibus ſuis objiciunt, quo minus reſpirationem inchoare poſſint, quando, quod frequentiſſimum eſt, cloacam petunt, aut ſupra vas aqua ac ſtercoribus plenum deſident, fœtumque in merdam dejiciunt, ita quidem, ut vel reſpirationem inchoare

choare ille nequeat, vel eandem habeat tenuem ac pro vita insufficientem, morique illum ita oporteat miserrime. Circa hanc quæstionem multa sane eademque vexatissima juris medici momenta expedienda veniunt: Quodsi enim infans haud respiravit, adeoque ejus pulmones ad experimentum deducti, haud natant, mortuus natus esse videbitur, quoniam a partus facilitate ad nativitatem vivi nemo concludere facile possit, & defuncti in utero fœtus eadem facilitate nascantur: Verum supplet defectum experimenti pulmonici, sanguis extra vasa fusus, qui, vivum natum esse, clare docet: Altera difficultas circa hunc casum eveniens illa est, quæ animum occidendi attinet, ubi enim quæritur, an eo animo ad cloacam concesserit, quo voluerit fœtum in eandem dejicere mulier, nisi propria adsit confessio, multa sunt, quæ pro illa militant, & primo quidem inevitabilis ille desidendi stimulus, qui mulieres, sub ipso partus primordio, etiam nolentes ad cloacam compellit, utpote quæ dum se alvum exoneraturas putant, a conatibus pariendi deprehenduntur, & ita sæpe a nixibus detinentur, ut loco cedere haud possint, ut adeoque non animo occidendi, sed alvum deponendi, ad cloacam concessisse dicantur inculpatæ. Sed convincit illas natura partus, cum enim viderent proxima partus signa, aquas vel mucos erumpentes utero, de alvi deponendæ necessitate minus, quam de vero partu cogitare debebant, & detinere illas poterat motus fœtus, qui sese paulo ante partum quandoque, licet perpetuum illud haud sit, manifestat.

§. 46.

Inter peculiaria ſuffocationis neogenitorum ſigna, illud eſt, quod, ſi ſtatim a partu ſub ſtragulis oppreſſi jacuerunt, nec ad uſum aëris plenarium pervenire potuerunt, pulmones habeant aëre ſemiplenos, ut, diſſectis illis, particula, ſi experimentum inſtituitur, fundum petat, reliquis ad ſuperficiem emergentibus. Præterea etiam, peregrinæ res in faucibus tenellorum repertæ, uti ſunt paleæ, lintea, ſuffocationem factam evincunt, ſi reliqua ſigna reſpondent. Sulphure accenſo impia mater partum enecavit apud ALBERTI *Iurispr. Med. Tom. I. p. 168.* quod pulmonibus lividis cognoſci potuit.

§. 47.

Neglectus curæ fœtui debitæ actui mortifero æquivalet. Adeoque, quæ funiculum non deligant, vel, quod idem mortis fœtus cauſa eſt, placentam ſimul cum illo exeuntem haud ſolvunt, contra frigus miſeram ſobolem haud defendunt, quodſi tunc noxa ex funiculo haud deligato orta per ſigna cognoſcitur, quodſi etiam ſatis potentes ſuique conſciæ fuerunt, quo potuerint auxilium naſcentibus ferre, neque, quod in poteſtate erat, ſervandæ ſobolis cauſa, perfecerunt, pro infanticidis habentur merito. Sed objiciunt defenſores, atque ex natura partus ſine auxilio celebrati, defectionem animi diuturnam ſeu ſyncopen probabilem eſſe, ſatis pie, utinam ſatis juſte, prætendunt, quibus etiam medici ſuper hoc argumento quæſiti favent, ſi, partum durum fuiſſe, ex magnitu-

gnitudine fœtus probabile eſt. Aſt quamvis etiam ita res ſeſe habeat, non tamen effugiunt, nam neglectum commiſerunt celando graviditatem & eripuerunt fœtui partus auxilia in matura confeſſione poſita. Excuſarem tamen puerperam, quam, temporis partus haud conſciam, ſub dio verſantem, dolores pariendi occupant, & cui fœtus propterea perit, quia illum contra inclementiam aëris defendere nullo modo poterat.

CAP. II.

De Læſionibus mortis cauſis.

ARTICVLVS III.

De lethalitate vulnerum capitis.

§. 1.

Prout partes corporis organicæ ad vitam plus vel minus conferunt, ita quoque earum læſiones majus vel minus afferunt periculum, atque mox certam mortem eamque ſæpe celerem inducunt, mox aliquam vitæ ſpem ſupereſſe ſinunt, eamque vel dubiam, vel certiorem. Proinde, veluti quis ex nobilioris partis afflictione moritur, ita quoque dicitur vel mortis cauſam inſuperabilem, vel talem habuiſſe, quæ arte vinci potuiſſet, niſi eventus haud prævisus convaleſcendi negotium interrupiſſet. Illa autem organa curationibus plus magisque obſiſtunt, quorum actio ceſſare, vita manente, nequit, & quæ

propterea appellantur vitalia, uti ſunt *Cerebrum, Cor cum vaſis majoribus*, atque *Pulmones*. Hæc enim viſcera, ubi noxam tulerunt, qua nexus partium illa conſtituentium turbatur, cum defectione functionis ſuæ, formam etiam vitæ, quæ in circulo ſanguinis & humorum ponitur, vel ſubito auferunt, vel lenta equidem, aſt incoërcibili aliqua ſymptomatum ſucceſſione delent, adeoque læduntur abſolute, ſimpliciter & per ſe lethaliter, ſi ſuæ ſubſtantiæ, ad actionem exercendam neceſſario requiſitæ, jacturam paſſa fuerint. Quamvis autem harum partium vitalium eadem ſit erga vitam relatio, & deſtructio illarum per violentiam externam facta pariter ſit immedicabilis, hac differentia, ut celerius quidem cordis atque vaſorum majorum vulnera, proxime cerebri, paulo tardius pulmonum afflictiones occidant; oportet tamen me in exponendis viſcerum deſtructionibus mortem vel incoërcibilem, vel ſub certis conditionibus evitabilem afferentibus, eum, quem doctrina de ſano homine ponit, ordinem ſervare, deque læſionibus capitis primo loco agere, quandoquidem in illa regione actiones regentes, quas ἡγεμονικὰς græci appellant, a quarum vigore reliquæ omnes pendent, exercentur, animæ ſcilicet functiones, tam illæ, quæ homini propriæ ſunt, ejusque principio immortali debentur, quam illæ homini atque animantibus reliquis communes, quas principium aliquod ſubtilis materiæ, quod *ſpiritus animalis* vel *fluidum nervorum* dicitur, ad normam ſtructuræ organi unius cujusque, exercet.

exercet. Si caput accipimus, uti eſt globus in ſemicirculum mobilis, ex partibus duris, oſſibus, atque mollibus variis, effectus, intra cujus fines, objectorum facultates ſenſibus percipiuntur, ſimulque actiones quædam ad vitam, *veluti reſpiratio*, & ad nutritionem, *veluti eſt manducatio atque deglutitio*, inchoantur, ad unam ſane ideam læſiones ejus convocare vix poterimus, cum organorum intra capitis pomœria poſitorum eadem haud ſit ad vitam neceſſitas, neque eadem mortem inducendi, ubi læſæ ſunt, potentia. Nulla tamen illarum partium eſt, quin aliquando ejusmodi offenſionem accipere poſſit, ex qua mors conſequatur. De omnibus adeoque læſionibus, organa intra capitis limites poſita vehementer affligentibus, valet prognoſis, ob propinquitatem communis omnium nervorum principii, cerebrum puta, periculoſas eſſe, & verſus mortem plus propendere. De illis autem primo loco agendum eſt, quæ cerebrum ejusque involucra attingunt, læſionibus, ſive cruentæ ſint, inque aliquo ſive aperto ſive clauſo vulnere ſeu contuſione conſiſtant, ſive ſint incruentæ, inque ſola cerebri commotione, lethales effectus producere valente, ponantur, ſive denique ad integumenta mollia tantum, ſive ad illa & dura ſimul, ſeu denique ad involucra proxima cerebro, ejusdemque ſubſtantiam ac cava pertingant, pro quarum partium vario detrimento, varia etiam eſt mortem faciendi potentia, eademque vel abſoluta, vel ſub certis conditionibus limitata.

§. 2.

Quo propiores ad cerebrum afflictiones factæ fuerint, eo illæ semper plus ad mortem quam vitam propendent. Non autem tantum de gravibus ac magnis, ex quibus quis defunctus est, capitis læsionibus, quæstio criminalis movetur, sed etiam læsiones parvæ, quæ integumenta saltim externa tetigerunt, salvis ossibus, si mors postea consequitur, in suspicionem adduci possunt, uti læsio externa instrumento alio atque alio effecta est, ex cujus applicatione tremor cerebri, & forte vasis cujusdam ruptio, vel abscondita ossium calvariæ rima, enasci potuerunt, ut proinde, qui ex vulnere capitis, tanti non esse vilo, ut mortem inferre potuerit, denascitur, nihilo minus cadaver ejusque calvariam dissecandi necessitatem faciat judici, quam, si læsio magna & luculenta fuisset. Cæteroquin nullum vulnus externum capitis est, si substitit in ossibus calvariæ, quin curationem admittat, adeoque, si quis tali vulnere accepto moritur, ex vulnere per accidens lethali occubuisse perhibetur. Vulnera, quæ musculum crotaphitem seu temporalem dissecuerunt, HIPPOCRATI periculosa sunt, uti monet, quando docet, cranii fracturas, quæ tempori subsunt, usu *περίονος*, serræ aut terebræ vel trypani, curari non posse: *ὁ δὲ κρόταφος, καὶ ἄνωθεν ἔτι τῷ κροτάφῳ κατὰ τὴν φλέβα τὴν διὰ κροτάφου φερομένην, τοῦτο δὲ τὸ χωρίον μὴ τάμνειν, σπασμὸς γὰρ ἐπιλαμβάνει.* *Quod tempora & eam, quæ temporibus superior est, regionem, juxta*

juxta arteriam per tempora delatam, attinet, illam regionem ne ſecato, nam convulſionem infert: Quamvis enim ex natura hujus muſculi ipſius nullum eſſe poſſit vitæ periculum, niſi quod muſculus ille, valido tendine atque ipſo pericranio comprehenſus, inflammari vehementer poſſit, vulnus tamen arteriæ, quæ ibidem decurrit atque ipſius arteriæ *carotidis externæ* continuatus truncus eſt, ubi ſectum latumque vulnus fuerit, poſſet, abſente vel ſerius adſcito chirurgo, vehementem atque imbecillo homini lethalem hæmorrhagiam intuliſſe, ſiquidem illa arteria, uti in ejus ſectione ſtudioſe facta videmus, magnam brevi tempore ſanguinis vim ejicit, cum cordi prope ſit. Sic quoque, quod ſuper oculos ad radicem frontis ſit, vulnus, teſte eodem HIPPOCRATE, niſi lethale, oculis tamen pernitioſum eſt, ob deſtructum, qui ibidem ex orbitæ ſuperiore margine procedit, nervum, quique *ophthalmici* ramus eſt. Cæteroquin vulnera ſecta per omnem capitis externum ambitum innoxia ſunt; verum, quæ, cum integumentis, *pericranium*, id eſt eam, quæ oſſa bregmatis cingit, membranam auferunt, adeoque oſſa denudant, vulnera, ἢν τὸ ὀστέον ἐψιλώθη τῆς σαρκός, *ſi os carne nudum ſit*, teſte HIPPOCRATE, periculum, orto fungo, afferunt, ſed plus, ad chirurgi quia male medicatus eſt, quam ad aggreſſoris rationes referendum. Sic quoque contuſæ, quæ calvæ oſſibus circum ſunt, carnes vel membranæ, collecto ſub ipſis prope os ſanguine, neglectu chirurgi, os ipſum vitiare poſſunt, unde antiqua fiunt ulcera,

ulcera, ἐπὶ πλέονα χρόνον καθαιρόμενα, *in quibus curandis chirurgus diu eſt*, cum opus ſit, niſi ſubito ſecto tumore ſanguis educitur, partes iſtas διαπυέντας ἐκταχῆναι, *ſuppurando abſumi*, unde ſæpe fit, quo, exeſo oſſe, ad meningas ipſumque cerebrum deſcendat vitium & ſera mortis cauſa, nulla aggreſſoris, quantum ad mortem, culpa, exinde ſubnaſcatur.

§. 3.

Oſſa, quæ calvam conſtituunt, & ſtationem organi, quod omnis ſenſus motusque principium, ſpiritum ſcilicet, efficit atque movet, ſua inter ſe commiſſura, compingunt, ab illata ſibi injuria mutari ita poſſunt, ut, qui ibi læſus eſt, vel in præſentaneum vitæ periculum exinde conjiciatur & difficulter ſervetur, vel ex illa læſione pereat, etiam ſi ſola oſſa deſtructa fuerint, nihilque ex ſubſtantia ipſius cerebri deceſſerit; Cum autem de læſionum iſtarum effectibus mortiferis, vel abſolutis, vel ad certas circumſtantias reſtrictis, ſine ipſorum horum oſſium cognitione judicare nemo poſſit, ſcire refert, qualia iſta ſint, qua ratione inter ſe jungantur, quibus cerebri partibus ſub ſe comprehenſis reſpondeant, quod in actu forenſi medico ita neceſſarium eſt, uti chirurgo, cui covs τὴν διάγνωσιν τῶν ἐν τῷ ὀστέῳ ἐόντων, *dignotionem partium ſub oſſe contentarum*, ſuadet.

§. 4.

Oſſa totius capitis dividuntur in ea, quæ ſunt *faciei*, infra futuram transverſalem, quæ frontem a radice naſi dividit, & ea, quæ ſunt *calvariæ*. Ex calva-

calvariæ osſibus, quædam illi ſunt propria, *duo* nempe *ſincipitis* aut *bregmatis* oſſa, atque unum *os occipitis:* Reliqua, *duo temporum*, *unum frontis*, aliquando futura diviſum, faciem ſimul attinent, veluti duo illa in baſi calvariæ ſita, *ſphenoideum* palatum attingit, ac *ethmoideum*, cui, a lamina perforata, *cribroſo* nomen eſt, naſo jungitur. Horum oſſium compages, quando nunc de natu majorum calva ejusque læſionibus agitur, futuris firmatur, quarum aliæ *veræ* ſunt & denticulis conſertis fiunt, aliæ *ſpuriæ*, quæ os ſub ſe comprehenſum firmant, illæ ſcilicet *ſquamoſæ* dictæ, quæ temporum oſſa cum ſincipitis oſſibus committunt. Illarum alia combinat oſſa ſincipitis cum oſſibus temporum, & *ſagittalis* ſeu *longitudinalis* dicitur, alia, cui *coronali* nomen eſt, frontis os ſincipitis osſibus jungit, alia, lambda græcorum facie, & *lambdoidea* dicta, os occipitis osſibus ſincipitis atque temporum committit. Harum commiſſurarum in ſententia de eventu læſionum capitis ferenda illa eſt ſignificatio, ut, quæ per illas ductæ ſunt fracturæ atque fiſſuræ, ob firmam duræ meningis adhæſionem, & ob ſubſtratos futuris ſinus ſanguiferos, fluxum ſanguinis incoërcibilem habentes, mortem inevitabilem intuliſſe cenſeantur: πολλῷ μᾶλλον ἐκτήσατο τὸ κακὸν, ait HIPPOCRATES, ἐν τῷ ὀστέῳ ἐς τὰς ῥαφὰς δεξάμενον τὸ βέλος. *Multo plus malum augetur, ſi quis in oſſe, usque in futuras, telum accepit.* Omnium horum oſſium utramque laminam, quarum

rum altera externa, *marmorea*, interna, *vitrea*, aut fragilis dicitur, laxa textura, quæ *diploë* audit, intercipit. Ἐσὶ δὲ καὶ πᾶν ὀσέον τῆς κεφαλῆς, πλὴν κάρτα ὀλίγω τῶ δὲ ἀνωτάτω καὶ τῶ κατωτάτω, σπόγγῳ ὅμοιον καὶ ἔχει τὸ ὀσέον ἐν ἑωυτῷ ὅμοια σαρκία πολλὰ καὶ ὑγρὰ καὶ εἴ τις τὸ αὐτὸ διατρίβει τοῖσι δακτύλοισιν, αἷμα ἂν, διαγένοιτο ἐξ αὐτῶν, ἔνι δ' ἐν τῷ ὀσέῳ τὰ φλεβία λεπτότερα καὶ κοιλότερα αἵματος πλέα. *Est etiam omne os capitis, si illud omnino parvum, quod supra atque intra est, demas, spongiæ simile, & habet os in se aliquid carni simile, multum & humidum, & si quis illud digitis attigerit, sanguis exinde manat, sunt etiam in osse vasa tenuia, cava, sanguine plena.* Aſt omnium oſſium eadem haud eſt crasſities. Sunt, quæ diploën laxam, & quantum ad os frontis, ſphenoideum atque ethmoideum, ſinubus excavatam gerunt, ἡ δὲ διπλοὴ κοιλωτάτη καὶ μαλθακωτάτη καὶ μάλισα συριγγώδης ἐσί. *His diploë & magis cava, & mollior, & cavernoſa eſt.* Proinde ubi tenue os eſt, ταύτη τῆς κεφαλῆς φλᾶτα ἧ μᾶλλον ῥήγνυται ἧ ἔξω ἐσφλᾶτα ἧ θανασιμώτερα ἐσὶ ἧ χαλεπώτερα ἰητρεύεσθαί τε ἧ ἐκφυγγάνειν τὸν θάνατον, ταύτη ἢ ἄλλοθι τῆς κεφαλῆς, ἧ ὁμοίως τε τρωθεὶς ἧ ἧσσον, ἀποθνήσκει ὁ ἄνθρωπος ἐν ἐλάσσονι χρόνῳ ὁ ταύτη ἔχων τὸ τρῶμα τῆς κεφαλῆς ἢπερ ἄλλοθι. *Hac in parte capitis confunditur & plus frangitur, & intus deprimitur os, & lethalia magis hæc ſunt, & difficilio-*

ficiliora curare, ac effugere mortem in hac, quam in alia capitis parte, vulnera, & ſi quis ſimiliter quam in alio eſſe, vel etiam minus vulneratur homo, breviore tempore moritur, qui læſionem in hac capitis parte habet, quam alibi. Adeoque os frontis facilius fert calamitates, patiturque ſibi alteram externam tabulam auferri penitus, quod tertia vice a me compertum eſt: Vidi juvenem nobilem, cui globus ex bombarda explosus, os frontis abſtulerat penitus, natusque illi callus tenuis eſt cerebri meningem tegens. Similiter chirurgiæ ſtudioſus aliquis nudam meningem lamina plumbea tectam oſtendebat. Vivit etiam nunc miles, cui caries totam externam oſſis frontis tabulam abſumpſit. Ἐν πλέονι χρόνῳ τὸ ὀστέον ἐμπυΐσκεταί τε καὶ διαπυΐσκεται κάτω ἐπὶ τὸν ἐγκέφαλον διὰ τὴν παχύτητα τῶ ὀστέω. *Intra longius tempus tale os ſuppurat, & devoratur deorſum verſus cerebrum, propter oſſis craſſitiem.* Hac ex ratione, cum os occipitis HIPPOCRATES aliqua ex parte, nempe ubi proceſſus cruciatus eſt, craſſius inveniret, non conſiderans tenuem ejus, ſub qua cerebellum ſedet, eſſe laminam, vulnera ejus minus lethalia declaravit, his, quæ in oſſibus ſincipitis fiunt, cujus læſiones periculoſiores æſtimat: ὁ γὰρ ἐγκέφαλος τάχιστά τε καὶ μάλιστα κατὰ τὸ βρέγμα ἀισθάνεται τῶν κακῶν τῶν γενομένων ἔν τε τῇ σαρκὶ καὶ τῷ ὀστέῳ, ὑπὸ λεπτοτάτῳ γὰρ ὀστέῳ ἐπὶ τάυτῃ ὁ ἐγκέφαλος καὶ ὀλίγῃ σαρκὶ καὶ ὁ πλεῖστος ἐγκέφαλος ὑπὸ τῷ βρέγματι κεῖται. *Cerebrum enim celeriter & maxime*

xime ad ſinciput ſentit offenſas, quæ in carne & oſſe fiunt, cum hoc loco, tenuiſſimo oſſe & exigua carne tegatur, magnaque ex parte ſub occipite ſitum ſit: Sed contradicit HIPPOCRATIS effato, qui oſſis occipitis vulnera minus lethalia pronuntiat, experientia, veluti exempla excitantur ab ALBERTI *Iurispr. Medica, Part. I. p. 317.* qui læſiones prope cerebellum illatas necare affirmat citius, illis, quæ cerebrum affligunt. Neque vero confectum eſſet, an recte interpretati ſint, qui τὸ ὀστέον τῆς κορυφῆς, prout eſt apud HIPPOCRATEM, os verticis, per *os occipitis* explicant, niſi RVFVS EPHESIVS ita accepiſſet, atque ipſe textus hoc ſecum afferret, de poſteriore capitis loco agens, quando ſic verba ſonant; ᾗ ἐλάσσων τάυτη τῆς κεφαλῆς ὁ ἐγκέφαλος ὕπεσι, ᾗ πλέονες ἐκφυγγάνεσι τὸν θάνατον τῶν ὄπιθεν τιτρωσκομένων τῆς κεφαλῆς, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἢ τῶν ἔμπροσθεν: *Et minus de cerebro hac in capitis parte ſubeſt, & plures effugiunt mortem ex illis, qui retro caput vulnerantur, ut plurimum, quam illorum, qui ante.* Pergit COVS, & vulnera temporum periculoſiora judicat reliquis: τῶν δὲ ἄλλων τὸ κατὰ τὰς κροτάφους ἀσθενέστατόν ἐστι. Reliquis, illud, quod ad tempora eſt, os, habetur infirmiſſimum, cujus fiſſuræ eo plus lethalitatis habent, quo plus ſub carne muſculi crotaphitæ deliteſcunt, omnemque, prout ante dictum fuit, medelam proinde reſpuunt. Adeoque mali ominis ſignum eſt, ſi a læſione capitis ſanguis ex aure manat. Eſt enim in oſſe temporum ejusque *petroſa* portione, auditus

ditus officina, quæ, etiamſi vita manet, a valido ictu ſæpe deſtruitur, quando tremor oſſicula auditus & alia auditus organa disjicit, aut membranas, quæ ad aërem tremunt & ſonos formant, disrumpit. Atque iſta oſſis temporum pars durior, uti & HIPPOCRATI dicta eſt, τὸ ὀστέον πρὸς τὰ ἔσατα παχύτερον, fiſſuras, prout in exemplis eſt, facile recipit, hinc mortis cauſa fit certiſſima. Qua autem fiat, quod ſanguis, diffiſſo temporum oſſe, quod baſin calvariæ reſpicit, ex aure fluat, ratio in arteriis ad internam aurem euntibus ponitur, quarum altera, una cum nervo acuſtico foramen acuſticum ſubit, a vertebralibus orta, altera ex ipſo *carotidis internæ* trunco, ſub illius in baſin calvariæ introitu, exſurgit, portioni duræ nervi acuſtici juncta aurem ſubit mediam, &, veluti *Labyrinthum* & contentos in illo cochleæ atque canalium trium ſemicircularium mæandros perambulat, tandemque feneſtra ovali & rotunda in tympanum finit, ita per membranam parietes tympani & oſſicula ejus inveſtientem ſeſe projicit, ut fluxus aurium cruentus, tanquam ſignum fiſſæ baſeos calvariæ, ex utriusque arteriæ finibus ruptis conſequi poſſit. Sed ipſa oſſicula auditus dislocantur, quando prope ad aurem vis facta eſt, quorum *illud*, quod *malleus* eſt, membranæ tympano prætenſæ ſuo affigitur manubrio, *illud* quod *incus* dicitur, mallei caput ſuo ſinu recipit, atque *illud* quod *ſtapedem* vocant, mallei cruri, interveniente oſſiculo orbiculari, junctum, feneſtræ ovalis membranæ inhæret, & malleus quidem du-

plici muſculo, *externo* ac *interno*, ſtapes autem ſuo *ſtapedio* dicto, moventur. Adeoque, ubi tremor ex ictu tempora feriente, ſeriem horum oſſiculorum turbavit, ſuum illa deſerunt officium, obſurdeſcit æger, & inter magnos cruciatus atque deliria vix convaleſcit, manante per utrumque meatum auditorium, *internum*, qui ad fauces deſinit, *externum*, qui ad externam procedit auriculam & ſonos admittit, ſanguine ac purulenta materia; & quoniam auri cum cerebro conſenſus eſt, & τὸ ἀκουστικὸν ὀνομαζόμενον νεῦρον ὑ διὰ μακρᾶ συνάπτει τῷ ἐγκεφάλῳ, ſic eloquente GALENO in HIPPOCR. *Prognoſ. Comm. 2. auditorius nervus non magno intervallo cum cerebro conſentit*, hinc ſæpe in ancipiti vita ejus, cujus organon auditus ruptum eſt, verſatur.

§. 5.

Oſſa calvariæ cum variis injuriis patent, tum illas vario modo recipiunt, aut vulnerantur, aut franguntur, aut deprimuntur, atque his ſuis calamitatibus conſentiens ubique habent cerebrum, cum diverſo tamen effectu, uti illud vel preſſu, vel unionis læſione, aut ſubſtantiæ jactura, vel ſolo tremore, ſimul cum oſſibus, illis ſubſidentibus, fiſſis, fractis, affectum fuit. Vulnus aliquando ita cedit, ut, quæ diſſecta eſt oſſium portio, tota ſimul auferatur, hunc læſionis modum ἀποσκεπαρνισμὸν Græci appellant, quem *Autor definitionum* GALENI ita deſcribit: ἀποσκεπαρνισμός ἐστιν ὀστᾶ ἀποκοπὴ μετὰ τᾶ ἀποκεκομμένα ὀστᾶ τεθραῦσθαι. *Apoſceparniſmus eſt præciſio, dum quis*

quis cum ablatione ossis vulneratur. Hanc læsionem sub certis conditionibus curabilem esse Beatus PLATNERVS, in sua, *de Curatione τῆς ἀποσκεπαρνισμῆς in calva,* dissertatione, asseruit (a): *si ictu obliquo major ossis portio excisa est, ita, ut os ex toto a calva recesserit, cutis vero alia parte dependeat, alia inhæreat, atque integra etiamnum corporis conjunctione foveatur, quia ensis non retusus sed acutus fuit, vulnus haud collisum, nec quidquam ex osse detritum aut derasum est, nec alia accessit injuria, sed super illud etiam membrana, quæ exterius calvam cingit, relicta est.* Quodsi enim dura meninx dissecta vel substantiæ cerebri pars ablata simul haud est, de curatione desperandum sane haud est; sed in declivi res ponitur, si os afflictum ablatum, simulque substantiæ cerebri corticalis pars vulnere derasa est, nam, etiamsi cerebri ista pars sanari posset, tamen, ex qua materie, cum dura mater simul ablata est, novum os succrescere possit, haud apparet, ut adeoque tunc de necessitate moriendum omnino sit illi, qui hoc vulneris genus accepit. Si ad perpendiculum ensis ducitur atque ille expedite secat, fieri potest, quo vulnus sine ossium collisione per illa descendat. Hoc vulneris genus διακοπὴν, transfectionem, HIPPOCRATES appellat, sicut, si obtusus ac ponderosus est gladius, fieri plerumque solet ἐκκοπὴ, excisio, quæ definiente PAVLO Libr. VI. c. 90. ἐστὶ διαίρεσις τῆς κρανίης μετὰ ἀνα-

(a) Extat inter ZACHARIAE PLATNERI opuscula Academica posthuma a filio edita.

ἀνακλασμᾶ τᾶ πεπονθότος, *ablatio cranii cum fractura afflicti ossis.* Non desperant de ejusmodi læsionum, licet valde ambiguarum cura, chirurgi antiqui, quorum Princeps HIPPOCRATES: Ἢν μὲν τὸ ὀστέον καταάγῃ ϗ συντριβῇ, ἀκίνδυνον, ἢν δὲ ῥαγῇ, ϗ ῥωγμὴ ἐγγένηται, ἐπικίνδυνον, τᾶτον πρίειν ὡς μὴ κατὰ τὴν ῥωγμὴν ἰχωρ ἐσιὼν τὴν μήνιγγα σήπῃ: *Si os ruptum est & minutim fractum, periculosum haud est, si autem ruptum est & fissura insit, periculosum, hunc oportet terebrari juxta fissuram ossis, ne tenuis sanguis subingressus meningem, putrescat:* ὅσα δὲ τῶν ὀστέων ἐσφλᾶται ἔσω ἐκ τῆς φύσεως τῆς ἑωντῶν καταῤῥαγέντα, ἢ ϗ διακοπέντα, πάνυ εὐρέα, ἀκινδυνότατα τὰ τοιᾶυτα γίνεται, ἐπὴν ἡ μήνιγξ ὑγιὴς ᾖ, ϗ τὰ πλέοσι ῥωγμᾶσιν ἐσκαταῤῥαγέντα ϗ εὐρυτέρησιν ἔτι ἀκινδυνότερα ϗ εὐμερέστερα εἰς τὴν ἀφαίρεσιν γίνεται: *Quæcunque ex ossibus interiora versus cedunt, sua substantia confracta vel concisa, si latæ fracturæ sunt, periculo omni destituuntur, dummodo meninx salva sit, & quæ plurimis rupturis iisdemque latioribus dividuntur, periculo plus carent & ad ablationem sunt commodiora, utpote quæ singulatim eximi possint.* Sed periculi plenæ sunt fissuræ ossium calvariæ, cum suam abscondant malitiam, lentoque sanguinis effluvio occidant, maxime illæ, quæ trans futuras ad ima calvariæ ossa, *occipitis, temporum, frontis, sphenoideum,* ac *ethmoideum,* procedunt: Ῥωγμαὶ λεπτότεραι πάνυ καταφανέες εἰς τὸ κάτω ϗ διὰ παντὸς τᾶ ὀστέω. *Fissuræ tenuio-*

tenuiores, inconſpicuæ, quæ in profundum, perque totum os feruntur. Si qui his pereunt, mortem ex natura vulneris habuiſſe dicuntur, veluti nec illi ſervari poſſunt, quibus ὀστέου τιτρώσκεται ἄλλῃ τῆς κεφαλῆς ἢ τὸ ἕλκος ἔχει ὁ ἄνθρωπος, *os læditur alia, quam qua vulnus homo habet, capitis parte.* Τριχισμὸς σενωτάτη ῥωγμὴ τὴν αἴσθησιν διαλανθάνουσα, διὸ πολλάκις λελήθυῖα διὰ τὸ μὴ ἀκριβῆ γενέσθαι τὴν αἴσθησιν, θανάτου γέγονεν αἰτία: *Fiſſura capillaris*, ait PAVLVS, *anguſtiſſima & ſenſum effugiens, propterea etiam ignorata, quoniam exquiſita ejus exploratio fieri nequit, mortis cauſa facta eſt.* Deprimi ſine fractura oſſa calvariæ, quod φλᾶσαι eſt HIPPOCRATI, aut veluti PAVLVS explicat, χωρὶς τῷ λυθῆναι τὴν συνέχειαν, *ſine ſolutione continuitatis*, rarum eſt; Iuniorum tamen oſſa, utpote mollia, hac injuria affici poterunt, dum natu majorum oſſa calvæ citius franguntur, quam deprimuntur; aſt infantium ac natu juniorum oſſa cedunt magis ac deprimuntur. Eſt etiam ille læſionum capitis effectus, ut vel, integro manente oſſe, interna ejus lamina, vitrea dicta, findatur, ſuisque fragmentis duram matrem compungat, vel procul ab oſſe, quod vim ſuſtulit, fiſſuræ fiant, ῥωγμαὶ ἑκὰς ἑᾶσαι τοῦ ἐρέωγότος ὀστέου, quod κατήχημα aut reſonitus appellatur, quæ mutationes oſſium omnes mortem intuliſſe eo ſecurius affirmabuntur, quo plus abſconditæ, ſectione legali deprehenduntur, ut manifeſtum ſit, nulla arte effectum earum lethalem impediri potuiſſe. Præ-

terea & aliæ ossium mutationes ab externa aliqua vi, sine fractura, evenire possunt, effectu non minus mortifero exinde consequente. Talis est impressio facta a telo vel alio instrumento ponderoso, hanc per accidens lethalem pronuntiat COVS: Ἕδρᾳ κεφότερᾳ ἄνευ ῥωγμῆς τε καὶ φλάσις ἢ ἔστω ἐσφλάσις, ἐκ τούτων θάνατος γίνεται ἢ κατά γε δίκην ἐθ' ἥν γένηται. *Impressiones tenues sine fissura aut alta depressione, ex his mors fit, sed non juste, absoluta lethalitate, etiamsi fiat.* Aliquando, sine ulla ossium externa læsione, mors consequitur, motu cerebri, qui σεῖσις, commotio, HIPPOCRATI appellatur, ut, nisi sectio aliquam mutationem intra cerebrum factam, atque in aliqua vasorum ruptura atque exinde consequente sanguinis effusione consistentem, commonstret, difficile sit, causæ quandoque levi, uti colapho inflicto, mortiferam tribuere efficaciam, quando quidem ira atque magna animi commotio forte efficere potuit, quod injuriæ illatæ tribuitur.

§. 6.

Alta autem capitis vulnera eo plus mortis causa fuisse dicuntur, quo propius ad cerebri substantiam accesserunt. Duo sunt, quæ, post ossa cranii, totum encephalon cingunt, integumenta membranea, *alterum*, quod ossibus cranii subest, & aulæi instar omnem internum illorum investit parietem, *alterum* pressius accumbit cerebro atque in illius gyros demittitur, illud *dura*, hoc, cujus contextus cellulosus *arachnoidea* est, nume-

numerum tamen integumentorum non augens, *pia* mater ſeu meninx dicitur. Dura mater, denſa, tenax, firma & elaſtica membrana eſt, quæ ubique in oſſium calvariæ internam tabulam, inque ſuturas eorum ac eminentias demittitur, ſub oſſibus tamen bregmatis libera eſt, nec adhæret, qua de re ſub his quoque fracturæ innocentiores ſunt, illis, quæ ad ſuturas, ubi dura mater firmius radicatur, procedunt. *Mortiferum eſt*, ait PLINIVS *Hiſt. nat. Libr. VI. c. 37. ſi alterutra membrana cerebrum involvens rumpatur.* Sed conſtans hoc neutiquam eſt ac perpetuum, nec, niſi ſub certis conditionibus, vulnera capitis, quæ duram matrem tangunt, cenſentur eſſe mortifera, ſi, qua parte tenacius adhæret oſſibus, a fracturis divulſa ſimul eſt, ſi, qua parte in ſinus excavatur, etiam lacerata vel ſecta fuit, cum iſte eventus incoërcibilem ac lethalem prorſus ſanguinis fluxum excitet, qui interfuſus ſpatiis inter utramque membranam mediis, presſione cerebri facta, interficit, eo plus, ſi circa baſin calvariæ & *medullam oblongatam*, quæ cerebri ac cerebelli propago ac omnium nervorum primordium eſt, effuſio ſanguinis facta fuerit. Sunt enim intra duræ matris duplicaturam patulæ ſanguinis ad cor revertentis viæ, quas ſinus appellant, quorum potiores, *longitudinalis* ſub futura ſagittali, *duo laterales* ſub occipite, hinc alii multi, *petroſi*, *ſphenoidei*, *occipitales*, vocantur. Si quis horum ruptus eſt, quod a tenui oſſis fracti rima trans ſuturas eunte effici potuit, tunc ſane ex vulnere

mors conſecuta eſt per ſe & ſimpliciter. Ipſa autem dura mater, qua parte ejusmodi ſinus haud ſunt, vulnera fert patientius, dummodo jactura ſubſtantiæ ejus facta haud ſit, nam ex illius vulnere magnæ hæmorrhagiæ, ob arteriarum, quas meningeas vocant, vulnus, fieri poſſunt. Quodſi ergo ſub calvaria defuncti meninx dura integra manſit, ſi fractura futuras non attigit, ſi rima occulta haud adeſt, ſi ſanguis effuſus ſupra cerebrum haud fuit, ſi in loco commodo, qui curam admittit, læſio accidit, ſi auxilia ſolemnia intermiſſa fuerunt, ſi mors ſero conſecuta eſt, læſionem ex neglectu lethalem factam eſſe, dicere, nihil impedit. Sed ſi mors ſubito conſecuta fuit, ſi, quæ fieri oportet, effecta ſunt, aut ſi, propter eventus lethalis celeritatem effici nihil potuit, læſio mortis cauſa fuiſſe dicitur. Pia mater, quæ tenuiſſima ex arteriis atque venis contexta tela eſt, cerebrum, cerebellum ac medullam oblongatam prope comprehendens, innocenter nunquam læditur, cum vaſa ejus contineri, quo minus ſanguinem ſuper cerebrum & inter ejus gyros effundant, non poſſint, adeoque ſanguinis quantitas, quæ ſuper cerebrum effuſa eſt, clare doceat, curandi impoſſibilitatem adfuiſſe, & læſionem hanc pro abſolute lethali habendam eſſe.

§. 7.

Cerebrum globus eſt in varia ſegmenta diviſus: Dura enim mater a ſuperficie plana in profundas deſcendit laminas, quas proceſſus appellant, quorum ille, qui ſub ſutura longitudinali eſt, *cere-*

brum

brum in duo ſecat hemiſphæria, aſt illi duo, laterales dicti, ſub occipitio ſiti, ſeptum conſtituunt, ac aliquod veluti tentorium, ſub quo *cerebellum* occultatur. Vtraque illa encephali pars mollis pulpa eſt, duplicem habens ſubſtantiam, externam aliquot lineas æquantem, quam *corticalem*, & a colore *cineream* appellant, reliqua *alba* eſt, ac *medullaris* dicta. Quamvis autem utrumque illud ſenſus motusque ac vitæ principium, ejusdem ſit materiæ, eſt tamen alterutri diverſa fabrica. Nam cerebrum gyros habet, cerebellum laminas: Cerebro tota intus ſubſtantia albet, quæ cerebello mixta & in arbuſculorum imaginem explicata eſt: Cerebrum hemiſphæriis cavitates oſtendit, quas ventriculos appellant, cerebellum, licet proceſſu duræ matris occipitali ſuperficietenus in dua hemiſphæria ſimiliter diviſum ſit, ſolidum tamen eſt: Accedit huic utriusque organi diſcrimini, ſeparata cerebelli ſtatio, ſub lateralibus duræ matris proceſſibus: Deinde vaſa ſunt tam arterioſa quam venoſa, *vertebralia* dicta, quæ per foramen occipitis magnum calvam ſubeunt & cerebello ſeſe, paucis ſurculis ad cerebrum miſſis, dedicant, dum ſimiliter cerebrum mole inſignius, prægrandes *arterias carotides internas* canali oſſeo ad baſin calvariæ advectas, ſibi ſoli vindicat: Quæ cum ita ſint, dubium haud ſupereſt, uti ſtructura, fabrica, ſitu, vaſis, ita etiam officio, cerebrum atque cerebellum inter ſe diſcrepare, quod obſervatio fidelis porro docuit, nam nervi, qui ex medulla oblongata cerebri

procedunt, *olfactorius*, *opticus*, *oculorum motorius*, *patheticus*, *gustatorius*, *abducentis oculorum musculi nervulus*, *quem timidum* appellant, versus sensoria diriguntur. Sed *intercostalis* plus communicare, adscendendo, sexto pari, quam ab illo oriri, videtur; Hinc nervi reliqui ad medullam oblongatam cerebelli pertinentes, plus vitæ famulantur. Proinde etiam experientia docuit, a cerebri læsionibus obstupescere & sensu motuque privari afflictos, vivere tamen, quando, cerebello læsi, intra breve tempus, secus ac antiquis cum HIPPOCRATE visum est, pereunt. Adeoque vel fracturæ occipitis cerebello propiores, vel sanguis extravasatus circa cerebellum fusus, vel ejus substantia læsa mortem fecit inevitabilem. An autem cerebri vulnera, quæ plerumque vulneratos serius conficiunt, mortem necessariam faciant, a quibusdam dubitatum est, suntque ex summis viris, qui exemplis eorum, quos evasisse ex tali vulnere viderant, adducti, servari posse arbitrantur, quibus corticalis cerebri substantia destructa est, veluti Celeberrimus vir ALBERTI *Iurispr. Med. Tom. I. p. 314.* ab eorum partibus est, qui mitius de hac re sentiunt, maluntque intervenientibus causis, quibus vulnus hoc exasperatum fuerit, vel neglectui in cura commisso, quam ipsi læsioni causam mortis attribuere, veluti etiam BOHNIVS, cui magna penes omnes fides est, *Relatione vulnerum lethalium p. 217.* haud dissentit. Aliter tamen antiquis visum est, ἐγκέφαλον διακοπέντι θανατῶδες. HIPPOCR. *Aphor. VI. 28.* Ἀποθνήσκει τις μᾶλλον

ἐκ

ἐκ τῶν τρωμάτων ἢν τις ἐγκέφαλον τρωθῇ. HIPPOCR. *Coac. Præn.* Verum, certam, quæ ad omnes cerebri læsiones excurrat, legem stabiliri haud posse arbitror, ut non, pro circumstantiarum varietate aliud atque aliud possit esse judicium. Nam si sectio legalis docet, circum circa cerebri vulnus esse sanguinem, occultas fissuras in latus discedere, in loco, ad curam, quæ in administratione trepani ponitur, inepto, qualis est ad occiput & ad futuras, læsionem esse, de absoluta vulneris lethalitate nemo est, qui dubitet. Minor subest dubitatio, si substantia cerebri medullaris afflicta est, instrumentum ipsum illuc usque descendit, vel fracti ossis fibræ ad illam adactæ sunt. Etiamsi enim hi, quod aliquoties vidi, per dies plures vivant, certa tamen, licet sera, mors est, viditque VATERVS, dissertatione superius adducta, septima septimana vulnus cerebri absoluta lethalitate hominem occidisse. Ast, si, absque effuso sanguine, superficiale vulnus ab aliquo fragmento ossis fracti, quod educi potuit, in corticali cerebri substantia factum est, servari æger poterat, si chirurgus trepano usus fuisset.

§. 8.

Qui ex vulnere cerebri perituri sunt, impossibilitatis curandi signa, edunt: παραφρονέων τελευτᾷ καὶ σπασμὸς ἐπιλαμβάνει τὰς πλείστας ἐπὶ θάτερα τῶ σώματος, ἢν μὲν ἐν τῷ ἐπ' ἀριστερᾷ τῆς κεφαλῆς ἔχει τὸ ἕλκος, τὰ ἐπὶ δεξιᾷ τῶ σώματος ὁ σπασμὸς λαμβάνει, ἢν δ' ἐν τῷ ἐπὶ δεξιᾷ τῆς κεφαλῆς ἔχει τὸ ἕλκος, τὰ

τὰ ἐπὶ ἀριστερᾷ τῆ σώματος ὁ σπασμὸς ἐπιλαμβάνει, εἰσὶ δ' οἱ ἢ ἀπόπληκτοι γίνονται ἢ ὅτως ἀπόλλυνται. *Desipiens moritur, & convulsio corripit plurimos ad dextram corporis partem, si in sinistra capitis parte vulnus habeat, si autem in dextra parte capitis vulnus habet, quæ a sinistris corpori sunt, spasmo corripiuntur, sunt etiam qui apoplectici fiunt, ac ita moriuntur.* Ἐπὶ πληγῇ εἰς τὴν κεφαλὴν ἔκπληξις ἢ παραφροσύνη, κακόν. HIPPOCR. *Aphor. VII. 14. Ex ictu capiti illato stupor & desipientia, malum.* Hinc omnia signa, quæ in aliis acutis morbis mortem significant, ex HIPPOCRATIS *coacis prænotionibus*, huc transferri poterunt: Νάρκη ἢ ἀναισθησίαι παρὰ τὸ ἔθος, ληθαργικοὶ, τρομώδεες ἀπὸ χειρῶν, ὑπνώδεες, δύσχρωτες, σφυγμοῖσι νωθροῖσι, κακὸν: κοπιώδεες, ἀχλυώδεες, ἄγρυπνοι, κακόν. *Stupor, sensuum defectus præter consuetudinem, lassi soporosi fuerint, tremuli manibus, subdormientes, pallidi ac tumidi, pulsibus debilibus, malum: lassi, tenebricosi, vigiles, malum:* Quibus cerebrum lethaliter concussum est, & a tremore, sine ullo vulnere, emotum, subito obmutescere, COVS refert: ὁκόσοισιν δ' ἂν ὁ ἐγκέφαλος σειθῇ ὑπὸ τινὸς προφάσιος, ἀνάγκη ἀφώνες γενέσθαι παρὰ χρῆμα. *Aphor. Sect. VII. 58. Quibus cerebrum commotum est ab aliqua causa externa, quam prophasin græci dicunt, necessum est subito voce defici.* De his omnibus CELSVS de re medica Libr. VIII. c. 4. ita habet. *Protinus requirendum est, num bilem is homo vomuerit, num oculi ejus ob. æcati sint,*

ſint, num obmutuerit, num per nares auresve ſanguis ei effluxerit, num conciderit, num ſine ſenſu quaſi dormiens jacuerit. Hæc enim non, niſi oſſe fracto, eveniunt. Atque ubi conciderunt, ſcire licet, difficilem curationem eſſe. Si vero etiam torpor acceſſit, ſi mens non conſtat, ſi nervorum vel reſolutio vel diſtentio ſecuta eſt, veroſimile eſt, etiam cerebri membranam eſſe violatam, eoque in anguſto magis ſpes eſt; at ſi nihil horum ſequutum eſt, poteſt etiam dubitari, an os fractum ſit. Quæ vulnus capitis ſua natura curabile, lethale faciunt, habentur varia, maxime illa peccata, quæ in omiſſione conſiſtunt, ſi oſſis fracti fibras in duram matrem ac cerebri ſubſtantiam demerſas, vel ſanguinem infra calvam ac ſuper duram matrem, vel inter hanc & piam matrem collectum, medentes, exſciſſo per modiolum, qui περίων HIPPOCRATI dictus eſt, oſſe, haud eduxerunt, ſi locus erat commodus, ætas conveniens, ſigna, depreſſam fractamve calvam eſſe, diſerte loquuntur. Oportet adeoque nihil negligi, vel eorum, in quibus, etiamſi deſperata res eſt, aliquid fiduciæ adhuc ponitur, vel eorum, quæ, niſi curam juvant, eam certe haud impediunt, atque criminationibus, ſi res ſiniſtre procedit, opportunitatem præſcindunt. Aſt, ſi infans eſt, ſi ad futuram, frontem, occiput, tempora, fractura procedit, ſi os inſtabile eſt, cui terebra applicari haud poſſit, ſatius eſt haud tentare incerta, ne occiſus videatur eſſe a medentibus, quem ſervare haud potuerunt,

adeo-

adeoque, ob impossibilitatem medendi, læsio talis absolute lethalis fuisse judicatur.

§. 9.

Nihil autem curando profici potuisse, declarant ea, quæ, resecta calvaria, visui sese offerunt. Ergo, si recens vulnus est, atque parvo, a quo læsus fuit, tempore, homo concidit, contusio, vulnus, collectus sub integumentis communibus sanguis describatur, calva aperiatur, caveaturque, ne, dum serra incaute ducitur, lædatur sinus aliquis duræ matris, calvariæ mutationes describantur, notetur ejus crassities, quæ in variis varia est, atque sæpe ita tenuis, ut parva vis, veluti *colaphus* apud HIPPOCRATEM *Epid. Libr. V. 21.* (b) vel tenuis bacillus, infirmo capiti noxam lethalem afferre possit; Suntque verissima, atque in judicio de effectibus instrumenti lædentis probe notanda, quæ HIPPOCRATES, prima Libri de vulneribus capitis linea habet: *τῶν ἀνθρώπων αἱ κεφαλαὶ οὐδὲν ὁμοίως σφίσιν αὐτοῖς. Hominum capita inter se haud sunt similia.* Deinde, ubi denudatum cerebrum est, sanguinem supra vel infra meninges effusum examinent, altitudinem vulneris vel ab instrumento lædente, vel a descensu fibrarum fractarum ex ossibus facti, metiantur, fragmenta soluta numerent & custodiant, imo ad acta referant, ad facultates

(b) Ex colapho mors CARPZ. Prax. Iur. Crim. P. I. n. 42. ALBERTI *Iurispr. Med. Tom. I. p.* 301. ZITTMANNVS Med. Leg. 821. Confer. dissert. D. GEORGII FRANCI de alapis & colaphis. *Heidelb.* 1674.

tes medicas, si eorum judicio opus est, transmittenda: Fissuras etiam absconditas, si calva integra mansit, investigent, substantiam utramque cerebri recte distinguant, videantque, an externa sola, an post illam & altera atque medullaris noxam acceperit. Ventriculos cerebri examinent, utrum in illis cruor sit. Excavatum enim cerebrum quatuor est ventriculis; sub albo medullari tecto, quod *Corpus callosum* audit, duo sunt, laterales, septo lucido divisi, in quibus varia apparent tubercula tanquam totidem nervorum primordia, *duo crura fornicis*, *duo corpora striata*, *duo nervorum opticorum thalami*, duo crura medullosa, quæ *pedes Hippocampi* vocantur: His inducitur *rete mirabile*, ex vasculis minimis arteriosis confectum, quibus una vena a GALENO dicta, interest, *Plexus choroideus* dictum, sub cujus expansione latet *ventriculus posterior* atque *tertius*, in quo *quatuor tubercula* cum tuberculo conico, quod *glandula pinealis* dicitur, reconduntur, tandemque sub cerebello atque inter illud & medullam oblongatam quartus est ventriculus, qui, præter processus cerebelli *vermiformes* nihil in se continet. In omnibus istis cavis tenuis per naturam, aut parcus humor est, limpidus, qui præter naturam auctus, apoplexiæ sæpe serosæ causa fit. Adeoque, in parva læsione capitis, quæ effectui mortifero impar fuisse videtur, absonum haud est ventriculos inspicere cerebri, ut, si plus seri quam esse solet, sanguinis autem nihil in illis deprehenditur, ad apoplexiam, tanquam probabilem mortis

tis cauſam, in favorem inquiſiti, concludi poſſit, ſi ætas reſpondet, atque corporis habitus defuncti cachexiam refert, aut aliquid morborum præceſſit, quod huic conjecturæ favet. Forte aliquid aliud eſt, quod præter naturam intra iſtos ventriculos cerebri aut alibi in cerebro reperietur. Aliquando in plexu choroideo inveniuntur hydatides, ſi ſcilicet aquæductus, qui ex anterioribus ventribus lympham cerebri ad poſteriores, hinc ad venas ſanguineas corrivant, intercepti morbo ſunt, ut augeri ſerum ſenſimque cerebrum gravari oportuerit. Sed nullus excuſationi locus eſt, ſi ſanguis, a vulnere vel contuſo vel cum fractura complicato, intra ventriculos hoſce effuſus, atque forte etiam in ipſa baſi calvariæ, reperiatur. Hæc, exempto cerebro, probe inveſtiganda eſt. Eſt autem baſis calvariæ, cerebri fundamentum, ex oſſibus occipitis, portione oſſium temporum petroſa, oſſe ſphenoideo, *ſellam equinam* referente, atque foraminoſa ethmoidei oſſis lamina, ac pellucida tenui oſſium frontis parte, compactum, ſuperque his omnibus dura mater ducitur ac firmiter illis adhæreſcit. Ad hanc usque calvariæ baſin fiſſuræ a ſummo oſſium bregmatis tabulato longe ab affliſto loco, per reſonitum, ſæpe & lethaliter quidem perveniunt.

§. 10.

Si externæ capitis partes, quæ ad faciem referuntur, gravi vulnere læſæ ſunt, & mors exinde conſequitur, ex organorum fabrica, utrum neceſſarius atque inevitabilis hominis interitus fuerit,

rit, diſpicitur. Oculi afflictiones, non illi tantum organo, ſed cerebro etiam, cum quo proxima eſt conſenſio, exitiales quandoque fiunt. Vulnus compunctum, quod, ſub ſupercíliis, orbitam, quæ capſula oculi eſt oſſea, penetravit, atque trans tenerrimam oſſis frontis laminam, cerebri anteriorem lobum ſubiit, mortem infert ſimpliciter. Oculus tota ſui ſubſtantia, qua tunicas, qua humores, deſtructus, mortis cauſa fieri poſſet; Cum enim a ſola *phlegmone*, quæ tunicas ejus, *albugineam*, *ſcleroticam*, & ſubſtratam huic *choroideam* incendit, cum propter *chemoſin* ſeu ſugillationem gravem ac magnam ſanguinis effuſionem ſub *conjunctiva* oculi tunica factam, cum etiam a minimis vulnuſculis, *corneam*, quæ pellucida oculi pars eſt, atque a læſionibus, *ſcleroticam*, quæ ſub albuginea totum deſcribit oculum, affligentibus, ſumma ſæpe oriantur deliria, quandoquidem tunica iſta ſclerotica continuata nervi optici membrana eſt, atque ille ex lateralibus cerebri ventriculis per foramen opticum oſſis ſphenoidei, brevi itinere, ſtatim in oculum explicatur: Quanto majus ſubeſt periculum, ſi trans oculum vulnus procedit, aut ille totus contunditur, ut *humor* ejus *aqueus*, ante & poſt Iridem, in utraque oculi camera conſtitutus, atque lens cryſtallina, ſuam propriam diſtinctam in ſinu *humoris vitrei* ſedem habens, hinc ipſe *humor vitreus*, inter ſe confunduntur, ut propterea, ob exquiſitam phlegmonem, atque ortam hinc gangrænam, ſumma ſit conſentientis duræ matris inflammatio,

fiatque phrenitis, ſeu ortum ab inflammata cerebri dura matre delirium. Deinde colliſa aut alia profunda vulnera faciei, propter vaſorum atque nervorum per oſſium cava diſtributorum magnitudinem & copiam, eſſe poſſunt lethalia. Si enim ex evulſi infeliciter dentis maxillaris alveolo ſanguinis fluxus immanis eſt, multo magis, ſi tota maxilla inferior conciſa aut fracta eſt, ſique oſſa maxillaria ſuperiora, & his juncta malæ oſſa, vulnus magnum receperunt, ſi oſſa naſi propria aliaque interna, *ethmoideum*, *palatina*, *ſpongioſa inferiora*, *atque illud vomeris*, *naſum in duas cameras dividens*, contuſa aut fracta ſunt, ſique, adhibitis quæ oportet auxiliis, ex incoërcibili hæmorrhagia mors conſecuta eſt, vel convulſus æger interiit, qualis excuſatio adeſſe poſſit, ſane haud apparet. Arteriæ enim omnes illæ, quæ a carotide externa ejusque ramo maxillari inferiore atque ſuperiore per oſſium iſtorum cava, notabiles omnino & magnæ, diſtribuuntur, cum alte demerſæ intra oſſa ſint, omnem eludunt chirurgi operam, atque nervi illi immediati de calvaria procedentes, *maxillaris ſuperior* atque *inferior*, hinc *acuſtici dura portio*, ſi vulnus habent aut contuſi ſunt, hominem convellere atque occidere poſſunt. Adeoque & linguæ vulnus, quod ſupra os hyoides magnas iſtas linguæ arterias atque nervos ſublinguales dictos præcidit, exinde, quod opprimi ſanguinis fluxus nulla arte poteſt, lethalitatem abſolutam intuliſſe videbitur, cum & reſpiratio-

nis

nis & deglutitionis actiones hac læsione impediri oporteat.

§. 11.

Quæcunque læsiones viam spirituum ex cerebro atque cerebello ad corpus humanum præpediunt, quando vitæ autorem primarium avertunt ab organis vitam motu atque actione sua facientibus, mortem reddunt inevitabilem. Tales sunt illæ omnes, quæ vel medullæ spinali vel truncis nervorum majoribus, atque illis maxime, qui ad viscera vitalia eunt, inferuntur. Postquam ex optima atque tenuissima parte sanguinis, qui per arteriarum carotidum fines, *cerebri*, per arteriarum autem vertebralium fines, *cerebelli* substantiæ corticali applicatus est, subtilissimum aliquod fluidum elaboratum fuit, cujus texturam, propter teneritatem, sensus haud capiunt, cujus autem effectus vitales mente assequimur; tunc liquidum illud, in se ipso, ad legem ætheris, mobile, sine ullo alio motore, cum cerebrum ipsum motus expers sit, per subtilissimos, quos medullaris cerebri atque cerebelli pars continet, tubulos, in *medullæ oblongatæ* caudicem seu truncum, quatuor cruribus medullosis, confluit, quorum duo ad cerebrum, duo ad cerebellum pertinent. Divisa septo tenui membraneo medulla hæc, ex tuberibus variis, quæ *Processus annularis & duo corpora pyramidalia* appellantur, pares utrinque emittit nervos, tenuissimis filis distinctis ortos, hinc *dura piaque matre*, ac interveniente his *arachnoidea* tunica, in cylindrum collectos, quorum,

qui *octavus* eſt, extra capitis fines per medium atque infimum ventrem, unde & *vagus* dictus eſt, atque per illorum viſcera diſtribuitur, dum reliqui ad ſenſoria intra pomœria capitis ſita, feruntur. Ipſa medulla oblongata, ab initio, ſola pia matre atque tunica, quam arachnoideam vocant, inveſtita, ad magnum foramen accedit, quod in oſſe occipitis eſt, ibique, quoad ſubſtantiam nihil mutata, ſolo nomine diſcrepans, ubi duram matrem ſibi induxit, ſub medullæ ſpinalis nomine, per capſam oſſeam ex ſeptem vertebris colli, duodecim vertebris dorſi, quinque, aliquando ſex vertebris lumborum, atque oſſe ſacro, effectam, tota ſpina dorſi deſcendit, fœcunda, triginta atque unius nervorum paris, mater. Omnes adeoque ſpiritus cerebri atque cerebelli, illis exceptis, qui nervis ſenſoriis per caput diſtributi ſunt, hac via deſcendunt, ſubeuntque nervos utrinque pares, & ſuo quosque corporis articulo dedicatos. Ipſa enim medulla ſpinalis, ſimiliter per medium ſepto diviſa, ad ſingulam vertebrarum commiſſuram, per foramina utrinque paria & recipit arterias multas ac magnas a vertebralibus in collo, ab aorta ipſa in dorſo & lumbis progreſſas, & emittit nervorum ſurculos vario modo inter ſe mixtos, cum vicinis aliis adunatos, & ad extrema progreſſos, dum perpetui arteriarum ſunt comites atque, uti illæ, in fines deſinunt minimos, inque membranas, fibras, viſcerum tunicas, muſculorum tomentum atque etiam in organon tactus,

ctus, papillas ſcilicet nerveas, ſub cuticula, educuntur. Vti ergo medulla ſpinalis deſcendit, ita ſeptem *cervicis*, duodecim *dorſi*, quinque *lumborum*, ſex *oſſis ſacri* nervorum paria dimittit, qui partibus ſibi ad horizontem vel prope poſitis, principium vitæ, motus ac ſenſus, impertiuntur. Celerrima iſtius *fluidi*, quod illis, qui ſpirituum nomen oderunt, *nerveum* dicitur, progreſſio, atque ad ſuam originem, vel una cum ſanguine venoſo, vel ſingularibus viis intra unumquemque nervum poſitis, eſt reverſio, & magno quidem ſpiritus iſti feruntur impetu, quare etiam τὸ ἐρμῶντα HIPPOCRATI dicti ſunt, & ab illorum facultate ignea motus omnes, tam illi *mechanici*, quam illi *voluntarii*, aut *mixti*, dependent. Cum adeoque truncus horum nervorum communis medulla ſpinalis ſit, ideoque, veluti illa, vel ſummo vel medio vel infimo ſpinæ loco, læditur, vulneratur, preſſu introrſum actæ vertebræ alicujus affligitur, aut ſaltim a valido ictu concuſſa tremit, ita quoque nervi omnes, loco afflicto ad horizontem poſiti, ſuo privantur liquido atque vita illis partibus perit, ad quas nervi diriguntur. Notum adeoque eſt, inter primam, quæ *Atlas* dicitur, vertebram atque occiput, adacto ferro, ſubito corruere animal omnique ſenſu motuque privari, quod ita etiam fit, ſi caput circa atlantem atque illam alteram, quæ *epiſtrophæus* dicitur, vertebram colli, quæ violentia ſæpe inter infanticidiorum cauſas eſt, intor-

quetur, atque partim arteriæ vertebrales, partim ipſa medulla colliduntur; nec minus, validi ictus ad cervicem illati, mortiferi hac ratione fiunt, ut omnis ſpiritus ad totum corpus progreſſurus, intercipiatur, capite aliquamdiu vivente, veluti illis accidit, qui ex morbo, *paraplegia*, laborant, ut illis ſenſus in capite exerciti aliquantulum vigeant, cum cordis atque pulmonum motu aliquamdiu ſuperſtite, quandoquidem hæc viſcera a nervis immediatis cerebri, pari vago atque intercoſtali, actionis ſuæ motorem, ſpiritum, accipiunt. Adeoque nemo eſt, qui non intelligat, vulnera ad medullam ſpinalem cervicis demerſa, abſoluta neceſſitate mortem intuliſſe, veluti exempla paſſim & apud ZITTMANNVM *Medic. Legal. p. 386.* excitata, atque ipſa vulnerum mechanica ſequela, clare docent: *Medulla ſpinalis diſſecta lethalis.* HIPPOCR. *de morb. intern. Medulla quæ in ſpina eſt diſcuſſa, nervi ſolvuntur atque diſtenduntur.* CELSVS *Libr. V. c. 26.* & mors quidem vel celerius vel tardius conſequitur, uti vel in ſublimiore vel in humiliore dorſi atque lumborum loco ſpina læſa eſt, quod a GALENO *Libr. 8. de Anatom. adminiſtrationibus* c 9. obſervatum eſt, quam curioſisſime: *Si in media tertiæ ac quartæ vertebræ regione totam ipſam medullam diſſecueris, ſpiratione animal confeſtim privabitur, non ſolum thorace, ſed etiam infra ſectionem toto corpore facto immobili.* Quo profundius ergo & ad lumbos propius medulla læſa eſt, eo ſerior mors erit, prouti a FORTVNATO FIDELI *Relat. medic. Libr. 2. p. 277.* obſervatum eſt:

eſt: *Si, poſt ſextam vertebram medullæ ſpinam totam transverſam ſecueris, totius quidem thoracis muſculi motum amittent, ſolius autem diaphragmatis beneficio animal reſpirabit.* Et GALENVS *ejusdem Libri c. 6. cum medullæ*, ait, *pars dimidia duntaxat diviſa fuerit, ſive ſiniſtra, ſive dextra, omnes, ordine, juxta rectum inciſæ partis tramitem, nervi reſolvuntur.* Proinde illi, quibus medulla ſpinalis lumborum afflicta fuit, quandoquidem ex illa nervi *crurales* ac *iſchiadici* ad extremos procedunt articulos, lenta ſed certa nihilominus morte pereunt, cruribus nec moventur nec ſentiunt, fæces atque urinam haud continent, atque, ſi vitam protrahunt, quoad inferiora contabeſcunt, non aliter ac illi, qui tabe dorſali abſumuntur, ut, referente HIPPOCRATE, *de morbis internis Libro: crura illis, veluti ab aqua intercute, tumeant, & ulcera a lumbis emergant:* Adeoque, cum medulla ſpinalis tota alterum ſit veluti cerebrum, illius vulnera, ob interceptum ſpiritus vitalis ad partes iter, non minus ac *hujus*, abſolute cenſentur lethalia. Si quæ ergo in vertebras colli ac reliquas violentia commiſſa ac mors exinde conſecuta eſt, tam quæ ſpinam illius loci ambiunt, integumenta, ac muſculi, ad percipiendum, qui illis interfuſus eſt, ſanguinem, quam, ſolutis vertebris, ipſa medulla inſpiciantur, ut, quo usque illa læſa ſit, quis humor circa illam fluxerit, intelligatur, & quod infanticidia attinet, conſultum eſt, niſi mortis cauſa intra calvam aut alibi detecta fuit, cervicem primasque ejus vertebras ac ſubſtratam

illis medullam, ſedulò inſpicere, quandoquidem haud rarum eſt, miſellos ab impia matre, obtorto illis collo, & preſſa ſic medulla ſpinali, interfici, quibus quidem, ob teneritatem, cum laxæ vertebrarum commiſſuræ tunc ſint, atque omnes infantium vertebræ ex uno corpore haud conſiſtant, ſed tribus diſtinctis oſſiculis coëant, luxationes veræ, aut diſceſſus vertebræ a vertebra, fieri poſſent, aſt errant vehementer, qui adultorum vertebras vera luxatione dimotas eſſe, aliquando renuntiant, cum tenaciſſimus illarum articulus, ginglymus, illam fieri facile haud ſinat; aſt ſubluxari illas aut earum ligamenta extendi nihil impedit, hinc, vel ab ictibus vel a validis colluctationibus, mors, abſoluta neceſſitate, conſequi poteſt.

§. 12.

Quæ capiti atque claviculis intercedit regio, *collum* dicitur, & veluti ejus poſtica pars, *cervix*, violentias, mortis neceſſariæ cauſas, patitur, cum vertebræ ejus affliguntur, ita illius pars anterior, quæ *jugulum* appellatur, noxas patitur per ſe atque abſolute aliquando lethales: Intermedia capiti atque thoraci iſta provincia, vaſa alia *capiti*, alia *thoraci* atque *abdomini* debita habet. Ad caput referuntur vaſa ejus ſanguinea, aſt ad thoracem ablegatur *aſpera arteria*, quæ aëris via eſt, & cujus caput *larynx* audit: *Oeſophagus*, cujus caput *pharynx* dicitur, ad ventriculi, qui in abdominis ſummo loco eſt, os ſuperius, una cum nervis *pari vagi*, gaſtricis propterea dictis, demittitur. Nervus inter-

intercoſtalis, vertebris colli prope accumbens, per thoracis atque abdominis viſcera deambulat. Omnia iſta organa gravibus affliguntur vulneribus, quæ curationem difficulter recipiunt: Τὰ τρώματα θανατωδέστερα μὲν τὰ ἐς τὰς φλέβας τὰς παχείας ἐν τῷ τραχήλῳ. *Vulnera magis lethalia ſunt venarum craſſarum in collo.* Scilicet ex arcu aortæ, *arteria carotis ſiniſtra*, & ex ſubclavia dextra *arteria carotis* illius lateris ita adſcendunt, ut earum pulſum, admoto prope guttur digito, in ſe quilibet tactu explorare poſſit. Nec adeo profunde ſitæ ſunt, & vulnere tangi facile poſſunt. Indiviſus illarum truncus ad usque aſperæ arteriæ caput permanet, deinde in arteriam carotidem externam atque internam dividitur; poſtquam enim ramus *alter*, dimiſſis, *thyroidea*, *ſublinguali*, *maxillaribus* ac *palatina arteriis*, tanquam ſurculis deinde in alios minores dividendis, per partes extra calvam poſitas, miſſo etiam ad duram matrem ramulo, diviſus eſt, *alter*, uni ſeſe addicit cerebro, pauculis forte, ſub introitu, per oſſis ſphenoidei oſſisque temporalis canalem oſſeum, aliorſum miſſis ſurculis. Veluti autem arteriis omnibus ſuæ reſpondent venæ, quibus ſanguis cordi redditur, ita ſimiliter ſanguis per carotidis ramos per caput paſſim disjectus, venis jugularibus redit, & venæ quidem jugulares externæ, tam *ſubcutaneæ* & *ſublimiores*, quam *profundiores* & *muſculares*, illæque tam anteriores quam laterales, magnis ramis verſus ſubclaviam ſui lateris coeunt, aſt *vena*

jugularis interna, quæ etiam venas muſculorum profundiores in ſe recipit, ſanguinis illius iter eſt, qui, abſoluto, quod pnevmatoſis ſeu ſpirituum elaboratio dicitur, negotio, per venas piæ matris, atque illas in plexu choroideo poſitas, verſus ſinus duræ matris dirigitur, qui omnes in utrumque ſinum lateralem, aſt hi in ſaccum venoſum venæ jugularis, foramini, quo nervorum octavum par exit, prætenſum, confluunt, hinc vena jugularis interna vertebris colli prope eſt, & a ſuperficiali vulnere colli lædi nequit. Neceſſe adeoque eſt, illos, qui ex vulnere juguli defunctum diſſecturi ſunt, ordinem, quo vaſa hujus regionis ſanguifera ponuntur, haud ignorare. Nuper medicus in arte anatomica parum exercitatus, cum magno reæ, quæ puero jugulum abſtulerat, periculo, in relatione erravit, cum venam jugularem internam hujus lateris totam, illius dimidiam, diviſam fuiſſe, allegaret, vulnere ſic abſolute lethali cenſendo, cum tamen arteriæ carotides viſæ eſſent integræ, unde, venam internam jugularem diſſectam eſſe haud potuiſſe, intellectum fuit. Venæ ſcilicet jugulares externæ cum vulnere aſperæ arteriæ haud profundo curam admittunt, licet difficilem ſemperque dubiam, ideoque illarum vulnus per accidens lethale eſt. Quam facile potuiſſet ille medicus reæ jugulum frangere? Poſſunt enim ſervari, quibus venæ jugulares externæ abſciſſæ ſunt, ſi ſubitaneum fertur auxilium. Vivit adhuc venator, cui, vul-

vulnere ſecto, iſtæ venæ omnes, cum *ſternocleidomaſtoidei muſculi* particula, ablatæ fuerunt, ut arteriæ carotidis truncum palpitantem nudum coram intueri tunc liceret; Arteriæ quoque carotidis externæ rami illi, qui ſummo loco repunt, maxillaris ſcilicet atque thyroidea, cum ſubligari poſſint, excuſant homicidam, ſi, ob ſeram deligationem, cujus mora aggreſſori tribui nequit, adeoque ex neglectu, mors conſequitur: ſervari adeoque potuit etiam ille, cui arteria *occipitalis*, cui *temporalis* arteria præciſa fuit; Aſt *ſublinguales* & *palatinas* ars attingere nequit, atque mors ex illis neceſſario conſecuta eſt. Nec illi ſervantur, quibus diſſectæ ſunt arteriæ vertebrales, illæ ſcilicet, quas per foramen occipitale magnum ſubire calvam, perque *cerebellum* atque ex parte per *cerebrum* ferri, dictum eſt. Deliteſcunt iſtæ arteriæ, ex ſubclaviis ortæ, intra canalem oſſeum, ex vertebrarum colli proceſſibus transverſalibus hunc in finem perforatis, elaboratum, hinc adſcendunt, flexoque turbine aliquo, occipitis foramen ſubeunt, atque illic venæ ejusdem nominis reſpondent. Quodſi ergo, vulnere colli laterali, ſalva ſpinali medulla, talis arteria ac vena diſſecta eſt, veluti caſus, admirabili modo, quandoque feruntur, lethale vulnus illud eſt, multoque magis, ſi læſio vicinam medullam ſpinalem colli ſimul tetigit.

§. 13.

§. 13.

Magna eſt circa aſperæ arteriæ læſiones controverſia, an, qui ex illis defuncti ſunt, ſervari potuiſſent: Atque circumſtantiæ, uti variæ concurrunt, ita varium ſinunt eſſe judicium. Aut aſpera arteria, quæ in ſummo juguli loco, ſub ipſa cute proxime ſubeſt, ſola læſa fuit, aut vulneri vaſorum ſectiones acceſſerunt. Si ſola aſpera arteria vulnus habet, fit, quo aër, illo, quem vulnus fecit, hiatu ad pulmones feratur, non ſine ſuffocationis metu, cum ille, nullo glottidis, quæ laryngis rima eſt, moderamine attemperatus, ſubeat, maxime, ſi vulnus eſt grandius. Quodſi vulnus illud infra caput aſperæ arteriæ, paucis abhinc annulis, factum fuit, diſcrepat judicium ab illo, quod ferendum eſt, ubi vulnus aſperam arteriam, prope ſternum, aut ſub ipſo ſterno, feriit; qui hoc vulnus habent, pereunt, illi ſervari poſſunt. Quamvis enim, ubi annuli cartilaginei muſculis vel ligamentis meſochondriacis conjuncti, diſſecti ſunt, vulnus ipſum haud conſolidetur. Ἦν χόνδρος ἀποκοπῇ, ait HIPPOCRATES, Aphor. ſect. VII. 28. ἔτε ἀυξεται, ἔτε ξυμφύεται, *ubi cartilago diſſecatur, nec creſcit neque conſolidatur*, obſervante tamen BOHNIO *Renunt. Vuln. Lethal. p.* 277. vulnus tale callo clauditur, & excitat gravis ille Autor varia exempla eorum, qui ex tali vulnere convaluerunt, nec noſtro etiam tempore deſunt, qui ſervari potuerunt, cum ita læſi eſſent. Quamvis etiam vaſa *thyroidea* fauciata fuerint, curabile tamen vulnus eſt, ſi recte com-

componitur, & caput ægri ita firmatur faſciis, ut moveri, hinc vulnus rumpi, nequeat. An conſuendum tale vulnus ſit, ubique haud conſtat, nec poteſt, ſi obliquum & inæquale eſt, ſique cartilagines perierunt, poteſt autem conſui, ſi recto tramite inter duas cartilagines vulnus proceſſit. Verum, ſi una venæ vel arteriæ majores prope accumbentes diſſectæ ſunt, ambiguum ſane vulnus eſt. Aſperiæ arteriæ vulnus, ſi illa plus dimidio totius ſuæ diametri diſſecta eſt, contineri nequit, deglutientibus enim, ſi ſitis potum poſtulat, vulnus illud iterum dehiſcit, ſicadeoque, quod in puella vidi, cujus trachea fere ad œſophagum usque diſſecta erat, quo exſpiratus aër cellulas pinguiferas ſubeat, oriaturque *emphyſema*, quod in adducta puella tantum fuit, ut tam facies quam dorſum & pectus & abdomen, tympani inſtar tumeſcerent, quo in caſu, niſi favor ſanguinis pro rea ſtetiſſet, & neglectus aliquis in cura commiſſus ſeſe manifeſtaſſet, dubitari, annon vulnus per ſe lethale fuerit, poterat; ſed per accidens lethale fuiſſe viſum eſt, cum aliqua res interveniens lethalitatem abſolutam limitaſſet.

§. 14.

Per collum feruntur atque ex capite deſcendunt nervi, *par vagum atque intercoſtale*, qui equidem, niſi raro caſu, ſoli vulnerari nunquam poſſunt, aſt, ſi illos etiam ſolos, vulnus compunctum,

ctum, lateraliter forte inflictum, tangeret, oporteret mortem, etiam si saltim in uno latere, quin levius saltim, tacti fuissent, ex convulsione consequi, nec excusationi locus foret: sunt enim isti nervi vitales, atque plexum tam cardiacum quam pulmonicum conficiunt. Lateralia colli, quæ musculis scapulæ ac costarum levatoribus scalenis infliguntur, vulnera, ob nervos magnos ibidem ex medulla colli egressos, merito censentur lethalia, non enim tantum ideo servari haud potuerunt ita vulnerati, quoniam illis carnes artuum, vita nunc privatæ, sphacelo corripiuntur, sed etiam propterea, quod *nervus phrenicus* inter tertiam atque quartam vertebram colli ex medulla spinali procedens, & primo nervorum, qui axillarem faciunt, ramo adnascens, ita convellitur, ut ex diaphragmate convulso mori necessum sit. Proinde recte BOHNIVS, *adducto loco*, omnia nervorum colli paria absoluta cum lethalitate vulnerari, existimavit, etiamsi magnum atque cruentum adeo vulnus haud foret. Gula, qua alimenta descendunt ad ventriculum, etiam intactis, quæ prope sunt, vasis sanguifluis magnis, vulnus lethaliter recipit; observatum tamen est a BERNHARDO SVEVO, Tractatu *de Inspectione vulnerum Part. II. p. 17.* ejusmodi vulnus sanatum fuisse, cum inter fibras ejus longitudinales descenderet, nam ad horizontem secta gula, deglutita effundit in cellulosum, qui circum est, contextum, unde putredo, hinc mors inevitabilis; multo minus servabitur, cui gula per thoracem

cem deſcendens diſſecatur, aliove modo læditur, licet externum vulnus, illuc, intactis partibus aliis, læſionem non niſi abſolute lethalem recipientibus, ire haud poſſit.

§. 15.

Colliſa colli vulnera inter ambigua ſunt, ſi preſſu, ſtrangulatu, gravique ictu ſanguis inter muſculos fuſus eſt, maxime, ſi caput aſperæ arteriæ ejusque cartilagines, *thyroidea*, quæ anterior & ſcutiformis, *cricoidea* ſeu *annularis*, atque *duæ arytænoideæ* glottidis ſeu rimæ illius, qua aër tracheam ſubit, contunduntur, educi enim ſanguis facile nequit; Si caſus ita fert, per ſectionem legalem de ſanguinis inter iſtas partes effuſi copia,& eum reducendi ac diſcutiendi impoſſibilitate, conſtare ante omnia debet; ſuffocationem enim, quæ ex ejusmodi vulnere colliſo ſenſim oborta eſt, excuſat chirurgiæ omiſſio, ſi novam aëri viam, inciſis lege artis tracheæ annulis, per ſic dictam Tracheotomiam, veluti angina affectis fieri conſultum eſt, medentes haud aperuerunt.

CAP. II.

De Læſionibus mortis cauſis.

ARTICVLVS IV.

De Læſionibus Thoracis.

§. 1.

Cum vitæ forma in circulo ſanguinis atque humorum conſiſtat, hinc omnes illæ læſiones, quæ efficiunt, ut viſcerum liquida vitalia circumagentium

rium actio ceſſet, mortis quoque inevitabilis cauſæ fiunt aut fuiſſe dicentur: Sicut ergo læſiones, quibus ſpiritus vitalis cerebri, tanquam motoris communis iter præcluditur, mortem abſoluta neceſſitate inferebant, ita etiam violentiæ, quæ machinam vitalem pulmonum vel cordis corrumpunt, mortis cauſæ neceſſariæ & incoërcibiles fuiſſe perhibentur: Atque ejusmodi injuriæ externæ, quæ vitæ leges in aëris uſu poſitas evertunt, illæ ſunt, quæ thoracem affligunt, mediam corporis cavitatem, quæ tam viſcera motum vitalem exercentia intra ſeſe continet, quam variis partibus ad dilatationem & contractionem perpetuam neceſſariis compingitur: Sunt enim in thorace viſcera, quæ tanquam cauſæ vitæ proximæ conſiderantur, Cor cum pulmonibus, cujus utriusque organi actio in circumducendis liquidis vitalibus ponitur, ut, ſi hominem nobis ſiſtimus, qui ſua propria poſt nativitatem vita vivit, utriusque illius partis actio ſit ſocia, nam nulla ſola agit, neque pulmonum motus, nec cordis motus, ſolus ad vitam ſufficere poteſt. Ea lex vitæ, animalibus in aëre viventibus lata eſt, & ita illorum viſcera thoracis perpetuo nexu inter ſe commiſſa ſunt, ut, quamvis omnes partes atque omnia vaſa corporis ad vitam, veluti illa omnium actionum concurſus atque effectus communis eſt, conferant, cor tamen atque pulmones, actione ſua, vitam, ſtricto ſenſu ſumptam, veluti eſt vis humores vitales per omne corpus æqua vi pro-

projiciens, iterumque in ſe recipiens, efficiant; Adeoque, ſi afflictiones tantæ ſunt, quæ actionem cordis atque pulmonum opprimere potuerunt, merito habentur pro abſolute lethalibus.

§. 2.

Poſſunt thoraci violentiæ inferri, quæ actiones vitæ proprias immediate haud lædunt, nec cor nec pulmones attinent, ſed ſaltim vel pectoris parietes, coſtas, ſternum atque adnexos illis muſculos, vel vaſa ac tubos alios in thorace contentos deſtruunt. Tranſeunt per thoracem vaſa, quorum alia adſcendunt, alia deſcendunt. Ductus thoracicus, ciſternæ lumbaris, chylum atque lympham viſcerum imi ventris recipientis, continuatus canalis eſt, hinc ad latus aortæ, inter duo crura muſculorum diaphragmatis inferiorum adſcendit, & a duodecima ſeu ultima vertebra dorſi, inter duplicaturam mediaſtini poſtici, vario reptatu, adſcendit, aortæ ſemper vicinus, ſub cujus arcu, ultra primam coſtam verarum elevatur, & ſeſe in venam ſubclaviam ſiniſtram demergit. Hæc via eſt chyli, illius ſcilicet materiæ quotidie novæ, ex alimentis elaboratæ, quæ novi ſanguinis materies futura eſt. Adeoque, ſi vulnus hunc canalem præſcindit, neceſſaria, inevitabilis, licet lenta, mors futura eſt, omnis enim chylus effunditur in thoracis cavum, hinc erit thoracis hydrops, nulla novi ſanguinis materia cordi dabitur, & ex utraque cauſa mors ſubſequetur. Hoc ita fieri poſſe LOEWERVS docuit, atque canem ita vulneravit, ut illi ſub priore coſta, in-

tactis vasis aliis, ductum thoracicum resecaret, viditque, ex effuso in thoracem sensim chylo mortem animali evenisse. Ast vix unquam solus ductus thoracicus, illæsa aorta, vulnerabitur, uti illi æstimare possunt, qui viderunt, quanta sit hujus atque illius implicatio. Vidit tamen THOMAS BARTHOLINVS *Epistol. Cent. 3. Epist. 37.* lacteum humorem ex vulnere dorsi, & veluti casus eveniunt, quos evenire posse vix putares, ita posset quoque fieri, quo vulnus inter costas, prope vertebrarum commissuras procedens, summam aortæ oram lambens, hanc liquidi vitalis viam destrueret, quam noxam nulla ars corrigit. Eadem possibilitate œsophagus, qui supra aortam descendit, perque thoracem ad os ventriculi superius properat, vulnus acciperet, quod si longitudinale est, consolidari potuit, nequivit autem illud, quod transversim sectum fuit. A sinistro latere inter costas demersum vulnus discindere venam posset eam, quæ *sine pari* seu *azygos* dicitur; Hæc ab ima costa ad summam procedit, venarum, quæ inter costas utriusque lateris sunt, sanguinem in se recipit, inque truncum venosum exit, venæ cavæ superiori insertum. Hac vena dissecta visa, &, veluti evenire aliter haud potest, magna sanguinis copia intra thoracem hinc collecta, mortem exinde evenisse, nec impediri illam arte potuisse, pronuntiabitur: Inter singulas costas, prope ad illarum limbum inferiorem procedunt arteriæ intercostales cum venis sibi respondentibus, atque illæ omnes immediatæ aortæ descendentis

dentis ſunt propagines. Hæ, exceptis prima vel altera ex ſuperioribus, quæ ex ſubclavia, magnam, parvo temporis ſpatio, ſanguinis quantitatem evomunt. Poſſet adeoque mors ex tali, tenui licet, vulnere conſecuta eſſe, lenta aliqua hæmorrhagia, cum omnis ſanguis, parvo vulnere de corpore effluere non minus, aſt intra longius tempus ſoleat, quam ille ex magno vulnere, intra breve tempus emanare ſuevit. Poſſet etiam ex empyemate, ſi ſanguis in cavum thoracis effuſus in illo computreſcit, mortuus eſſe, qui vulnus accepit. Aſt, in utroque caſu mortiferum vulnus haud fuit, cum in *priore* caſu, hæmorrhagia compeſci inducta ligatura potuerit, in *altero* autem, quod ſanguinem ex tali vulnere in thorace collectum concernit, perforari imus thorax, illa; quæ *paracenthefis thoracis* dicitur, operatione, debuiſſet. Quodſi ab ictu, plaga, fuſtigatione, calcitratione, ſanguis inter muſculos, qui juxta coſtas ſunt, aliasque carnes reſpirationi dedicatas, atque inter pleuram, illam ſcilicet quæ coſtas ſuccingit membranam, effuſus eſt, atque ibi quievit, hinc inflammatio, gangræna, tandemque mors conſecuta eſt, poſſet equidem mors, ab interveniente cauſa & neglectu aliquo curationis, eveniſſe videri; verum quodſi, quod fieri oportuit, factum eſt, ſi vena aliquoties ſecta fuit, nec quidpiam præterea erroris in methodo medendi commiſſum eſſe deprehenditur, ubi etiam livor atque ecchymoſis aut ſanguinis effuſio, late, cum ſignis gangrænæ, inter pleuram atque muſculos

procedens, in funere reperitur, nullum eſt dubium, ex affliſtione curam haud admittente mortem conſecutam fuiſſe; atque hæ læſiones thoraci cum aliis partibus communes ſunt.

§. 3.

Propriæ autem thoraci læſiones mortiferæ illæ ſunt, quæ actionem cordis atque pulmonum impediunt. Cor ſua ſubſtantia offenſum inevitabilem mortem facere, nemo negavit, licet, fuiſſe, qui aliquot dies ab accepto vulnere cordis ſupervixerint, memoriæ proditum ſit ab autoribus, quos BOHNIVS *Renunt. Vuln. Lethal. p. 298. 300.* excitat. Etiamſi enim ad ventriculos atque auriculas cordis vulnus haud deſcendiſſet, ſed externa ſaltim fibrarum ejus ſtrata tetigiſſet, atque illud intactis pulmonibus ita contigiſſet, quod fieri poteſt, ubi gladius juxta ſternum penetrat, qua parte cor ſuo pericardio involutum ſtatim mediaſtino ſubjacet; Etiamſi quoque cordis vulnus foret exiguum, nec ſanguis ex cordis vaſis coronariis, in capſam cor involventem effluxiſſet; tanta tamen eſt vel minimi ac ſuperficialis in corde vulneris efficacia, ut, illo lethalem convulſionem, eamque ad mortem uſque perpetuam conſequi neceſſum ſit, veluti experimenta cum animantibus hunc in finem inſtituta clare docuerunt, ut propterea hoc etiam ſenſu vera ſint, quæ POETA VENVSINVS, *de Ponto Libr. I. Elegia IV. ſuo ſenſu profert.*

Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.

Vti

Vti enim cor muſculus eſt omnium totius corporis validiſſimus, utpote qui labore continuo, indefeſſus, per omnem vitam humores projicit, mutat, applicat, inque ſe iterum recipit & perpetua aliqua viciſſitudine motus ſuos contractivos, ſeu *ſyſtolen*, atque expanſivos, ſeu *diaſtolen*, exercet, atque ad iſtam motus vitalis primarii perennitatem ſuſtinendam nervorum, qui a cardiaco plexu oriuntur, ſingularem indeptus eſt copiam, & fibras ſuas muſculares tam longitudinales, quam obliquas & orbiculares igneo ſpirituum fluido habet refertiſſimas, quibus vaſa ſanguinea, *coronaria* dicta, arterioſa atque venoſa intertexta ſunt numeroſiſſima; Ita quoque primarium illud vitæ organon ſenſu pollet exquiſitiſſimo, & ad leges viſcerum nervoſi generis facile convellitur, eoque minor ſpes eſt conſolidari vulnus ſubſtantiæ cordis poſſe, quo perennior ſemper ejus motus eſt, qui glutinari vulnera haud ſinit. Et poſſet quidem ventriculus cordis ſiniſter, qui aortam emittit, ideo, quod validior, & denſioribus fibrarum orbicularium ſeriebus compactus eſt, vulneri accepto diutius reſiſtere, utpote cujus ſubſtantia unciam craſſitie æquat; eſt ventriculi cordis dextri paries, cum tenuis ſit, a vulnere penetrabitur facilius, vitæque finem ponet citius, ut probabile ſit, illos, qui vulneri cordis ſupervixerunt, ſiniſtra potius, quam dextra ejus parte vulneratos fuiſſe. Involvitur cor capſa membranacea, quæ mediaſtini, ſeu ſepti thoracem dividentis eſt progenies; Hæc pericardium

dicitur, atque *ſuperius* baſi cordis ejusque vaſis majoribus adhæreſcit, *inferius* autem circulo diaphragmatis tendineo alligatur. Tenuis equidem illa tela eſt, ſed vaſis ſanguiferis arterioſis atque venoſis, quæ *pericardica* vocantur, gaudet numeroſis, quorum vulnus haud mediocrem atque lethalem ſanguinis fluxum movere poſſet, tunc maxime, ſi illorum trunci, arteria vel vena mammaria interna, ſauciati fuiſſent; Aſt eo numeroſior eſt nervorum per illam membranam diſtributio, & primarius aliquis nervus *phrenicus* dictus, qui ſpiritus vitales ad ſeptum transverſum ducit, prope latus pericardii, utrinque unus, decurrit. Etiamſi ergo ita feliciter ceſſiſſet vulnus, ut pericardium ſolum attingeret, ad latus ſcilicet ſterni demerſum, neque illo vel vaſa *mediaſtina*, arteria atque vena hujus nominis, nec glandula, quæ *thymus* dicitur, infantibus ſemper grandior, tacta atque ſauciata fuiſſet; Etiamſi quoque vulnus cor haud attigiſſet, attamen, ſi mors conſecuta ex tali vulnere eſt, alia de cauſa inducta eſſe haud potuit, quam quod liquor ille, qui intra capſam cordis, halitu ejus inſenſibili, colligitur, effuſus in thoracem eſt, unde cor aliquam motus ſui perennis cauſam in lubricitate alluentis humoris pericardici poſitam amiſit, hinc motum ſuum vitalem exercere haud potuit; multo autem certior mortis cauſa vulnus pericardii eſt, quodſi ſimul arteriæ mammariæ internæ ſub ſterno ad diaphragma protenſæ, ſauciatæ, incoërcibilem ſanguinis fluxionem paſſæ ſunt: Aortam, quæ ſiniſtro

niſtro thorace deſcendit, atque omnium totius corporis arteriarum mater eſt, hinc *venam cavam*, tam illam, quæ diaphragma a dextris pervadit, & ad cordis auriculam anteriorem properat, *adſcendens* atque *inferior* dicta, quæ intra thoracem brevis eſt, quam illam ſuperiorem, in quam utraque *axillaris vena* cum *azygo* confluunt, ſauciari, lethale eſt, veluti vulnus auriculæ cordis dextræ, majoris atque anterioris, quæ ſanguinem totius corporis, excepto pulmonico, recipit, atque ſiniſtræ, poſterioris atque minoris, quæ ſanguinem pulmonicum per venas pulmonicas capit, mortem, abſoluta lethalitate, affert, eo plus, quo minus intactis ſit pulmonibus.

§. 4.

Pulmonum actio impedita, brevi tempore mortem affert, & violentiæ, quibus hæc impedimenta allata ſunt, per ſe, ſimpliciter atque abſolute lethales fuerunt; Vti enim motus ſine motore, ita circulus humorum ſine aëris impulſu ſubſiſtere nequit, utpote qui, motus cordis, poſt influxum ſpirituum per nervos cardiacos, cauſa eſt ex primariis altera. Aër, ubi, ampliato per ſuos muſculos thorace, aſperæ arteriæ caput, quod *larynx* dicitur, ſubiit, illectus ſcilicet, pectore ad legem follis diducto, neutiquam autem ſponte irruens, tunc ſequitur ille aſperæ arteriæ, ſeu *trachææ* ramos, atque totidem, quot illi ſunt, fluminibus aëreis ad minimos horum ramorum fines, qui *branchia* appellantur, procedit, ingrediturque contextum celluloſum, qui vaſa pul-

monum aërea atque ſanguinea, arterioſa atque venoſa, continet. Veluti ille contextus mollis eſt, rarus, dilatabilis, ita inſpirati pulmones volumine augentur, ut illi, pleno aëris hauſtu diſtenti omnem thoracem, a ſumma coſta ad ultimam usque, repleant. Eſt aliquis in aëre occultus vitæ cibus, quo paſti oblectamur, & mirifica hilariter atque libere inſpirantibus voluptas oboritur; Sentimus enim abinde virium noſtrarum augmentum, quando ſubtiliſſima atque ignea aëris inſpirati pars, quam *ætherem* appellant, ſanguinem ipſum ſubiit, atque illi, inſertis in venæ pulmonalis oſtiola branchiorum finibus, immixtus eſt, ſique aër ſuo preſſu ſanguinem chylo novello per arteriam pulmonalem advecto miſcuit, eumque circuli legibus accommodavit; quodſi etiam aër, veluti ejus calor auctus, dum exſpiratur, docet, caloris ſanguinis partem ſorbuit ſecumque abſtulit. Quidquid enim horum ſit, ſive omnes iſtos uſus, ſive unum ſaltim atque alterum ex his reſpiratio præſtet, conſtat tamen, aëris inſpirationem conditionem eſſe a vita inſeparabilem, interque illius cauſas numerari primarias. Proinde pulmones, ſi illos in expanſione conſideras, viſcus ſunt ampliſſimum, quod brevi tempore totius corporis ſanguinem, actione ventriculi cordis anterioris, in ſe recipere atque illum per totius arteriæ pulmonalis ſyſtema omni pulmone expanſum, disjicere, connubii cum aëre opportunitatem, hac ſua amplitudine, ſuppeditare, magnam aëris columnam vaſto tracheæ

cheæ per pulmones diſperſæ ſyſtemate, recipere, illum tenere, ſicque vitalem illam aëris in ſuccos vitales, actionem exercere valet. Atque hæc pulmonum actio ita perficitur, ut, ſecreta aliqua per halitum inſenſibilem ſeri ſanguinis parte certe haud minima, veluti vapores ore emiſſi docent, ſanguis ipſe chylo mixtus, per oſtia venarum pulmonicarum finibus arterioſis reſpondentia, ad venas pulmonicas, ex his ad ſinum venæ pulmonicæ, tandemque ad ventriculum cordis poſteriorem, interveniente auricula illius lateris, compellatur. Quo magis ergo neceſſaria ad vitam pulmonum actio eſt, ut ſine illa cordis actio ſubito ceſſet, eo minus de lethalitate illarum læſionum dubitandum eſt, utpote quæ commercium aëris cum ſanguine abſtulerunt, thoracem ita mutaverunt, ut aërem inſorbere ille haud poſſit, ac pulmones talem in modum deſtruxerunt, ut nec aërem nec ſanguinem continere valeant; ad hæc enim capita, quæſtiones de uſu pulmonum vi aliqua externa intercepto, reverti arbitror: Commercium aëris cum pulmonibus aufertur, ſi impedimentum in ore vel jugulo eſt; aufertur etiam illud, ſi thoraci vis ſeſe expandendi demitur; aufertur quoque, ſi pulmo ſuæ ſubſtantiæ jacturam ac unionis vaſorum læſionem paſſus eſt per vulnera, quæ aëris atque ſanguinis viam per ſua vaſa præſcindunt. Aufertur denique commercium aëris cum ſanguine, ubi pulmones violentia aliqua externa colliſi ſunt, atque cruorem in ſe receperunt. Afflictiones adeoque

pulmonum lethales, vel *incruentæ* ſunt, ſuffocationes ſcilicet proprie ſic dictæ, vel *cruentæ*, omnes ſcilicet, quæ unionem partium thoracis, ejusque vel oſſium vel muſculorum, atque ipſorum denique pulmonum integritatem deſtruunt.

§. 5.

Impedimenta ponuntur aëri, per nares atque os, ad rimam glottidis eunti, ſi viæ iſtæ præſtruuntur, quod ſuffocare dicitur. Varia equidem iſta, atque ex morbo cauſisque ſponte naſcentibus orta eſſe poſſunt, ut, qui morte naturali abreptus fuit, violenta manu ſtrangulatus eſſe videatur, uti, ſi mulier ſuffocatione hyſterica, quæ nervorum pulmonalium ac aſperæ arteriæ & laryngis ſpaſmodica per conſenſum cum utero facta eſt adſtrictio, extincta fuit. Illi, ex deſcriptione MOSCHIONIS, vetuſti autoris, eadem, quæ ſuffocatis, ſigna ſunt; ita enim ille: *de morbis mulierum*, prodidit: τὰ ὑποχόνδρια εἰδίσκονται ὑπ' αὐτὰς. ὁ θώραξ ἐπαρμένος γίνεται μέγας, αἱ βλέβες ἐν τῷ μετώπῳ ὅσαι ὀγκωδέστεραι ὁρῶνται. *Habent illæ hypochondria elata, & ipſe thorax elatus valde fit, & venæ quæ in fronte ſunt, tumidiores apparent.* Hoc adeoque affectu abreptæ mulieres, ſi morbus illas derepente invaſit, ſtrangulatis ſimiles, ac vi externa oppreſſæ videbuntur. Infantes ſimiliter, quando dentes inciſores eruptionem tentant, convulſivi pereunt celeriter, illisque facies tumet, corpus liver, poteſt ergo fieri, quo nutrix, ac ſi infantem dormibunda oppreſſiſſet, in ſuſpicionem adducatur, eo ſimi-

liorem

liorem vero, quo frequentius dentienti puero ſpuma, quæ inter ſigna ſuffocationis eſt, in ore reperiri ſolet. Operæ adeoque pretium eſt, ſigna veræ ſuffocationis diſpicere; Hæc quidem in genere ſumpta, & quæ ſeſe ad omnes ſtrangulationis modos extendant, certa nulla ſunt, cum variæ mortes ſubitaneæ eadem, quam quæ ſtrangulatorum ſunt, ſigna in funere relinquere ſoleant. Qui convulſivi moriuntur, qui apoplectici pereunt, ſimiliter ac præfocati, ventriculos cordis ſanguine plenos habent, illis venæ majores atque auriculæ cordis tument, venæ frontis, atque piæ matris ſunt conſpicuæ, facies rubet, ut ſane, quo proprio ſuffocatorum ſigno violentum illud mortis genus definiri debeat, clare ſemper haud conſtet. Adeoque ad certos caſus reſtringendæ quæſtiones ſunt.

§. 6.

In aquis reperti inque illis ſuffocati viſi, ſive malo ergo ſe ipſos animo, ſive temulenti, ſive mala fortuna illapſi ſint, habent in ſe conditiones, quæ vivum demerſum nec alio mortis genere extinctum in aquas projectum eſſe, ſignificant. Qui vivus præceps in aquam actus eſt, magna contentione vitam ſervare ſtudebit, hinc apices digitorum dilaceratos atque cruentos *Clariſſimus* BOHNIVS pro indice vivi in aquas demerſi aſſumit. Interea, quando contra aquam luctatur, anteaquam demergitur, obtinere a ſe haud poterit, quin aquam deglutiat, quamvis illam a demerſo deglutiri haud poſſe, BECKE-

RVS (c) ſtatuat; Signum adeoque evidens eſt vitæ finis in aquis reperti, ſi conſimilis illi, in qua funus inventum fuit, aquæ liquor intra ventriculum defuncti reperitur. Cum diſſecarem funus recens nati, quem mulier paritura ex utero in vas, aquis ſtercore humano mixtis dimidia parte repletum, delabi paſſa erat, præter alia vitæ poſt nativitatem actæ ſigna, pulmones ſcilicet aëre ſemiplenos, atque ſanguinem, a præcipitio in durum vaſis latus, ſub integumentis & ſub calvaria effuſum, illud quoque deprehendi, deglutitionem ab infante peractam fuiſſe, videbam enim ventriculum liquore turgidum atque diſtentum, cumque illud liquidum amnii forte humor eſſe videri poſſet, quem infans in utero materno ſuxiſſet, inſtituto experimento, fœtidam aquam repertam in ejus ventriculo, illi ſimilem, in qua perierat, eſſe intellexi. Equidem omnes, qui in aquis ſuffocantur, aquas bibere haud puto, cum non poſſint, ſi ſubito alto flumine vel lacu demerguntur; ſed illos, qui aliquamdiu ſuperficiem aquæ tenent, inter colluctationem temperare ſibi, quin aquam hauriant, haud poterunt; adeoque perpetuum equidem illud ſignum haud eſt, non tamen omnino negligendum. Deinde qui demerguntur in aquis, inſpirando moriuntur, ergo in illorum funere abdomen, propter diaphragma, quod morienti in planitiem expanſum fuit, propulſis hinc ad

(c) IO. CONR. BECKERVS de ſubmerſorum morte ſine pota aqua. Ienæ 1720. 4.

ad ima inteſtinis, tumet, & ventriculus, qui cæteroquin ſub hepatis lobo ſiniſtro delitescit, ſuffocatis in aqua, propter eandem rationem, prominet, veluti hoc ſignum BECKERVS, experimentis a ſe ſæpe factis, ſtabilivit. Adeoque jam mortuum, & occultandi criminis cauſa in aquas projectum cognoſcas, ſi thorax illi depreſſus eſt, nam exſpirando vitæ finem poſuit, ſi abdomen, niſi forte ab inchoante putredine, haud tumet, ſi inteſtina in ſitu ſuo naturali reperiuntur. Ita, ſi caſus fert, infantem qui in aqua repertus eſt, non intra illam, ſed alio modo enectum eſſe, per eadem ſigna judicabis; Qui in aquis ſuffocati ſunt, quoniam inſpirando moriuntur, utpote qui, vitam ſervandi deſiderio magnoque conatu aërem petunt, pulmones habent illo turgidos, plus illis, qui animam efflando moriuntur; adeoque pulmonum plenitudo, ſi tales illi ſe ſiſtunt, ac ſi ſtudioſe, inflato aëre, repleti fuiſſent, ſignum ſuffocatorum in aqua eſt, collapſi autem, ſignum mortui anteaquam projiceretur, ſunt: Alia ſigna ſibi propria habent, qui de fune pendentes ſuffocantur, atque illi plus a compreſſis vaſis ſanguiferis juguli, arteriis carotidibus atque venis jugularibus, ob interceptum inter cor atque caput ſanguinis circulum, quam a defectu aëris, decedunt; Quodſi ergo de fune aliquis pendens, reperitur, dubiumque eſt, an alio mortis genere forte perierit, hinc mortuus, celandi criminis cauſa, ſuſpenſus fuerit, tunc, vivo circumjectum funem fuiſſe, docent extra-

extravaſationes ſanguinis circa jugulum, ubi funis ſedit; colliſa enim hac violentia cutis eſt, ipſique muſculi ac cartilagines aſperæ arteriæ ſanguinem ſub ſe habent. Illis facies tumet ac liver, lingua cum labiis nigricant, oculi tument, ſpuma in ore eſt, ſæpe ſanguinea, abinde, quod linguam moriens momordit; Venæ omnes, ſupra laquei veſtigium, tam faciei quam internæ illæ, quæ per piam meningem diſperſæ ſunt, ſanguine ſuo intumeſcunt, cum interceptum, a laqueo, ſanguinis iter per venas verſus cor fuerit: Thorax his ſubiimis eſt, lingua prominet, ſcapulæ cum humero ſurſum ductæ ſunt, nam, qui ſuffocantur, uti in aſthmate quovis videmus, muſculos illos inſpirationi anxiæ inſervientes, qui claviculæ atque ſcapulæ alligantur, adſtringunt fortiter. Si pulmones ſuffocati videas, erunt illius vaſa ſanguinea pleniora, cumque impedimentum tunc ſanguini arterioſo poſitum ſit, quo minus ille per pulmones transjici poſſit, ideoque ventriculus cordis dexter, ex quo arteria pulmonalis oritur, ſanguine ſuo plenus eſt, ſiniſter vacuus, vel certe minus plenus, utpote cum vitæ ultimum tempus ſit ultima cordis ſyſtole. Verum omnia iſta ſigna, a tumentibus venis, ac plenitudine ventriculi cordis dextri ſeu anterioris deſumpta, quibus alii tentiginem mentulæ, urinæ atque fæcum expulſionem, in articulo mortis fieri penes ſuffocatos ſolitam, addunt, niſi ſimul adſit violentiæ externæ gutturi illatæ per ſugillationem facta ſignificatio, ſecura ſuffocatorum indicia haud ſunt,

cum

cum eadem etiam convulſis atque apoplexia abreptis adeſſe ſoleant: Hinc nulla violentæ cujusvis mortis ſigna incerta ſunt, plus his, quæ ſuffocationem indicant. Adeoque circumſtantiæ loci atque temporis ſimul conſulendæ ſunt, ut probabile ſit, aliquem, in cujus jugulo injuriæ illatæ ſignum nullum deprehenditur, tamen alio modo & ſuffocatum periiſſe: Infans ſub ſtragulis, inter femora puerperæ inventus eſt, viſusque fuit ſupinus, facie prona, jacuiſſe, hinc, etiamſi ſigna cruenta abſunt, probabilius eſt, eum ſuffocatum neglectu, quam dolo manuque ſtrangulatum fuiſſe. Aliquis in cella vinaria, ubi muſtum fermentescit, exanimis jacet, probabilius ergo eſt, illum raritate aëris extinctum fuiſſe, ſi violentiæ cauſæ nullibi adſunt. Clandeſtini ſunt ſuffocationum modi: os atque nares manibus comprimuntur; ſulphuris accenſi halitu infanti ſpiritus præpeditur; in quibus omnibus certi quidpiam per ſigna intelligi omnino nequit.

§. 7.

Præterquam, quod ſuffocati pereunt, quibus iter aëris per os ad pulmones præpeditum eſt, alia quoque ratione pulmones per vim thoraci illatam quieſcunt, ut mortem propterea ſubſequi oporteat: Si enim vis, & cauſa phyſica quæ pulmones, reſpirationis ergo, diſtendit, ablata eſt, illorum quoque actio ceſſat ſubito. Totus autem thorax nihil quidquam eſt aliud, quam virium, quæ pulmonibus applicatæ, eosdem diducunt, colle-

collectio. Quamvis enim pulmones, in utraque thoracis cavitate per utrumque mediastinum tam anticum quam posticum divisa, de asperæ arteriæ trunco liberi pendeant, nullique, nisi per morbum, loco, pleuræ vel convexitati diaphragmatis adhæresçant, ut thorax musculorum suorum actione diductus pulmones distendere haud posse, videatur: attamen, cum thorax cavum sit, aëre vacuum, hinc pulmones pleuram proxime tangant, & naturam habeant corporis cum pleura continui, eidemque applicentur intime, ideoque sequuntur illi dilatati thoracis motum, atque, uti ille ubique, maxime in sua lata basi, cui diaphragma adfixum est, diducitur, ita quoque pulmones ubique, æqua lege, una cum thorace, distenduntur. Quodsi ergo continuitas ista, quæ est inter pleuram atque membranam pulmones ambientem, interveniente aëre, per vulnus thoracis, immisso, solvitur, tunc subito cessat pulmonum motus, id quod GALENVS *de usu partium Libr. 6. c. 3.* observavit quam curiosissime, viditque, animal in illo latere, vbi vulnus factum erat, pulmones suos aëre haud impleviſſe, &, cum latus utrumque confossum esset, extinctum fuisse: Hinc BOHNIVS lata & ampla thoracis inter costas facta vulnera, etiamsi his nec pulmones nec alia vasa læsa sunt, si utrumque latus apertum est, quod fieri potest, si sub sterno per mediastinum superius, intacto pericardio, gladius ab una parte ad alteram transfossus fuit, pro absolute lethalibus agnoscit, quia duplicato hoc vulnere

aër

aër utrumque thoracis cavum ingreditur, & unionem pleuræ cum pulmonum ſuperficie ſolvit, ſicut in cadaveribus, in quibus illud, quod per leges machinæ fit, perſpicere atque ad hominem vivum applicare poſſumus, luculentum eſt, atque videmus, vulnere intra aliquas coſtas facto, diaphragma ſubito flacceſcere, quod tamen, thorace integro, convexitatem ſuam ſervat ſtrictiſſime. Adeoque vulnus inter coſtas unius lateris nec periculoſum, nec, ſi mors exinde conſequitur, per ſe lethale eſt: Poſſet tamen ex tali vulnere mors eſſe, ſi effuſus ex vulnere, ob læſam aliquam arteriam intercoſtalem, ſanguis in pus converteretur, hominemque cum febre putrida abſumeret. Proinde HIPPOCRATES, claudenda ejusmodi thoracis vulnera haud eſſe, ingenioſe monet, quando *Lib. 1. de Morbis* ſcribit: *Quicunque ex vulneribus ſuppurati fiunt, aut ex haſta aut jaculo ſauciati intro fuerint, ſi ulcus exſpirationem per antiquum vulnus foris habet, & pus, vel ſi quid aliud eſt, expurgatum fuit, homo ſanus fit.* Etiamſi enim homo interea, dum vulnus apertum eſt, illius lateris pulmone haud reſpirat, ſiquidem, quod HIPPOCRATES eodem loco obſervavit, aër per vulnus in thoracem *frigidus intrat*, *calidus exit*; ad vitam tamen ſufficit alter pulmo, licet iſta tunc omnino ſit languida, ſi uterque pulmo junctis viribus aërem ſanguini haud applicat. Ne adeoque ex purulentia thoracis, quam *empyema* vocant, noxa oriatur, latus inter ultimas coſtas ſpurias pertundere,

tundere, pus evocare atque *paracentheſin* thoracis celebrare, chirurgia docuit, qua omiſſa, mors læſi hominis ad rationes aggreſſoris referri nequit.

§. 8.

Vectes oſſei, qui thoracem movent, & quibus potentiæ muſculares, dilatandi pectoris cauſa, applicantur, ſunt *coſtæ*. Hæ articulo, quem ginglymum appellant, moventur circa vertebrarum dorſi corpora; extremitas illis eſt cartilaginea; hæ, ſi coſtæ veræ ſunt, adhærent ſterno, atque illud elevant, ſuis adjutæ muſculis intercoſtalibus externis ſubſidente autem thorace, quando aërem exſpiramus, muſculis ſuis intercoſtalibus internis, deprimuntur. Adjuvant illas in hoc ſuo opere *claviculæ*, quæ ſummam ſcapulam cum ſterni oſſe ſuperiore, mediante articulo, qui *arthrodia* eſt, jungunt, & annexis ſibi muſculis, quando reſpiratio anxia eſt, elevantur. Aſt coſtæ ſpuriæ, ideo dictæ, quoniam ſternum immediate haud attingunt, annexum ſibi diaphragmatis muſculum ſuperiorem, circulo inflexum totique thoraci ſuccinctum, ſuſtinent, illumque, ſuis *ſerratis* adjuti muſculis, ad planitiem horizontalem ducunt, in qua diaphragmatis mutatione forma inſpirationis conſiſtit; utque illud efficacius præſtare poſſint, ex ſpuriis primæ intermediis cohærent cartilaginibus. Ergo, elevato ſterno, in quo capitula coſtarum verarum cartilaginea, ſedent, ſequitur annexa cartilagini xiphoideæ ſeu pugioniformi, pars diaphragmatis,

tis, ſicque inſpirationis negotium geritur, ut aër neutiquam ſuo elatere compulſus, pulmones ſubeat, ſed ad follis leges inſugatur, iterumque vel ſponte, vel molli preſſu contractorum a ſuis muſculis oſſium ſterni atque coſtarum, una cum pulmonum halitu inſenſibili, aſpera arteria exeat, calidior, qui frigidus inductus fuerat. Valida exſpiratio loquentium, ridentium, ſternutantium, vomentium, alvum deponentium & matris parturientis, muſculorum famulitio, qui abdominis tectum ſunt, perficitur: Licet autem plures ſint, qui actione ſua reſpirationem vel exſpirationem faciunt, muſculi, tam thoraci proprii, quam illi atque artubus ſuperioribus aut lumbis communes, primarius tamen thoracis motor diaphragma eſt, ſeu ſeptum transverſum, quod ad cartilagines coſtarum quinque inferiorum ac cartilaginem ſterni xiphoideam, ſuo majore ac ſuperiore muſculo firmatur, ſuo autem minore muſculo, qui in duo crura finditur, ultimæ vertebræ dorſi ac primæ lumborum adhæret, ita quidem, ut utriusque muſculi tendo in latam aliquam, quæ in medio ponitur, aream explicetur; hæc portio rendinea totius motus centrum eſt, ac pericardio, qua parte ad thoracem reſpicit, firmatur.

§ 9.

Quo neceſſaria magis horum inſtrumentorum ad actionem vitalem reſpirationis actio eſt, eo inſuperabiles magis noxæ ſunt, quæ illis accidunt: Quod coſtas attinet, illarum fracturas HIPPOCRATES, *de articulis Libro*, dubii eventus eſſe dixit,

&, quodſi plures fractæ ſunt, ſique in minutas fibras pleuram pungentes ſolutæ illæ fuerunt, quoniam quieſcere atque componi fragmenta nequeunt, cum thorax in perpetuo motu verſetur, ob lethalem atque haud extinguendam pleuræ, quam acuta fragmenta ſemper compungunt, inflammationem, cauſæ mortis fiunt incurabiles. Aſt transverſæ fracturæ, quæ aſperæ haud ſunt, etiamſi haud conſolidantur, miro tamen naturæ opere, callo committuntur mobili, ut vita maneat, licet debilis & ob actionis hujus vitalis defectionem futura brevior, ideo, quod pulmo coſtis fractis plerumque adhæreſcit, atque ulcus intra pulmones, effuſo ante ſanguine, naſcitur. Etiamſi etiam luxata & ſuo depulſa articulo coſta una eſt atque altera, neque iſta reponi poſſit, mortis tamen cauſa eſſe nequit, niſi violentia, quæ coſtam ſua ſede depulit, contudit etiam organa alia, quæ thoraci inſunt, ad vitam neceſſaria, vel medullam ſpinalem vitiavit. Diaphragma, ob vaſorum, arteriarum, nervorum, ac venarum, quibus omnibus phrenicis nomen eſt, copiam, hinc ob ſummam ſuam, in qua ſemper eſt, tenſionem motumque illum perpetuum, ſine quo reſpiratio atque vita ſtare nequeunt, vulnera accipit periculoſiſſima, &, prouti cadunt, abſolute lethalia. Poſſet vulnus inter infimas coſtas inflictum pulmones præterire, atque in carneo ſepti limbo ſubſiſtere; tali vulnere, ſi ſolum eſt, niſi a cauſa aliqua interveniente, nemo interit; quamvis enim ſumma reſpirandi difficultas tunc ſit, &

fere

fere ſuffocatio, attamen, cum vaſa diſſecta ſanguinem copioſum haud fundant, nec tendo ibi ſit, majorve nervus, ſi quis periret, moriretur paraphrenitide aut ſepti inflammatione, quam repetita ſolvit venæ ſectio, cum aliis pharmacis gangrænam cohibentibus; Aſt, ſi vel tendo diaphragmatis læſus eſt, vel, qui illum perforat, oeſophagus in os ventriculi ſuperius excurrens, ſimul læſus eſt, vel vaſa, vena cava, quæ dextra parte per ſeptum adſcendit, vel aorta inter crura diaphragmatis prope vertebras lumborum deſcendens, vel nervi majores ſepto proprii, vulnerantur, ſique propinqua viſcera, hepar a dextris, lien a ſiniſtris, læſa ſimul fuerunt, atque etiam, ſi ſolus diaphragmatis tendo læſus eſt, mors evitari haud potuit. Imo ab incruenta etiam læſione ac convulſivo ejus tremore, ob inflictum ſcrobiculo cordis, veluti dici ſolet, ſeu regionem epigaſtricam ictu, mors conſecuta, de neceſſitate evenit.

§. 10.

Ipſe follis aëreus in thoracis utraque cavitate ſuſpenſus, in duos majores, dextrum atque ſiniſtrum, deinde in plures, medios, minores, minimos, tandemque folliculos aëriferos plurimos diviſus, vaſis pervius eſt copioſis ac magnis. Horum *alia* pro officio gerendo data ſunt, aſpera arteria cum finibus ſuis, quæ branchia audiunt, arteria pulmonalis, a cordis anteriore & dextro thalamo naſcens, vena pulmonalis, in auriculam & ventriculum cordis poſteriorem ac ſiniſtrum

desinens, quibus accedit plexus nervorum pulmonicus, ab intercostalis vagique nervi concursu oriundus, *alia* nutritionis causa accedunt, arteria scilicet atque vena bronchialis; Læduntur adeoque pulmones ubique periculose, ast non ubique lethaliter. Nam ejusdem amplitudinis vasa ista, tam aërea quam sanguifera atque nervea, sunt neutiquam, sed in superficie & prope limbos in aciem aliquam tenuem excurrentes, vasa illa fiunt tenerrima, quæ, sauciata, parum dimittunt sanguinis, vulnusque habent, collapso pulmone parvaque ac tenui respiratione servata, clausum, atque ipsa pulmonum substantia, cum sensus exquisiti expers sit, facile haud inflammatur; adeoque, siquis tenui pulmonis vulnere, quod ad limbos illorum inflictum fuit, extinctus est, ubi sanguinis magna quantitas in cavum thoracis effusa haud apparet, sed ex febre æger decessit, aut empyemate, seu purulentia thoracis, quando sanguis in thoracem effusus in pus vertitur, defunctus est, cum hæc omnia curam admittant, vulnere per se lethali interiisse haud existimatur. Proinde HIPPOCRATES, *in Coacis Prænot. Moriuntur*, ait, *si in arteria & pulmonibus plaga valde magna fiat, ita, ut pulmonibus percussis paucior spiritus per os procedat, quam is est, qui ex vulnere elabitur.* Hinc non evadunt, quibus aër cum sibilo multoque sanguine ex vulnere thoracis prodit, nec servatur, qui spumosum ac copiosum sanguinem, sputo, post vulnus ejicit, atque ille quoque homicida est, qui pulmones vulnera-

vit

vit ulceroſos aut ſcirrho induratos, nam futilis eſt, ob pulmones vitioſos hominem ſanari haud potuiſſe, excuſatio. Sæpe Ecchymoſis, ac ſanguinis intra cellulas pulmonum facta effuſio, ipſo vulnere eſt nocentior, cujus lethalitatem ALBERTI *Tom. I. Append. Caſ. XXVII.* annotavit.

CAP. II.

De Læſionibus mortis cauſis.

ARTICVLVS V.

De lethalitate vulnerum abdominis.

§. 1.

Ima corporis cavitas illa continet viſcera, quæ novam ſubinde nutritionis materiam ex alimentis conficiunt, atque liquores vitales novos, ſanguini ſubinde immiſcendos, elaborant; Proinde, quando quidem naturam, ſeu compagem ſolidorum atque fluidorum, ſuſtinent, atque illam, ubi detrita aliove modo deperdita fuit, actionibus ſuis reſtituunt, dicuntur *naturalia*, ac ipſæ actiones *naturales* appellantur. Natura autem, quæ nexus cauſarum omnium eſt, quibus vivimus, valemus atque convaleſcimus, vel ſolius individui curam gerit, & illud conſervat, *nutritione*, vel genus conſervat, *generatione*, ad quæ duo capita actiones omnium, quæcunque intra abdomen, ac continuum illi cavum ſcroti virilis

continentur, viſcerum, revertuntur. Nutritio eſt aliquis actionum complexus, quarum *aliæ* materiam nutrientem ex alimentis ſolidis ac fluidis perficiunt, has ventriculus cum inteſtinis exercet tenuibus, *aliæ* optimos humores ex ſanguine confectos admiſcent, quod eſt lienis, hepatis, pancreatis, *aliæ* denique, omne id, quod peregrinum in ſanguine eſt, dejiciunt, inteſtina ſcilicet, craſſa dicta, hinc viæ urinariæ, renes cum vreteribus, ac veſica urinaria. Horum viſcerum omnium læſiones, quæ ſubſtantiam illorum deſtruunt, ac vaſa illorum majora, cum ſanguinis fluxu incoërcibili dividunt, mortem faciunt inevitabilem, pauca ex illis medelam admittunt, nec niſi illæ curantur, quæ procul ſunt a vaſis, ſuperficiem illorum tangunt unice, nec tota illorum ſubſtantia acceptæ ſunt, aut illæ, ad quas manus chirurgi pervenire poteſt.

§. 2.

Ex illis, quæ alimenta in ſimilem elementis corporis noſtri materiam convertunt, viſceribus, primarium eſt ventriculus, cujus læſiones, ubi totam ejus ſubſtantiam deſtruunt, ſunt lethiferæ, nullamque curationem admittunt. Hæ ſub duobus comprehendi poſſunt capitibus, quorum alterum, cauſas violentas ore acceptas, deglutitas, internæ ventriculi ſubſtantiæ adplicatas, ſeu *venena*, alterum afflictiones foris allatas, ſeu *vulnera*, continet: Omne, quod ad hominem delatum, ejusdem partibus ſolidis applicatum, illas deſtruit ac ſolvit, humoribus autem immixtum, illos vel figit

figit vel diſſolvit, venenum dicitur. Hoc, applicandi modo, differt; quædam enim venena cuti applicata ſubeunt ſanguinem venis ſorbentibus, humorum motus vitales deſtruunt ac intervertunt, aſt alia nocent, uti ore accepta in canalem alimentorum ſæviunt. Nunc de illis potiſſimum agitur, quæ ſua virulentia ſubſtantiam inteſtinorum diſſolvunt, eaque deſtructa, mortem afferunt inevitabilem: Horum conſueta via, gula eſt, ſeu oeſophagus, rarius fortaſſis, ſub ſpecie clysmatis, venenum ano injicitur; poſſet tamen hac via ſatis callide injectum fuiſſe; hominum enim malitia, crimina celandi artificio ſemper juncta eſt: ſed frequentior veneni formula illa eſt, qua toxicum ſeu tædio vitæ ſponte accipitur, ſeu doloſe, fortaſſis etiam ſaltim culpoſe, alimentis mixtum, ſuggeritur.

§. 3.

Non una eſt venenorum in corpus agendi ratio. Quædam ex illis, partibus, quibus applicata ſunt, ſolutionem inferunt continui, dum illorum vis in acredine deſtructiva conſiſtit; Hac ratione illa agunt, quæ cauſtica ac corroſiva dicuntur. Horum effectus lethiferi frequentius in foro obveniunt, cum ſint manifeſti & ſignis luculentis conſpicui, ſunt autem venena alia, quæ latenter occidunt, ſubſtantiæ ſolidarum partium nihil detrahunt, adeoque ſingulari aliqua facta in illis mutatione cognoſci nequeunt, ſed ſaltim illorum vim vitalem extinguunt, & vaſa ita laxant, ut agere porro in ſua liquida, atque illa movere haud

valeant, talia venena ſunt ſtupefactiva ſeu νάρκωσιν inducentia; alia denique ſumma ſua auſteritate tubos atque vaſa viſcerum ita arctant, ut leges vitæ, ob quietem humorum, abhinc deleantur, hæc venena ſunt adſtringentia: Priora illa corroſiva atque ſtupefactiva ſubito occidunt, horum, quæ adſtringunt, effectus ſero ſubſequitur, illa cognoſci ex effectibus, atque aliqua ſui ipſius particula in ventriculo ſuperſtite poſſunt, dum præſentanea ſunt ac ſubito mortifera, hæc autem, cum ſint chronica, temporaria, ſenſim agentia, ſuis effectibus, ſuſpicionem, rarius convictionem, efficere poſſunt.

§. 4.

Corroſiva venena, quocunque ſub velo ad ventriculum deveniant, ſubito, poſtquam internæ ejus ſuperficiei admota fuerunt, illam rodunt, diſſecant, vulnerant, & primario quidem illam ejus internam tunicam, quæ villoſa dicitur, deſtruunt atque ab ſubſtrata altera, *vaſcular* ſeu *nervea* dicta, avellunt, deinde autem & reliquas tunicas, *muſcularem* atque extimam illam *membranaceam*, diſſolvunt, aut certe molliunt, & diatheſin putrefactoriam illis imprimunt, ſeu gangrænam inducunt atque ſphacelum, qui mors eſt ſingularum partium, ab ablato illis humorum circulo nata. Hæc ſubito mortem totius corporis poſt ſe trahit, ubi ex putredine unius partis, venenum veluti novum atque intrinſecum factum eſt, quod per totum corpus diſtributum, illius elementa ſubito ſolvit atque deſtruit. Proinde corpo-

corpora eorum, quæ veneno ventriculum deſtruente defuncti ſunt, omni parte putreſcunt ſubito, atque, oborta hac putredine, intumeſcunt. Ipſum quoque venenum, quod ventriculo illatum eſt, ſe ſubito per omne corpus projicit, dum venis ſorbentibus in intimam ventriculi tunicam patentibus celeriter ad cor, &, ejus motu, quaqua verſum disjicitur; Patent etiam in iſtam tunicam apices nervei atque arterioſi, adeoque ab *illis* deſtructis totum corpus, per conſenſus leges, convellitur, ab *his* vulneratis ſanguinis fluxus oritur, ut adeoque ejusmodi toxica mixtam nocendi vim poſſideant, eoque minus in ſuo effectu impediri ulla ratione poſſint. Neque vero illa ſuam in ventriculum tantum edunt virulentiam, ſed continuos illi canales ſimul tangunt. Si venenum acre ſub aliquo velo abſconditum atque ſic deglutitum eſt, ob celeritatem tranſitus, equidem ab initio, os, fauces, pharyngem ejusque tubum continuum, oeſophagum, interne haud vulnerat, verum, ubi ventriculus, uti fieri ſolet, & ex natura ejusmodi venenorum fieri aliter nequit, ad motus convulſivos ſeu vomitus excitatus fuit, rejicitur veneni accepti particula atque illa gulam, fauces, os, linguam, exedit ſimiliter. Cum veneni pars ſubito, ob eosdem motus convulſivos, per os ventriculi inferius, quod *Pylorus* ſeu janitor, ob valvulam ibidem elevatam, dicitur, deſcendat, perque tubum alimentoſum diffundatur, ideoque & illius tunicæ illud ipſum patiuntur, quod ventriculi membranis accidit;

Sunt

Sunt enim tunicæ omnes, totius canalis alimentoſi, & continuæ & numero pares, ut ſimiliter in illis, tunicæ quatuor, *villoſa*, *vaſcularis* ſeu *nervea*, *muſcularis* ex longitudinalibus ac orbicularibus fibris muſcularibus effecta, tandemque *membranacea*, cum intermediis contextibus celluloſis, *externo* RVYSCHII, *interno* ALBINI, numerari poſſint. Adeoque tunica inteſtinorum villoſa ab applicata illi virulenta materia abraditur, vaſcularis cruentatur, inflammatur, atque omnes, ob inſignem, qua conſtructæ ſunt, teneritatem, gangræna corripiuntur, ſubſequente, qui ipſa mors eſt, ſphacelo, & plus quidem, ex tenuibus, inteſtina illa, quæ ventriculi oſtio imo propiora ſunt, affliguntur, maxime *duodenum*, cum *jejuni* principio. Augetur ab acri venenoſo ſtimulo motus ille, qui inteſtina, chyli miſcendi perque vaſa ſua lactea transprimendi cauſa, perenni aliqua, blanda ac inſenſibili actione, invicem comprimit atque laxat, periſtalticus dictus. Hic, velut ab omni acri re, ita a veneno, excitatur vehementius; propterea ſummus dolor eſt, atque ille convulſivus, hinc villi inteſtinales copioſiſſimum effundunt liquidum, ac ſanguis, atque ipſa inteſtinorum tunica villoſa, non aliter ac in dyſenteria fit, abraſa dejicitur. Licet autem & inteſtinorum tenuium illa pars, quæ *Ileon* dicitur, utpote continuus reliquis tubus, a ventriculo paulo ſit remotior, parum tamen calamitatis in illo minus eſt, & illud ſimiliter, ac inteſtina craſſa dicta, *coecum*, *colon*, *rectum*, ab applicato ſibi veneno, eroditur,

ditur, cum enim, qui ex veneno laborant, inextincta siti vexentur, diluunt illi venenum, potuque copioso a ventriculo ad inferiora abigunt.

§. 5.

Ex his quæ dicta sunt, quibus signis morbus a veneno acri causticо, cognosci possit, facile apparet. Illius faciunt suspicionem, subitanea ex optimo sanitatis statu in contrarium, qui atrociſſimorum, insolitorum ac nulli ordinato morbo solemnium symptomatum concursus est, conversio. Statim, ex quo cibus potusque, cui venenum dolose admixtum est, deglutitus fuit, immanes, quos cardialgiam appellant, circa sterni finem, quem scrobiculum cordis vocant, dolores exordiuntur, hinc vomitus sequuntur enormes, nec tantum comesta atque epota rejiciuntur, sed insuper bilis, quam conatus vomendi ex vesicula fellea extorquent, evomitur; Immixta materiæ vomitu rejectæ toxici pars, applicata oesophagi atque pharyngis intimæ tunicæ, eandem similiter destruit, hinc summus gulæ ardor, deglutiendi difficultas, pharynge ob erosionem tumido; sanguis rejectaneis intercst; Lingua cum labiis ac gingivis cruentatur, tumet, dolet: Perpetuus adest desidendi stimulus, quo & sanguis exprimitur, & intestini ipsius recti portio præ ano est, tumida, rubra, livida. Toto corpore sudor friget, pulsus celer est ac debilis. Accedunt convulsiones, ac primum quidem diaphragma subsilit, & singultus est, hinc etiam articuli contremiscunt. Interea venenum potu solutum ad sanguinem quoque propagatur, proinde & urinæ, maxime si venenum

diure-

diureticum eſt, veluti ſunt *Cantharides*, acreſcunt, urunt, ſanguine tinguntur, atque inter hos cruciatus æger, breviore tempore, quam quo morbi alii ſpontanei, ſimilia his ſymptomata habentes, uti eſt *cholera*, *dyſenteria*, *colica*, infirmos conficere ſolent, abſumitur, tumetque illi adhuc vivo abdomen, facies; ſcrotum, ſi vir eſt, tumet atque livet. Hæc aliaque ſymptomata ita complexus eſt DIOSCORIDES, *Libr. 6. Mat. Med. in Prooemio: Stomachi, alvi, jecoris, inteſtinorum, renum ac veſicæ dolor: Item ſingultus, eroſiones, tremores, refrigeratio, obmuteſcentia, convulſio, pulſus languidi, ſpirandi difficultas, vertigo, ſenſus caligatio, ſtrangulatio, ſitis, ſanguinis eruptio, febris, lotii retentio, tormina, vomitiones, nauſea, rubores, livores, pallores, deſipientiæ, ſtertor atque ante alia, lipothymiæ magnæque virium dejectiones.*

§. 6.

Quandoquidem venenum proprie ſic dictum acre, cauſticum, res eſt parva, tenui ſub volumine deſtruens, ἔυογκόν τι καὶ πάνυ μικρόν. DIOSCORIDI *Mat. Med. L. 6. c. 8.* ideoque haud refert, an parcum datum fuerit; eo certior autem illius, ſi majuſcula ſub doſi acceptum fuit, effectus eſt. Interea tamen, pro veneni copia, ſymptomatum atrocia variat, uti apparet, cum plures de eodem veneno participant, ut omnes equidem pereant, aliquis tamen ex illis forte citius, ſerius alter; Sunt etiam, qui ante venenum acceptum bene paſti, maxime pultaceum, pingue, fari-

farinaceum alimentum in ventriculo habentes, toxicum hoc ipso inerme reddunt, vel debilitant, vel majorem ejus partem vomitu rejiciunt, ut illud superficiem ventriculi haud attingat, nec ad intestina diffundatur, vel ad totum corporis habitum perveniat, omnium minime, si debita cura accesserit; Hinc, in veneficiis, quo multis mors intenditur, nullum aut valde debile defensionis momentum illud est, aliquem evasisse, adeoque curæ neglectui tribuendum esse, quod reliqui perierint; Multum sane interest, plenone an jejuno ventriculo, an illo, qualis sanorum est, puro, an mucum viscidum, qui omne acre debilitat, farcto, venenum accipiatur; in quibuscunque enim ventriculis tunica villosa glutine viscido tenacique obducitur, invenit venenum, quo impeditur, ne substantiam visceris tangat atque erodat, veluti usus praxeos medicæ clare docet, qua intelligimus, pharmaca acriora, emetica atque laxantia multos haud movere, qui tenaces ejusmodi mucagines in ventriculo atque intestinis collegerunt. Adeoque, qui vel tenues succos in tubo alimentoso habent, vel debiles sua natura sunt & infirmi, ab acri aliquo pharmaco, quod sua natura venenum haud est, quale est emethicum efficacius, multo magis a vero veneno, quod etiam in minima particula destruit, citius absumi possunt, illis, qui & mucosi sunt & robusti. Proinde ex hominis, cui noxa illata fuit, textura viscerum, ætate, naturali robore, vitæ genere, æstimandi una venenorum effectus sunt, nec excusant valide exempla eorum, qui consimili ve-

neno

neno afflicti, evaſerunt. Si anus iſta Attica apud GALENVM *Libr. 3. de Temper.* impune cicutam devoravit, ſi, referente PLINIO *Hiſt. Nat. Libr. 25. c. 2.* venena Mithridati, a conſuetudine, innoxia fuerunt, adeo, ut captus a Pompejo magno, in carceribus, veneno ſeſe interimere haud potuerit, nihil propterea argumenti eſt, venena abſolute lethalia haud exiſtere, cum certum ſit, juxta GALENVM l. c. πλεῖστον δύνασθαι τὰ ἔθη καὶ φύσεις ἐπικτήτους, *multum poſſe conſuetudines & naturas acquiſitas*, cum etiam, uti THEOPHRASTVS *de plantis L. 9. c. 18.* ait, *omnium pharmacorum vires debiliores in conſuetis deprehendantur.*

§. 7.

Nemo autem futurus eſt, niſi ex chalybe & marmore confecta gerat viſcera, qui venenis acutis, propter incoërcibilem urendi ac deſtruendi vim, celeribus dictis, reſiſtere ſolo ventriculi ſui robore poſſit. Ejusmodi venena potiſſimum ſunt metallica, & ex illis efficaciſſimum habetur Arſenicum, tam illud nativum, igne haud prolectum, quod intra cadmiam metallicam, cui *cobalto* nomen eſt, naſcitur, quam factitium quodvis, ex alba cadmiæ favilla, Hütten-Rauch dicta, fuſum, aut, ſulphure mixto, in rubrum flavumve vitrum, quod arſenicum flavum vel rubrum eſt, coactum; hæc enim omnia, uti partes externas devorant, ſi illis adplicata ſunt, ita ventriculum deſtruunt, &, pro admirabili, qua pollent, corpora etiam duriſſima atque metallica pervadendi atque corrodendi, efficacia, totum corpus ejusque humores,

diatheſi

diatheſi liqua putrilaginoſa, inficiunt, ſiquidem halitus quoque rerum metallicarum de arſenico participantium, hominem lento mortis genere interficit, ut, qui rem cum illis habent, phthiſi, metallicorum dicta, quæ in ulcere pulmonum conſiſtit, abſumantur. Quod ex ſulphuris atque arſenici æquali parte conflatur, Auripigmentum factitium, acutum ſimiliter venenum eſt, quo dato, ſi quis periit, veneno enectus eſt: Aſt Auripigmento nativo, aut illi rei metallicæ, quæ per Pannoniæ ſodinas reperitur, pellucidæ, citrini atque electrini coloris, quam Sandaracam græci appellant, cauſam dicit inclytus FRIDER. HOFFMANNVS, in ſua *de erroribus vulgaribus circa venena* diſſertatione, *Halæ 1718.* cui ſummus ille vir virtutem potius medicam ſudorificam, ac proinde ſalutarem, attribuit: Verum, etiamſi largiar, eam, quæ arſenico ineſt, nocendi vim huic metallico haud ineſſe, experimenta tamen per ignem inſtituta, arſenici particulam haud levem ſubeſſe, indicant, dum, ipſo BOERHAAVIO *Elem. Chem. Tom. I. p. 51.* exponente, infenſus odor, illi ſimilis, quem accenſum arſenicum fundit, quando comburitur, exſurgit, ut, qua ratione iners atque innoxium eidem BOERHAVIO l. a. penitus dici poſſit, propter iſtum characterem arſenici indelebilem, haud appareat. Non enim in foro criminali, quid nocere poſſit, quæritur, ſed quid nocuerit, &, nocuiſſe, per effectus deſtructivos in defunctis invenitur. Etiamſi ergo illa re metallica nemo facile utatur, cum ſit inter rariores,

nec ubivis obvias; si tamen illa ad venenicium usus quis foret, excusandus haud esset, si signa destructionis adsunt, atque auripigmentum ipsum nativum, veluti colore suo, hinc odore, ad carbones accensum, sese facile prodit, in ventriculo reperiretur. Ex arsenici, quod sub cobalto est, parte metallica, cum silicibus in vitrum cœruleum fusa, Smaltum, seu cœruleum illud saxonicum coquitur, quo ad varias operas utuntur artifices; Hoc suæ origini admodum simile, in vilissimæ cujusvis mulieris linea dealbantis manibus est, atrox venenum, utpote quod omnes arsenici sub majore volumine dotes ac signa, allii scilicet fœtorem, si accenditur, habet: Medicamentum ex Arsenico contra contumaces viscerum obstructiones atque febres, quæ ex his nascuntur, intermittentes, parari, sunt qui asserunt. Notissimus arsenicalis liquor est, qui ex arsenici albi particula atque Alcali Tartari, superfusa his aqua, paratur. Sunt temerarii nihilo minus medici, qui laudes istius pharmaci deprædicant, taxandi tamen vehementer, quod dubiis medicamentis iisdemque truculento veneno nulla arte corrigibili affinibus, quam securis uti, maluerint; cedit illa audacia in pessimum exemplum, suntque ex circumforaneis, qui, nulla cautela adhibita, illo liquore in perniciem generis humani utuntur, ex quibus superiore anno aliquis mulierem hoc eodem liquore enecavit, veluti tam symptomatum atrocia, cum quibus mors consecuta est, quam experimentum cum contentis ventriculi, allium sub igne olentibus, instru-

ſtitutum, hinc deprehenſa ventriculi atque inteſtinorum erosio, clare docuerunt.

§. 8.

Proximum ab Arſenico eſt venenum illud, ex hydrargyro per *aquam fortem* ſoluto, vel ex Salis culinaris ac Vitrioli cum eodem fluido metallico miſcela, paratum, quod *Mercurius ſublimatus* dicitur, res, ipſa metalla deſtruens, eoque peſtilentior, quo plus villis ventriculi adhæret, eosdem deſtruit, totumque ſimul pervadit hominem, ac ipſum, tam communibus omni veneno acri ſymptomatis, quam aliquo ſibi proprio, fluxu ſcilicet ſalivæ ac tumoribus glandularum oris, interficit. Nihilo mitius eſt, quod ſub certis conditionibus ad externos uſus haud prorſus incommodum eſt, pharmacum, Præcipitati rubri nomine cognitum, cum acido nitri effectum, non, niſi ſumma arte per Alcali correctum, ſub parva doſi, innoxium. *Interne datur periculoſe*, ait BOERHAAVIVS *Elem. Chem. Tom. II. p. 424. ubi viſcera inflammat, anxietates, dolores, vomitum, alvi fluxum cum torminibus excitat, ſi nimia doſi, quæ grana tria nunquam excedat, datur.* Eandem cenſuram Præcipitatum album meretur, noxium, niſi, alcohole ſuperdato, correctum eſt.

§. 9.

Ex Antimonio, quod *Stibium* veteribus dictum eſt, effecta nudo igne atque ſalibus pharmaca, venenum ſunt, dum, minima doſi, vix innocenter, majuscula, ſemper exhibeantur quam nocen-

tiſſime; Quamvis enim illud, crudum, metallicas partes blando ſulphuri alte immerſas habens, ſit innoxium, nec veneni nomine, ſub quo antiquis notum erat, dignum, utpote qui regulinum ſaltim ac igne toſtum adeoque virulentum noverant ſtibium; Subito tamen ac ſulphur ejus igne abactum fuit, fit deſtructivum ventriculi atque inteſtinorum pharmacum, ac verum ſane venenum, quale etiam ſunt omnia ejus producta chymica: *Vitrum*, *Favilla*, *ſeu flores*, *Regulus*, *ſeu metallica Antimonii pars*, *Hepar ejus*, *ſeu calx*, *jecinoris colore*, *una parte nitri toſta*, *Liquamen illud Antimonii ſpiritu ſalis marini ſolutum*, *quando Cinnabaris Antimonii præparatur*, *cui Butyro Antimonii nomen eſt*.

§. 10.

Argentum atque æs illud, quod Cuprum dicitur, ſi acido ſolvuntur ſalis nitri aut alio, venenum fiunt abſolutiſſimum, adeoque *Cryſtalli Lunæ dicti*, ſub *Lapidis infernalis* nomine cogniti, uti externe carnes devorant, ita, ſi fraudulenter ſuggeſta cibis ſunt, mortem faciunt inevitabilem; atque illa æris cryſtalla, quæ natura per ſubterraneas cryptas ex acido acri & metallo rodente elaborat, quæque antiqui *Atramentum*, recentes *Vitriolum* appellant, vel quæ, ad illarum exemplum, arte fiunt, Aerugo, germanis Grünſpan, atrox venenum ſunt, ex adſtrictoria & corroſiva facultate mixtum; qui ex his aliquid deglutiverunt, ad vomitus excitantur, &, niſi vis veneni medi-

medicamentis ſubito frangitur, eroſum inflammatumque habent ventriculum.

§. II.

Regnum animale venena corroſiva, quæ ore ſuſcepta nocent, habet pauca; plura ſunt, quæ, ex vulnere admorſo, in quo animalia nocentia virulentum aliquod liquidum reliquerunt, perimunt, quæ forum criminale, niſi, ſi animal rabidum injuriam feciſſe dicatur, haud attinent, atque idea magis terroris aliqua, quam aliqua corroſiva facultate, noxam inferunt. Sed ſunt ex animalibus, de inſectorum gente, quæ acredinem ſibi innoxiam, ceteris animantibus pernitioſam fovent, ex quibus, cum multa ſint, *Bupreſtas* ſeu cimices ſylveſtres, atque *Cantharidas* nominaſſe, ſufficit; Et omnia quidem inſecta ſucco virulento prædita fœtent, qua nota creator bruta animantia, ne illis, errore inducta, veſcerentur, avocat atque dehortatur, quam notam virulentis quoque vegetabilibus, ut fœterent, indidit. Adeoque bupreſtæ, fœtidiſſimum ſcarabæorum genus, ſæpe paſcua inficiunt, &, ob copiam, latenter a bobus devorantur, qui abinde tument atque pereunt, quæ res, paſcua mala fraude infici poſſe, opinionem fecit, ut PLATO *de Legibus Libro II.* τὰς τὰ βοσκήματα φθείραντας, *qui paſcua inficerent*, morte puniendos, exiſtimet. Sæpe & hominibus, humi naſcentia fraga incaute devorantibus, iſta inſecta exitialia ſunt, & poſſet quoque veneficus iſtorum animalium ſuccos in pernitiem hominis miſcuiſſe, non, quod ita illud aliquan-

do factum esse, sciam, sed, quod fieri ita possit. Ast, de cantharidibus, uti veneno, antiquitas loquitur, quorum virulentiam effectus, quem in cutem vivam edunt, ut illam urant, docent, estque in illis tanta hominem pervadendi vis, ut, cuti applicatæ, ardentes urinæ stillas excitent, multo pestilentiores futuræ, si percussor illorum pulverem vel essentiam, mortis causa, dedit, aut vinum illis tinxit.

§. 12.

Nostræ terræ herbas, quarum succus virulentus acris & rodens est, adeo multas haud nutriunt, & post *Aconitum*, cujus radix atque succus ex floris nectario, acerrimus est, præter acres, *Tithymalorum*, *Euphorbiorum*, *Apocynorum*, *Thymelæarum*, præter etiam plantarum alvos efficacius moventium, *Bryoniæ*, *Iridis hortensis*, *Hellebori utriusque*, *albi atque nigri*, succos, ex cognitis atque domesticis, nullos inventurus es alios: *Toxicodendron*, *Nerion*, *Hydropiper*, suspectæ plantæ sunt; urunt enim cutem, ast illas vulgus ignorat. Eo pestilentiora venena illa sunt, quæ soli regno vegetabili debentur, atque animum corrumpunt, dum sanguinem sua viscedine glutinant, illumque ita mutant, ut optimus ab illo nervorum spiritus intra cerebrum confici haud possit. Stupefactiva ista aut narcotica dicuntur, cum solidis equidem parcent, nullaque destruendi facultate gaudent, ast inimicum vitæ frigus inducunt, ad exemplum piscis illius, quam νάρκην Græci, Latini *Torpedinem* appellant, cujus atta-

attactus, ex recenſione autorum fide dignorum, artus congelat. Summum inter has plantas venenum, *cicuta* eſt, quam κώνειον Græci appellant, maxime illa, quam paluſtrem vocant, cujus radicem atque lethiferas ejus virtutes, noſtris temporibus, infantes aliquoties experti ſunt, quorum plures, qui illam comederant, inter dira ſymptomata, nervorum tremores, convulſiones atque amentiam, perierunt. Refrigerio inducto, hujus herbæ ſuccum enecare, & DIOSCORIDES autor eſt *Mater. Med. Lib. 4. c. 79.* κώνειον κατὰ ψύξιν ἀναιρεῖν, *cicuta frigore necat.* Hanc mortis formam illis eſſe, qui cicuta epota pereunt, Socratis amicus apud PLATONEM, *in Phædrone*, narrat; conſtat enim, ſummum illum philoſophum, ex decreto Athenienſium, quod ſupplicium illis, referente PLINIO *Hiſt. Nat. Lib. 25. c. 83.* familiare fuit, cicutæ potu, abreptum fuiſſe, cujus hiſtoriam atque effectus, ſimulque aliarum plantarum nocendi facultates, erudite exponit WEPFERVS, *de cicuta, Tractatu*, & exempla proponuntur a FRISCHIO *Tom. II. p. 721. ſqq.* & ALBERTI *Tom. III. Caſ. 113. 114.* Non inferior, nocendi facultate, Papaveris orientalis ſpinoſi ſuccus eſt, qui Opium dicitur, cujus virulentiæ non obſtat, quosdam, continuo uſu, illi adſuefieri poſſe, quod de Turcis, ſuum *Maslac*, Opium ſcilicet orientale, avide, ad hilaritatis & roboris conſecutionem, devorantibus, me ipſo teſte, haud ſemel conſtitit; cæteroquin papaveris ille ſuccus, ſub parvo volumine, venenum eſt, quo

vis vitæ perit & humorum motus ſiſtitur: Illi nihil cedit Solanum ſomniferum, quod & *furioſum*, & *Strychnum* & *Belladonna* nunc dicitur, a cujus baccis, apud ALBERTI *Tom. III. Obſ. XXXVIII.* duo pueri interfecti fuerunt. Non incognita eſt *Stramonii*, maxime illius, quod *ferox* dicitur, in hominem efficacia, qua ejus mens emovetur penitus inque furorem agitur, ut, ſi vita maneat, deſipientia tamen ſit indelebilis: Eandem vim, lethale coagulum humoribus inducendi, *Mandragoræ radix* atque *Hyoſcyami ſemen cum radice*, poſſident; ſomnum inducunt, mentem evertunt, & lethalia ſunt ſoporifera, quæ in catalogo medicamentorum ſtare, iniquum eſt (d). Papaverum ſemina comeſta, mortem, inducto comate, afferre poſſe, VIRGILIVS (e) autor eſt:

Lethæo perfuſa papavera ſomno

Croci vis narcotica, exemplis eorum, qui nimio ejus uſu enecti fuerunt, declarata eſt; His innocuis ceteroquin ſub parva doſi pharmacis, eo fraudulentius in hominum pernitiem malefici utuntur, quo obſcuriora perpetrati criminis ſigna futura ſunt, & quo ſpecioſior, ex virtute iſtorum vegetabilium medica, deſumi poteſt excuſatio.

§. 13.

(d) Conf. D. Joh. Chriſt. Fritſchens theologiſche, juriſtiſche, mediciniſche und phyſicaliſche Geſchichte Tom. III. p. 510

(e) *Georg.* L. *IV.* 545.

§. 13.

Sunt etiam venena, quæ, adſtringendo & vaſa ſanguifera coarctando, ac humores hac ratione ſiſtendo, mortem inferunt, & illam, lenta ſua virulentia, ſenſim inducunt, ut, qui peſſimas has artes ſubtilia venena miſcendi recte callent, ita occidant, quo occidiſſe haud videantur; Abſunt enim ſymptomata, quæ ſuſpicionem facere poſſint, atque illi, qui ita pereunt, lenta tabe abſumuntur; Talia ſunt, quæ ex plumbo confecta ſunt, pharmaca; Iniquum ſane eſt, illi in medicamentorum claſſe locum relinqui, ac parum a veneficis diſtant, qui ſal ex plumbo cum aceto effectum, *Saccharum ſaturni* dictum, tanquam ſingulare aliquod, contra varios humorum fluxus, medicamentum, venditant. Nocentiſſimum ex his, quæ de plumbo fiunt, eſt *Lithargyrium*, cum, præter plumbum, æris quoque ramenta in ſe habeat, vitrumque ſit, ex utroque metallo conflatum, cujus decoctum cum aceto, uti dulce eſt, ita ad fraudes valde eſt commodum, atque epotum viſcera adſtringit & vaſa excœcat, quo titulo ab antiquis, referente DIOSCORIDE atque PAVLO AEGINETA, in venenorum ordinem relatum eſt, ad cujus exemplum *Ceruſſa*, *Minium*, *Plumbi cinis*, & omnia exinde parata, virulenta ſunt & lethifera. De aceto lithargyrii, atque de omnibus ex plumbo paratis remediis ſummus vir BOERHAAVIVS *Elem. chemiæ Vol. 2. p. 397.* ita proponit: *Lithargyrii acetum bonum ad inflammationes pro externo uſu. Interdum commendatur pro*

remedio ſalutari contra hæmoptoen, hæmorrhagiam, mictum ſanguinis, gonorrhoeam, fluores albos & ſimilia, tum etiam pro mitificante remedio contra acrimoniam ſanguinis, ſed nunquam uſus fui facere periculum, quoniam novi, vix doloſius haberi tetrumque magis venenum, quam (f) *a plumbo.* Docet autem Praxis forenſis, ejusmodi venenis, penes nos, rarius committi homicidia; certe haud comparere, cum illorum effectus haud ſit ſubitaneus.

§. 14.

Frequentior eorum uſus eſt, quæ rodendo aut ſomnum inducendo interficiunt, ſive dolo data ſint, ſive culpa, quando, ignoratis illorum viribus, imo illis pro medicamento habitis, vel ab imprudentibus medicis, ac fæce iſta hominum, qui fora obambulant, contra morbos, exhibentur. Omnia enim acria pharmaca, quæ, ob ſummam agendi vim, draſtica dicuntur, venenis rodentibus pares effectus edunt. Vix dies abit, quin vomitoriis, ſuſpectis jam in ſe auxiliis, ſi in manibus temerariorum hominum illa faerint, maxime illis metallicis, *Mercurio vitæ*, *Vitriolo vomitorio* & quibusdam vegetabilibus, *Semine Ricini*, *Cataputiæ*, triſtes ludantur tragœdiæ, a quibus nihil diſtant purgantia, vix boum ventriculis commoda, *Gummi Guttæ*, *Euphorbii atque Scam-*

(f) Lithargyrii vim venenatam, quam in ventriculis edit, deſcripſit SAM. STOCKHVSIVS de Lithargyrii fumo noxio. Goslar. 1656. 8.

Scammonii crudi reſinæ, Iridis atque Bryoniæ ſucci, quibus, tanquam hydragogis, empirici, ad hydropicorum aquas ducendas, abutuntur. His accedunt *alcalica fortiora*, ſeu ſalia ex uſtis prolecta. Novi *Liquorem nitri fixum* jejuno ventriculo fraudulenter datum, effectus veneno ſimiles edidiſſe: rodunt enim omnia lixivia ſaturata ventriculi tunicas, &, non aliter ac venenum, deſtruunt.

§. 15.

Ampliſſima cæteroquin rerum pro nocentibus habitarum, in ſeſe omnino innoxiarum, tam penes veteres, quam penes recentes, eſt enarratio; Carbo foſſilis, niſi arſenici vena intercedit, ut fumo occidat, in dubio manet, an venenis accenſeri debeat. Adamas, uti & vitri ramenta ac chalybis limatura aſperior, mechanice, ſuis cultellatis fibris, vulnerabunt ventriculum, non rodent: Quod animantia attinet, non metuo viperarum carnes, lacertas, bufones, ſalamandras, arachneos, niſi enim iſta animantia mordent, pungunt, aut acres urinas ac faeces, quibus urendi vis ſumma eſt, evibrant cominus, ac fructus herbarum humi naſcentium conſpurcant, hinc veneni vim illis imprimunt, haud nocebunt ulli. Quid ſemen *Staphidisagriæ*, *Pſyllii*, *Taxi baccæ*, nocent? Tantum forte, quantum *Nucis arboris* ac *Taxi arboris* umbra, quam DIOSCORIDES *Mat. Med. Libr. 4. c. 80.* vitari jubet (g). Venena quædam

(g) Venena omnia erudite recenſuerunt & eorum agendi in corpora modos expoſuerunt, HIERONYMVS MERCVRIALIS de venenis & morbis venenoſis

quædam non occidunt, ſed enervant; Sunt, quæ ſterilitatem inducere poſſe dicuntur, pharmaca: Mentham accuſant veteres, eamque, tempore belli, haud ſerendam, ſtatuunt, cujus effectus rationem reddit ARISTOTELES *Probl. ſect. 20. 2.* Recentiores, Camphoram mares caſtrare, perhibent; modica Cicutæ ſorbitione Aegyptiorum ſacerdotes, uti HIERONYMVS in epiſtolis refert, ſe impune caſtrabant. Nempe, quæcunque adſtringunt, deſiccant & debilitant, tum alias, tum actionem quoque p'aſticam opprimere poſſunt, de quibus CHRIST. GODOFRED. STENZELIVS, *de ſterilitatem inducentibus venenis*, diſſertatione, *Vitemb. 1731.* erudite expoſuit.

§. 16.

Hujus loci non eſt, peſſimas artes attingere, quibus, ſumma cute; venena immitti poſſunt ac ſolent; Horum exiſtentiam vulgaria exempla *Mercurii*, *Cantharidum*, *ſalivæ canis rabidi* ac *viperarum in vulnere relictæ*, vel putridæ variolarum aliorumque exanthematum materiæ ingreſſus in corpora, clare docent, probantque, demitti aliquid, applicatum cuti, inque totum hominem, cum ſumma nocendi efficacia, propagari poſſe, ut propterea, eſſe, qui chirothecas, literas, nummos, veſtes, aliaque utenſilia intoxicare didi-

noſtis Tractatu, Venet. 1584. 4. RICHARD MEAD a mechanical account of Poiſſons. Lond. 1702. 8. CHRIST. GODOFR. STENZELIVS, Toxicologia Pathologico medica. Vitemb. 1738. 4.

didicerint, haud dubitem, quorum tamen crimina, utpote latentia, & per effectus manifestos haud evincenda, plerumque impunita manent, cum venena ejusmodi occulta latenter admodum interficiant, suæque virulentiæ signa post se haud relinquant.

§. 17.

Venenorum, quibus amor conciliari posse dicitur, magna est futilitas, nisi forte ea huc referas, quæ insaniam movent, atque, uti, quas quisque familiares habet, alias, ita, in libidinoso homine, lasciviæ ideas nullo rationis usu nunc coërcitas, develant, quorum censuram legas apud FRID. HOFMANNVM *de philtris ac venenis abortivis* dissertatione *Halæ* 1729.

§. 18.

Adeoque, si qua mors sani hominis, derepente, inter symptomata haud consuera, consecuta est, & nulli morbo cognito effectus ille subitaneus tribui confidenter potest, interest justitiæ, ut in mortis causam inquiratur. Ipsum funus ejusmodi hominis, quem veneno extinctum fuisse suspicio est, singularem sistit faciem: Putredo, statim a morte, abdomen in tumorem extollit, cuticula ubique separatur, cutis, &, si vir est, scrotum livent atque nigricant, facies ita tumet atque livet, ut humana illi forma desit. Os cruentum est, dentes vacillant, saliva cruenta est, gingivæ & tonsillæ tument ac fœtent, capilli defluunt, totum cadaver in putidissimam solvitur

face-

fracedinem. Diſſecto abdomine, ventriculus flatibus valde intumeſcit, lividis conſperſus eſt maculis, inteſtina tenuia omnia rubent, livent atque flatibus diſtenduntur. Aliquando ventriculus aliqua parte perforatus eſt, ſuumque liquamen, cum potulentis copioſe propter ſummam ſitim ingeſtis, in cavum abdominis effudit. Sed phænomena iſta ſufficientia haud ſunt, niſi venenum ipſum invenitur. Diſſecui fœminæ cadaver, cujus inteſtina inflammata atque eroſa non tantum aëre immaniter tumebant, ſed cui etiam aër, communicantibus cellulis, omnem corporis habitum in emphyſema elevaverat, ut aërem ſub cute, tympani inſtar diſtenta, ubique invenirem; Aſt, licet putredo aliæque mutationes cutaneæ, illis, quæ a venenis putrefactivis oriuntur, ſimiles apparerent, venenum tamen nullibi inventum eſt.

§. 19.

Licet enim hæc ita ſint, quo ſubitanea putredo, poſt celerem, inter atrocia ſymptomata, mortem, ſuſpicionem veneni facere poſſint, eo tamen usque, ex ejusmodi mutationibus in cadavere viſis, veritas intoxicationis haud eluceſcit, quo proceſſus aliquis criminalis illis ſuperſtrui valeat. Poſſunt ſane in ipſis hominibus, ex malo humorum habitu, quam Cachexiam vocant, ſubito naſci venena; quam ſæpe febris, ſubito lethifera, ab aliquo pathemate, maxime ab ira, accenditur! Videas ejusmodi funera, quæ veneni accepti ſuſpicionem faciunt,

unt, in ſummam putredinem ſubito abiiſſe, nec aliam mortis cauſam invenias, quam, quod bilis, prouti ex flavo tenuium inteſtinorum colore judicare poſſis, de cyſtide fellea, in duodenum copioſius deſcenderit, atque effuſa ſit impetuoſius. Proinde cauta veneni accepti debet eſſe accuſatio, ne ſeverius animadvertatur in iſtos, qui, mala ſua fortuna, in ſuſpicionem ſæpe valde probabilem adducti fuerunt. Poſſunt omnino in corpore venena naſci, atque ipſi humores vitales vim vaſa ſua deſtruendi ſæpe acquirunt. Ideoque, ubi aliquis, ſanus atque vegetus, ſubito horrendis, quæ a veneno corroſivo oriri ſolent, ſymptomatis infeſtatur & inter illa moritur, dubium naſci poſſet, an cauſæ alicui ſponte intra hominem natæ, an accepto veneno tam celeres tamque atroces effectus tribui poſſint ac debeant. Veniunt mihi in mentem, quæ MARCVS FABIVS PAVLINI, *in ſuo ſuper Thucydidis de Peſte librum Prælectionibus*, de hoc argumento habet. *Quod vero*, ait, *in noſtro corpore generari poſſint venena ex humorum putredine, his ſimilia, quæ deleteria extrinſecus adhibentur, & quod eadem gignant ſymptomata, tum in morientibus, tum etiam poſt mortem, ut inde falli potuerint homines judicantes, veneno ſublatos, cum interna peſte & veneno fuerint extincti, declarat* GALENVS *multis in locis & maxime Comm. 3. in 3. Epid.* HIPPOCR. *ubi agit de illo phrenitico, qui vomuit ἰῶδεα, id eſt virulenta, quem conſecuta ſunt omnia ſymptomata, quæ evenire ſolent his, qui*

qui assumpsere venenum, & die quarta mortuus est, ubi dicit GALENVS: *admirandum esse, quomodo statim his symptomatis corripiantur subito, cum tamen causa paulatim colligatur:* ἀθρεῖζεταί τις ἐν τῷ σώματι μοχθηρὸς χυμὸς ἰῷ δηλητηρίῳ παραπλησίως ἐνεργῶν κατὰ βραχὺ ἐπὶ τοῖς σώμασι, ὅις ὁμιλεῖν ἐτύγχανεν. *Colligitur aliquis in corpore gravis succus veneno similis, subito aliquid efficiens in corporibus, quibus cum rem habere illi contingit.* Atque ille ipse GALENVS, in aliqua cum medicis sui temporis, super signis accepti veneni, habita sententiarum collatione. *Lib. 6 de Locis affect. c. 5.* concluſum ſuiſſe refert: ὁτι διαφθορά τις δύναται γενέσθαι τηλικαύτη τὸ μέγεθος, ὡς ἰῷ θηρίῳ παραπλησίαν ἔχειν ποιότητά τε καὶ δύναμιν, *corruptionem magnitudine talem fieri posse, ut illa vim viperæ veneno similem assequatur.* Vide choleram humidam, quam dirus ille morbus eſt, vomunt, alvumque dejiciunt, cardialgia affliguntur, nec raro inter ſummos cruciatus ægroti defunguntur. Inſpice dyſenteriam, quam multi ſibi, victus intemperantia, acquirunt; videbis omnia, quæ veneno tactis accidunt, atque his defunctis ſubita quoque putrilago atque abdominis tumor eſt, veluti praxis quotidie docet. Proinde, niſi proxima veneni ſigna videas, ex illo mortem conſecutam eſſe, confidentius aſſerere haud poteris.

§. 20.

§. 20.

Inſpicienda proinde illa ſunt cava corporis, quibus venenum applicatur, ubi deglutitum eſt: Detegenda atque inſpicienda gula, luſtrandusque oeſophagus eſt, qui a ſuo principio, facci inſtar linguæ ſubtenſo, ac muſculis, mox diducto, mox, ubi deglutiendum eſt, conſtricto, ante vertebras colli, poſt aſperæ arteriæ, ſeu Tracheæ, annulos, hunc in finem præciſos, deſcendit ad thoracem, ſuperque aortam, in conſortio utriusque nervi vagi, per crura muſculi inferioris diaphragmatis, deſcendit, atque prope ultimam dorſi vertebram in ventriculi os ſuperius, quod *Cardia* dictum eſt, explicatur. Fieri enim aliter haud potuit quam, cum venenum deſcenderet, maxime, ſi fuit fluidum, uti forte Spiritus Salis vel Vitrioli, vulgo Scheide-Waſſer, vel Sublimati ſolutio, quo tunica oeſophagi eroſa ſit atque cruenta. Omnium maxime veneni vis, eroſa interiore ventriculi tunica villoſa, ſeſe manifeſtabit. Maculæ enim ſanguine tinctæ, ac vaſa venoſa ſanguine turgida, ſive ſuper ventriculo ſive ſuper inteſtinorum canali viſa, nihil certi ſignificant, cum hæc omnia etiam ex inflammatione aliqua ſponte orta evenire poſſint, nec rubor ac livor, utpote qui ſimiliter ab inflammatoria mortis forma ſupereſſe poteſt, ad veneni ſignificationem ſufficit: Sit tibi cadaver ægroti, vomitu cruento extincti, qui morbus, ſine ulla cauſa venenata, ſponte ſua oritur; rejiciantur tibi grumi ſanguinei, vivo homine, iidemque in mortui ventriculo reperiantur; Sane, niſi ſimul abraſa ventri-

culi tunica villosa est, veneno enectum hominem esse, haud perhibebis, cum ille sanguinem, dilatatis vasorum gastricorum finibus, sponte sua in ventriculo effusum, habere possit. Propterea sola atque infallibilis deglutiti veneni nota est, separata & veluti decorticata simulque cruenta interna ventriculi tunica: Nam separatio ista supponit applicatam superficiei internæ ventriculi materiam fervidam, igni similem, quæ tunicam istam a subjacente solvit *vasculari nervea*. Dicis, a putredine solvi hanc tunicam similiter, ac cuticula, putrescendo, a subjacente cute separatur, potuisse? Sed contradicit experientia. Qui putridos ventriculos sat multos dissecui, tunicam villosam a putredine separatam fuisse nunquam vidi.

§. 21.

Adeoque, quod securum atque indubitatum illud veneni accepti indicium ex ventriculo cadaveris desumendum attinet, secura, quæ fidem mereantur, intoxicationis exponenda sunt signa, denudata scilicet ventriculi superficies interna, crustaque ejus villosa liquidis ventriculi innatans: Hæc sola circumstantia, erosionem a veneno deglutito factam esse, sufficienter denotat, etiamsi venenum ipsum inveniri intra ventriculum nequeat, sive, quod solubile illud ac salinum, nec ponderosum ac terrenum fuerit, sive, quod copioso potu sitientis ægroti elotus ventriculus, atque hinc omnis veneni materies ejecta, aut versus canalem tenuium propulsata fuerit. Mercurii sane sublimati aut Olei Vitrioli ac Aquæ fortis, vel lixivii for-

fortioris cujusdam vestigium nunquam reperietur, ut adeoque de his, ex effectu solo, vel abrasa crusta villosa, vel excitata eschara, quæ ustionis in omni membrana effectus est, judicandum sit, dum constat, acri equidem aliquo pharmaco enectum hominem fuisse, verum, quale illud fuerit, sæpe ignoratur: Interea, quanta unquam fieri potest industria, contenta ventriculi, ad inveniendam veneni cujusdam particulam, exploranda sunt. Colliguntur ista omnia in vase figulino, vel alio; Evacuati ventriculi superficies inspicitur, &, si quid forte pulveris est, quod intra ejus plicas deprehenditur, studiose corraditur, ut experimentum unum atque alterum cum illo instituí possit, & primum quidem in ipso judicis conspectu, portio liquidi illius, quod in ventriculo repertum est, in cochleari ex lamina ferrea stanno obducta, deficcatur supra carbones, deficcata massa accenditur, tunc enim, si arsenicale venenum fuerit, *sive arsenicum album, vel cadmia ista fornacum*, in quibus cobaltum funditur, quod vulgo Fliegen-Gifft, Fliegen-Cobalt, appellatur, utpote quibus duobus pleraque veneficia perficiuntur, fieri aliter nequit, quam quo fumus exsurgat coeruleſcens, ac fœtor allio similis diffundatur, qui arsenico ita proprius est, ut judicium hoc fallere nunquam possit: Ast, si auripigmentum datum esset, accederet flamma coeruleſcens, ex deficcata massa atque accensa proveniens. Præterea, si arsenicale venenum est, cupro maculam nigram inurit indelebilem, & par-

ticula eorum, quæ vel a vivo homine vomitu rejecta, vel in ventriculo ejus reperta sunt, cani data, suam vim deleteriam, enecto illo, subito commonstrabit. Si arsenicale quid contentis ventriculi haud interest, quod concrematur, cornu ustum olet. Consultum est, reperti intra ventriculos pulviculi, quantacunque etiam esse possit, particulam corradere, &, tanquam corpus delicti, actis inserere, quo experimentum a Facultate aliqua medica, si decreto illius opus est, repeti possit; & fieri quidem illud etiam propterea fas est, quo reperta in ventriculo res cum illa, quæ apud suspectum de veneficio hominem inventa est, comparari judicarique possit, an eadem sit, utpote quæ comparatio ad comprobandum crimen haud parum conferre poterit: Quodsi autem venenum aliquod arsenicale per sua signa sese haud prodit, tentanda sunt experimenta alia; Ideoque, si Mercurius sublimatus vel præcipitatus datus est, liquida ventriculi, instillato alcalico liquore, mutabunt colorem, & tingentur ex luteo; si acidum venenum est, ex instillato alcali, & viciſſim, si alcalicum venenum fuit, ex instillato acido, quædam exorietur effervescentia. *Aerugo, vitriolum*, sese colore manifestabunt; cantharidum pulviculum splendor particularum ventriculi liquidis immixtarum designabit; siquidem venena ista, etiamsi illa per copiosissimum sitientis ægroti potum, dilutaque & ex parte vomitu rejecta fuerunt, plicis tamen ventriculi ita sese insinuant, cumque illas destruerent, sic fortiter adhæserunt, ut eloto etiam

iam illo, miculæ veneni conſpici adhuc poſſint. Aſt, ſi effuſa bilis hanc tragœdiam luſit, interna ventriculi ſuperficies undique croceo aliquo colore tincta eſt, quæ cæteroquin alba carneive coloris eſſe ſolet: Quamvis enim bilis cyſtica ultra limites duodeni, in quod, per *ductum choledochum communem*, infunditur, excedere haud debebat, atque ejus utilitas in miſcela chyli poſita maxime ſit, fit tamen, quo, ſi magno illa defertur impetu, ſuperata valvula *Pylori*, quæ imum ventriculi oſtium claudit, & retroverti quidpiam haud ſinit, ad cavum ventriculi redundet, atque uti venenum agat, ipſamque deſtruat cruſtam villoſam, ut hac ratione quodammodo excuſari mors talis poſſit, ſi res venenata cæteroquin nulla in ventriculo reperta eſt. Omnis enim vomitus acerbior bilem in ventriculum exprimit, uti videmus bilioſa flava rejici. poſtquam omnis ventriculi materies vomitu exhauſta eſt, ſiquidem vomitus vehementior omnis, motu diaphragmatis, hepar tundit, verberat, ac bilem ex ejus cyſtide fellea emungit, ac verſus ventriculi os infimum urget; Hinc ſatius eſt, veneno alio haud invento, bilem effuſam, ſi ſuo ſeſe colore illa prodit, pro mortis cauſa agnoſcere, quam, ſine ratione ſufficiente, venenum datum ſupponere ac innocentes gravare; atque illud quoque efficiendum eſt, ut, quo genere alimentorum repletus fuerit defuncti venticulus, ſimul exponatur; poſſunt enim alimenta, maxime vegetabilia, veluti exemplo eorum docemur, qui vel intemperantia aliqua,

vel errore quodam, cholera affliguntur, in acres fervidosque succos degenerare, δριμέων χυμῶν, veluti GALENVS vult, *Comment. in* HIPPOCRATEM *de ratione victus in morbis acutis*, ἐκ τῆς διαφθορᾶς τῶν ἐδηδεσμένων γεννηθέντων, *acribus succis ex alimento natis*. Sunt etiam venena, quæ sese cibis intermiscent, vegetabilia, *infecta varia*, *Fungi acres*, maxime illi fœtidi, nigri, lactescentes, pulverulenti, qui muscas aliaque animantia interficiunt.

§. 22.

Veluti autem in omni læsione, ita etiam in hac, quæ veneno fit, opus est scire, an illius effectum lethalem impedire conati sint æger, ejusve familiares, an nihil omnino tentatum contra vim morbi ab illis fuerit, an potius contraria aliqua medicina allata sit, quæ effectum veneni plus augere, quam impedire potuerit: sunt enim efficacissima quædam, quibus veneni alicujus corrosivi virulentia obtundi, & ventriculi superficies contra ejus vim muniri potest, antidota, si tempestiva data sunt ante, quam toxicum ventriculi tunicas absumpsit, hac enim læsione facta, hinc putredine ac gangræna illi jam inducta, veneni halitu ad totum hominem jam transmisso, nulla medicina est, quæ opem ferre possit. Nullum adeoque patrocinium malæ illi causæ lucratur, medicamentum inveniendi possibilitas, sed tantum, quid evenerit, videndum est: Qui venenum acceperunt, morbi hujus repentini indolem & causas ignorant, &, si ex plebe sunt, inconsulto medico, ineptis plerumque utuntur remediis, &,

&, quandoquidem ex intemperie aliqua ventriculi ſe laborare putant, acribus ac ſic dictis ſtomachicis abutuntur, aut ſero medicum accerſunt, qui nunc, omni *pinguium, oleoſorum, jurulentorum, anodynorum* ac *theriacalium* uſu, nihil efficit, qui matureſcit adſcitus, *terra aliqua pingui*, aut clyſteribus inteſtina demulcentibus & lactis uberiore potu, extinguere venenum potuiſſet. Sed, cum ille, qui venenum dedit, hoc ſuum facinus celavit, hinc & auxilium ſimul abſtulit, proinde etiam, omni ſane reſpectu, cauſa mortis fuiſſe, cenſendus eſt: Aliquando ex veneno tali ſera mors eſt, aſt inevitabilis, cum ventriculi tunicæ arte utcunque ſanatæ, in eſcharam tamen converſæ, lethalem gangrænam effugere haud potuerint, qua de re, deque impotentia curandi, per ſectionem legalem judex inſtruendus eſt quam curioſiſſime.

§. 23.

Alia veluti eſt venenorum narcoſin atque ſtuporem inducentium nocendi facultas, dum illa non tam deſtruunt ſolida, quam humores figunt & condenſant, ita quoque alios effectus tam vivo homine, quam illo mortuo, edunt: Non intumeſcunt omni veneno enecta corpora; De cicuta mortuus apud FRITSCHIVM *Act. Forenſ. Tom. II. 716.* præter ſtaſeos ſanguinis ſigna, lividas in cute maculas, pulmones diſtentos, cor ſanguine repletum, nulla deſtructionis viſcerum ſigna, oſtendit: Quodſi etiam inventa cicutæ radix in ventriculo eſt, quam in illo caſu oleribus incoctam, ſine dolo, mulier marito dederat, veluti ab Apii vel

Staphylini radicibus, pro quibus habita fuit, forma differt, ita tamen, an illi, qui dedit, cognita ejus vis mortifera fuerit, in dubio relinquitur, atque ejusmodi veneficia ſtupefactivis pharmacis inſtituta, ſignis ſibi propriis ſeſe haud manifeſtant, multo minus illa patent, quæ ab adſtringentibus venenis effecta ſunt.

§. 24.

Luculentæ magis ventriculi læſiones ſunt, quæ ex vulnere, ſive colliſo, ſive aperto, fiant: Si quis, pleno ventriculo, adeoque ad muſculorum abdominalium confinia elato, prope cartilaginis xiphoideæ finem, ictum ſuſtinuit gravem, atque ab illo ſubito concidit extinctusque eſt, non illo tantum titulo, quod colliſæ ventriculi tunicæ ſanguinem inter ſua collegerunt interſtitia, atque ecchymoſis facta fuit, ſed eo quoque nomine, lethalem afflictionem accepiſſe dicitur, quod hepatis lobus ſiniſter, ventriculum ſub ſe comprehendens, contuſus eſt, & diaphragma ab ictu illo convulſum ſuffocationem ſubitaneam intulit; dummodo effectus violentiæ in funere deprehendantur. Qui autem aliquo poſt tempore defungitur, ſi ſugillatus illi ventriculus repertus eſt, dubium ſupereſſe ſinit, an omni medicina major afflictio illa fuerit; *Inclytus* ALBERTI, percuſſum in dextro latere hominem, cum præter inflammata viſcera alia mortis cauſa haud adeſſet, abſoluta lethalitate interiiſſe *Iurispr. Med. Tom. IV. Caſ. 70.* haud cenſuit; aſt, ſi ſymptomata gravia, a læſione tali ad mortem usque,

usque, continua fuiſſent, *vomitiones* ſcilicet, *ſingultus*, *ſuffocatio*, ſique adhibitis, quæ adhiberi oportet, remediis, illa haud deſtitiſſent, excuſari ſane, ubi ventriculus ſanguine ſuffuſus deprehenditur, aggreſſorem haud poſſe, arbitror. Vulnera, contuſionibus, minus ſæpe periculoſa ſunt, niſi vaſa læduntur, quæ ſanguinis fluxum incoërcibilem ſecum afferunt. Adeoque etiam, quod ventriculi vulnera attinet, poteſt aliquis ex tali, quod vaſa ſanguiflua majora haud tetigit, convaleſcere, quando alius, ex contuſione ventriculi, ob ſubitaneam gangrænam, ſervari haud potuit.

§. 25.

Poſſunt ex vulnere ventriculi convaleſcere, quibus, ſine alius viſceris læſione, ſiniſtra regione Epigaſtrii, inſtrumentum lædens defixum eſt. Sed, niſi cibo potuque repletus eſt ventriculus, attingi a vulnere nequit, cum, ſi vacuus eſt, ſub hepatis lobo ſiniſtro, atque muſculis abdominis rectis ſternum attingentibus, alte ſit reconditus. Nemo adeoque vellet excuſare ventriculi vulnus, quod ſimul vel hepar, vel lienem, vel diaphragmatis carneam partem in alterutro latere transfodit. Quodſi ergo de ſolius ventriculi vulnere ſermo eſt, quod per transverſales abdominis ſiniſtri muſculos adactum fuit, fundumque ejus hic ſubſtratum perforavit, quodſi eadem vulneris talis ratio eſt, quam quæ erat illius, quo culter *a ruſtico cultrivoro Boruſſico* devoratus, arte chirurgica extractus eſt, veluti illam hiſtoriam oppido raram DANIEL BECK-

HERVS, *in ſua de Ruſtico cultrivoro Boruſſico hiſtorica relatione, Kœnigsbergæ 1643. 4.* Hiſtoriſche Beſchreibung des Preußiſchen Meſſer-Schluckers, expoſuit; quodſi præterea tali vulnere vaſa gaſtrica arterioſa aut venoſa diſſecta poſt mortem haud deprehenduntur, ſed ſaltim alterum & ſuperius ventriculi planum, quod abdomen reſpicit, inferiore illo, quod prope ad ſpinam jacet, integro, transfoſſum fuit; ſub his conditionibus, ex vulnere ventriculi, tanquam immedicabili, mors conſecuta eſſe dici nequit, ſed alia tunc cauſa acceſſit, quæ vulnus exacerbavit, malum vitæ regimen, mala medicatio, intemperantia potus, qui ventriculum diſtendebat, atque vulnus, cum glutinari jam incepiſſet, iterum rupit. Opus etiam eſt, quo illi, qui ex hoc vulnere ſanari potuiſſe dicitur, adfuerit euphoria & ſymptomatum remiſſio. Quodſi autem nullo medicamine vomitiones, ſingultus, cardialgiæ, motusque convulſivi impediri potuerunt, ſi iſta ſymptomata a vulnere accepto ad mortem usque daraverunt, etiamſi vulnus in funere viſum magnum non eſt, vaſa magna diſſecta haud ſunt, ſanguis in cavum abdominis haud confluxit, mortem tamen neceſſitate abſoluta attuliſſe læſio videbitur, quia cauſa mortis alia haud adeſt, ſymptomata lethalia ex vulneris natura fluunt, & ex vulnere ventriculi in cavum abdominis atque inter inteſtinorum circumvolutiones, alimenta ante aſſumpta effuſa fuerunt, quæ ſua putredine mortis cauſam ſimul attulerunt.

§. 26.

§. 26.

Vulnus ventriculi tunc maxime curam recipit, ſi plenus, cum vulnus acciperet, ventriculus fuit, nam, vomitu facto rejectisque contentis, in ſe contractus criſpatusque, vulnus ſuum claudit; Hinc valida muſcularis ventriculi tunica glutinari, clauſo manente vulnere, atque applicari medicina ore infuſa poteſt, imo vaſa ſanguiflua per planum ſuperius ambulantia, etiam maju-ſcula, ſi diſſecta ſunt, contracto in ſeſe ventriculo, contineri poſſunt, ac vomitus, uti cjusmodi vulneris ſymptoma ſolemne, ipſum vulnus magis claudit, utpote qui valida ventriculi contractione celebratur. Præterea, ſi victus ſervatur tenuis, ſi vena aliquoties ſecatur, ſi emulſa cum nitri particula, parvis hauſtibus, deglutiuntur, ſi colon ægri enemate repletur, ſanari ille poterit, qui, quoniam hæc nunc omiſſa fuerunt, vel neglectu, vel cauſa aliqua alia interveniente, defunctus eſſe perhibetur.

§. 27.

Aſt ſervari nequeunt, quibus, veluti eſt apud CELSVM *Libr. 5. c. 26.* ſtomachus læſus eſt, ſummum ſcilicet ventriculi os, quandoquidem, vel illuc, niſi una fauciatis vicinis partibus, deſcendere gladius haud potuit, vel etiamſi illud ſolum læſum eſt, a vulnere nervorum qui ibidem ab utroque pari vago finiente ſunt frequentiſſimi, convulſiva mors conſequitur. Nec convaleſcunt ex vulnere ventriculi, quibus gladius in imo aut ſumma ejus curvatura ſedit, quandoquidem,

dem, quæ major curvatura dicitur, vaſis ſanguineis, arteriis ac venis majuſculis, abundat, atque illi, omenti lamina altera ac ſuperior adhæret, facile putreſcens, ſi ſanguis inter ejus cellulas pinguiferas ex vulnere effunditur, quoniam illi, facultas qua ſanguis diſcuti poſſit, ob laxitatem omni texturæ pinguedinis propriam, nulla ineſt. Et ſuperior quidem curvatura, ad quam, niſi perfoſſis nobilibus viſceribus aliis, hepate vel diaphragmate, vulnus accedere nequit, etiam propterea vulnus lethale reciperet, quoniam vaſa arterioſa ac venoſa, cum nervis, illa, quæ *gaſtrica ſuperiora* dicuntur, magna ſane & copioſa, diſſecta tunc fuerunt. Hæc enim, maxime autem arteriæ, eo magis incoërcibilem ſanguinis fluxionem experiuntur, quo propior eorum communis truncus, *Arteria coeliaca*, aortæ ponitur. Quid ſperandum eſt, ſi utrumque planum ventriculi transfoſſum fuerit? Sane, ſi quis eſt, qui ſtructuram ventriculi atque ejus ſitum verſus viſcera vicina recte perſpicit, ille, ſub quibus conditionibus unus atque alter ex iſtis, qui ex vulnere ventrili convaluiſſe ſcribuntur, ſervatus fuerit, intelligere facile poteſt; Adeoque ſcopum non feriunt, qui exemplis ex vulnere tali ſanatorum militant, qualia apud obſervatores paſſim inveniuntur, quos excitat ALBERTI *Iurispr. Med. Tom. I. p. 331.* Sed ex natura uniuscujusque vulneris, velut illud in ſectione legali, fida viſorum atque repertorum expoſitione, detegitur, an ars aliquid ad ſanationem conferre potuerit, viden-

dendum eſt. Exemplis ejusmodi, ultra valorem, nihil tribuendum eſt. Obſervatum a BOHNIO *Relat. Vuln. lethal. p. 27.* vulnus ventriculi curatum fuit, manente ulcere, fundo ventriculi ad oram vulneris externi glutinato: Notum eſt virginis Argentoratenſis exemplum, quæ perforato ventriculo, & ulcere in vulnus externum patente, per XXVII. annos vixit, quem caſum Cl. WENKERVS *de hiſtoria & ſectione virginis, ventriculi ulcus per XXVII. annos, alentis, diſſertatione Argentor. 1743.* expoſuit; Sed alia omnino eſt apoſtematum ratio, quam quæ vulnerum, illa lente, calloſo ſinu procedunt, & vaſa ſanguiflua prætereunt, dum ſemper verſus pinguedinem feruntur, aſt vulnera cocco ruunt impetu, nec vaſis parcent majoribus: Quam ſæpe abſceſſibus inteſtina perforantur, quæ vulnus non ferrent; hepar ipſamque veſiculam fellcam pervadunt ulcera, quorum vulnera annumerantur lethalibus. Vulnera adeoque ventriculi pleraque mortem afferunt.

§. 28.

Si ab his ad inteſtinorum vulnera tranſeo, ſimiliter video, non niſi ſub conditionibus curæ faventibus, admirabili aliqua felicitate evenientibus, quædam ex illis curari poſſe; atque illa tantum ſanationem admittunt, quæ patente atque amplo muſculorum abdominis vulnere facta ſunt, adeoque manum chirurgi admittunt, qua poſſint inteſtina arripi, conſui atque glutina-

ri.

ri. Nec hæc quidem opportunitas ægroto ubique favet, ſed, etiamſi vulnus patens eſt, attamen, ſi inteſtinum totum præciſum fuit, & tubus ejus in abdomen hiat, atque ſua contenta illuc dejicit, niſi Deus, (h) nemo, vulnus hoc ſanabit. Omnis denique ſpes evaneſcit, ſi, cum inteſtino, membrana quoque, qua illud vincitur atque colligitur, Meſenterium ſcilicet, vel Meſocolon, ſauciantur: Inteſtinum *duodenum*, quod ventriculi continuus tubus eſt, atque ſeſe ab ejus oſtio inferiore ad uſque Meſocolon exporrigit, a quo principium *jejuni* ducitur, ita abſconditum ſub heparis ſiniſtro lobo ponitur, ipſiusque ventriculi fundo ſubjacet, ut, niſi his perfoſſis, ſauciari nequeat, adeoque abſolutam, ſi læſum eſt, lethalitatem affert; deinde, in ſe ſpectatum, ſpem curæ aliquam facere propterea nequit, quoniam ex ejus vulnere & ventriculi liquida omnia & utraque bilis, tam, quæ ex hepate ipſo, quam, quæ ex veſicula fellea deſcendit, & liquor ille, qui ex pancreate mediante ductu pancreatico ad duodeni cavum vehitur, in cavum abdominis effunduntur, ibidemque putreſcunt lethaliter.

§. 29.

Nihilo mitiora ſunt *inteſtini jejuni* vulnera, ſiquidem illa tubi alimentoſi pars ſimiliter curam difficulter admittit, ideo, quod fluidiora ejus contenta atque ipſe chylus, qui ex cibo potuque, hinc utraque bile, liquore gaſtrico ac inteſtinali & liquore

(h) Τὰ μακρὰ νεσήματα μόνοι ἰῶνται Θεοί, magnos morbos ſoli curant Dii. ARETAEVS.

quore pancreatico mixtus eſt, ubi ex vulnere, veluti illud impediri omnino nequit, in cavum abdominis deſcenderunt, putredinem, hinc mortem reddunt inevitabilem. Inteſtinum *Ileon* quod attinet, quo nomine omnem tubi alimentoſi canalem intelligimus, qui jejuni finem & coli principium intercedit, in exemplo vulnerum inteſtinalium, quæ curam admiſerint, eſt frequentius, nam ejus fluida jam craſſeſcunt & in fæcem alvinam compinguntur, ut nec ſubito, nec magna copia, effluant in cavum abdominis; craſſior autem materies propterea eſt, quoniam inteſtinum jejunum ſuo motu periſtaltico majorem chyli partem per vaſa lactea ſua, quæ primi generis atque *Aſelliana*, a CASPARO ASELLIO eorum inventore dicuntur, transpreſſit, & licet inteſtini Ilei principium illis gaudeat ſatis copioſis, ſub illius tamen finem rareſcunt; ut propterea, quo plus materia alimentorum ſuo chylo orbata fuit, eo quoque plus craſſeſcat, hinc tanta fluidorum copia ex vulnere partis inteſtini Ilei, quanta ex vulnere jejuni, ad cavum abdominis deſcendere haud poterit, unde quædam major vitæ ex tali vulnere ſervandæ fiducia naſci, majorque ſuſpicio oriri poteſt, illum, qui ex ejusmodi vulnere defungitur, neglectu debitæ curæ, vel ab aliqua alia cauſa interveniente, defunctum eſſe. Poſſibilitatem ſanationis vulnerum Ilei quodammodo probant rupturæ hujus inteſtini per abſceſſus, quodſi herniæ intra muſculorum abdominalium annulos clauſæ ac vehementer compreſ-

ſæ

ſæ ſuppurantur, quo fit, ut Ileon, uti illud ſemper in hernia eſt, patefiat ſalutari ulcere, fæces clauſas effundat, hinc communi aliqua cum integumentis cicatrice conſolidetur. Verum, ab eo, quod ſponte natura fit, ad id, quod arte effici debet, haud valet conſequentia.

§. 30.

Qua parte Ileon deſinit, ſuper dextrum muſculum, *Pſoas* dictum, diſcrimen inter tenuia & craſſa inteſtina ponitur, atque valvula gemina ita dirigitur, ut fæculenta materies, poſtquam omni laudabili ſucco orbata fuit, deſcendat in prætenſum amplum ſaccum, qui propterea inteſtinum *coecum* dicitur, a cujus obtuſo fine, *vermi ſimilis* tubulus in finem *coeci* ſimiliter exporrectus, qui *inteſtinum vermiforme* dicitur, dependet; Minima hæc inteſtini portio, ex cryptis mucoſis, gluten aliquod lubricandæ fæci, nunc plus craſſeſcenti, idoneum, eructat, ſuoque *meſenteriolo* in orbiculos flectitur. Vbi ergo coecum inteſtinum fæculentam materiem collegit, nunc, craſſo tubo, quem *colon* appellant, procedit illa, atque cum flatibus, qui fæcis progreſſuræ, una cum motu Coli periſtaltico, motor fiunt, itinere aliquo, quod circum circa abdominis cavum omne directum eſt, ad anum usque progreditur, atque ibi, conatu aliquo diaphragmatis atque abdominis muſculorum, qui nos ad deſidendum excitat, expellitur. Flexura adeoque Coli ab iliaca regione dextri lateris, ſuper renem dextrum, ſub hepate, prope ejus veſiculam, felleam,

felleam, ſub ventriculi fundo, cui altera omenti lamina jungitur, ſub liene, quem, intervenientе omenti adipe, ſibi ſimiliter conjunctiſſimum habet, ſuper renem ſiniſtrum, ad Ilei ſiniſtri regionem, procedit, ibidem in flexum aliquem ſigmoideum curvatur, tandemque, oſſi ſacro incumbens, ſub veſica, ſi mas, ſub utero, ſi fœmina eſt, ad ani oſtium procedit, quo, ubi ejus muſculi claudentes, quos *ſphincteres* appellant, laxati fuerunt, impura ac putrida materies, ſalutis cauſa, propulſetur. Reſpondet flexuræ Coli omnis iſta abdominis externa ſuperficies, quæ a margine Ilei dextri, circulo ſub coſtis ſpuriis omnibus usque ad Ileon ſiniſtrum flexo, excurrit; Proinde, ſi quæ ibidem infliguntur vulnera, in ſubſtratum Colon, quod hic, integumentis communibus atque muſculis abdominis, *utrique obliquo ac transverſali*, hinc *peritonæo*, ſubeſt, demergi poſſunt. Eſt autem ubique contactus aliquis proximus inter peritonæum atque Coli tubum, qui in ſegmenta orbicularia, valvulis, diviſus eſt, ut, ſi vulnus factum fuit, fæculenta materia neutiquam in cavum deſcendat abdominis, ſed ex ipſo vulnere foras effundi poſſit, ſi ars accedat, quæ doceat, qua ratione vulnus Coli, illo in vulnus externum adducto, ſanari debeat ac poſſit, dum ſcilicet vulnus externum apertum ſervandum eſt, quo impura fæx hoc artificiali oſtio; ani vices nunc gerente, effundi, magna equidem cum ægroti turpitudine ac incommodo, ſalubriter tamen, poſſit. Vidi militem, cui Colon ſiniſtri la-

teris, *deſcendens* dictum, transverſim ſectum erat, cui hac ratione, prout dictum eſt, fæces per vulneris exibant oſtium, poſſetque in vivo, illius inteſtini tunica intima glanduloſa, una cum glandulis aut cryptis mucoſis, fragum rubedine referentibus, diſtincte perſpici atque examinari, utpote quæ linimentum aliquod, acredinem fæcum demulcens, ſubinde effundunt. Veluti autem vulnera Coli ſub coſtis ſanari poſſunt, ita illa, quæ *Coli Zonam*, ſeu illius partem, quæ hepati, ventriculo atque lieni ſubeſt, feriunt, abſolute ſunt lethalia; etiamſi enim illa Coli pars transverſim a dextro hypochondrio ad ſiniſtrum procedens, quam *Zonam Coli* appellant, abdominalibus, ubi illi coſtis ſpuriis ac ſterno adhærent, muſculis ſimiliter immediate ſubeſt, dum flatibus tumet, ſubſidet tamen alio tempore, ſeſeque ſub hepate atque ventriculo recondit, ut adeoque, ſi vulnus hac regione acceptum eſt, glutinari illud cum externo vulnere nequeat, opusque ſit, fæcem ac flatus in cavum abdominis erumpere, maxime, ſi vulnus anguſtum compunctumque eſt.

§. 31.

Quæ ad inteſtinum unum alterumque ex tenuibus vel craſſis deſcendunt vulnera, veluti prope ad coſtas, vel propius ad Ilia ac pubem accedunt, ita in tranſitu alias aliasque partes ac vaſa ſimul lædunt. Vbi ſupra umbilicum, per muſculos abdominis latos vulnus ivit, offendit in omentum ſeu epiploon, deinde peritonæum vulnere tali dividi-

dividitur, membrana ſcilicet, ſuperſtratam habens pinguedinem, quam *duplicaturam* vulgus appellat; Atque illa membrana totius abdominis ſuperficiem, aulæi inſtar, obvelat, inque omnium viſcerum abdominis externam tunicam, quam membranaceam appellant, excurrit, hinc in varios proceſſus, veſicam inter atque uterum muliebrem, interque hæc viſcera atque inteſtina, inter veſicam atque rectum, evolvitur, ſuaque pinguedine vaſa ſeminalia viri, ac ligamenta rotunda uteri muliebris, obvolvit, inque ſtatu morboſo, quando inteſtina, prope umbilicum ſub inguine atque inter crura, in hernias prorumpunt, illorum capſa fit, aut ſaccus hernioſus. Varius adeoque vulnerum abdominis modus eſt: Quæ lineam, albam dictam, aut tendinem, in quo omnes muſculi abdominales conſpirant, compungunt, poſſunt, his ac ſimul diaphragmate convulſis, ſubitaneam mortem inducere, obſervatumque in animantibus fuit, exſecto umbilicali annulo, anhelantia illa mori, licet altum adeo vulnus factum haud eſt, ſiquidem diaphragma, interveniente ligamento hepatis ſuſpenſorio, in rotundum continuato, ad umbilicum alligatur, &, illius interventu, alternos cum muſculis abdominis motus exercet. Vti tria muſculorum abdominis ad utrumque latus ſtrata ſunt, ita quoque vulnera inter muſculos hos vario modo procedere, intacto abdominis cavo, poſſunt, quæ tamen, licet magna ſanguinis vis, diſſectis vaſis epigaſtricis fluere, atque ex tali hæ-

morrhagia æger debilitari poſſit inſigniter, ſua natura haud occidunt, niſi vulnus compunctum in albam incidit lineam, quod quandoque, ex convulſione, ſubito interficit. Aſt omenti vulnera ſuſpecta ſunt, ſi latent, & vaſa per illud decurrentia, *gaſtroepiploica* dicta, diſſecant; Licet enim arteriæ iſtæ in ſe magnæ non ſint, ſunt tamen infirmæ, utpote per pinguedinem euntes, nec arte conſtipari poſſunt: Omentum quoque ex vulnere abdominis propendens, lethalitatem abſolutam ſecum affert, ſi inter anguſta vulneris labia clauſum ſtrangulatumque fuit, ipſum autem vulnus dilatari, reponendæ portionis elapſæ cauſa, nequivit; Igitur vbi dilatari vulnus, ex quo omentum propendet, potuit, nec factum illud eſt, morsque, ex omenti ſphacelo, conſequitur, in chirurgum culpa cadit, ſive, quod ille partem propendentem omenti deſiccatam lividamque haud ſubligavit, præſecuit, atque quod integrum eſt repoſuit, ſive, quod jam emortuam hujus membranæ partem in abdomen compulit, quam exſtirpari ante oportebat.

§. 32.

Profunda hepatis vulnera ſanari nequeunt, hinc annumerantur abſolute lethalibus, nec ulla valet excuſatio, ſi effectus vulneris, effuſo in cavitatem abdominis ſanguine, ſectione funeris pateſcit. Nihil enim ex natura vulneris ejusmodi fluit, quod effici arte, quo æger ſervaretur, poterat.

§. 33.

§. 33.

Hepar ſub dextro diaphragmatis fornice abſconditum jacet, & lobo ſuo ſiniſtro ad cartilaginem usque ſterni xiphoideam excurrit, adeoque vulnera, ſi per coſtas inferiores ſpurias ad hepar iverunt, atque convexam jecinoris partem, ſub coſtis his abſconditam, tetigerunt, aliter, quam transfoſſa antea diaphragmatis parte carnea, hepar attingere haud potuerunt; hinc complicatum vulnus illud eſt, &, licet, quantum ad diaphragma, ſi in hujus parte carnea ſubſtitiſſet, ſanari potuiſſet, attamen, quantum ad hepar, mortem fecit inevitabilem; Nec mitius illud eſt, quod, ſub cartilagine xiphoidea ſterni defixum, ſiniſtrum hepatis lobum transfodit, licet in iſto hepatis limbo vaſa omnia anguſtiora ſint: Adeſt enim his omnibus curæ impoſſibilitas, ob inertem ac infirmam ipſius hepatis ſubſtantiam, quæ omni textura muſculari deſtituitur, adeoque vulnus haud claudit: Partes enim ex muſculoſa contextæ ſubſtantia, ab ipſo, qui ex vulnere fit, dolore conſtringuntur, & vulnus, ſi magnum haud eſt, claudunt; aſt vulnera, etiam parva, in ſubſtantiam aliquam mollem ex glanduloſo vaſis interfuſo habitu, quem parenchyma græci vocant, contextam; qualis eſt hepatis, facta, aperta manent, & nullum hæmorrhagiæ impedimentum, ſua ſtrictura, ponunt. Superficialia equidem jecinoris vulnera, ſi magna vis ſanguinis in cavum abdominis effuſa haud eſt, excuſari quodammodo poſſunt; Aſt profunda ejus vulnera incoërcibi-

lem ſanguinis fluxum afferunt, cum vaſa ejus copioſa ſint & magna. Sive enim vulnus ſinus ſic dictos venæ portarum, ſive venas hepaticas penetraverit, coire illæ in ſe ac claudi ob laxitatem nequeunt, hinc, propter ſanguinis copiam brevi tempore effluentem, moriendi eſt neceſſitas, eoque minus impediri effectus lethalis poteſt, quo plus ſanguinis in cavum abdominis, ex quo cruor educi nequit, confluxit. Magnam autem ſanguinis vim per hepar transjici, amplitudo ſyſtematis venæ portarum docet, utpote quod omnium venarum, quæ ex viſceribus chylum elaborantibus, ventriculo, inteſtinis tenuibus ac craſſis, atque ex liene revertuntur, confluxus eſt. Harum venarum ſanguis ideo ad hepar perque illud ducitur, quo bilis, nobilis liquor, ex illo conficiatur, quam glanduloſum hepatis opus ſeparat, radicibus pororum biliariorum primo infuſam, hinc vel recto tramite ad duodenum inteſtinum propagatam, vel in diverticulum illud, quod ſub veſiculæ felleæ nomine cognitum eſt, ut ibidem inſpiſſetur atque amareſcat, depoſitam. Proinde duplex ex hepate bilis defluit, ac novello chylo, ex alimentis, actione ventriculi excocto, immiſcetur, *altera* ex hepate omni in ductum hepaticum confluens, *altera* ex cyſtide fellea per ductum cyſticum, valvuloſo opere diſtinctum, adſcendens, atque *illa*, quæ ex hepate venit, tenuis ac dulci lymphæ ſimilis, *hæc* autem amara eſt, ex cujus utriusque intra choledochum communem facta unione humor reſultat mixtus, ſaponaceus,

naceus, partes chyli varias uniens, acorem, qui in illo ex victu vegetabili eſt, extinguens, inteſtina, ſua acredine, ad motum periſtalticum exercendum irritans, vermes inteſtinales, quo minus naſci poſſint, impediens, eosque genitos extinguens, ipſum ſanguinem, ex diverſis partibus, aquoſis, pinguibus, terreis, ſalinis, contextum vinciens, cujus adeoque ad vitam tanta eſt neceſſitas, ut illo intercepto, impeditoque, quo minus ad duodenum fluere poſſit, mors lenta, ex tabe, conſequatur. Proinde vulnera cyſtidis quoque felleæ, lethalia eſſe, obſervata apud ALBERTVM *Iurispr. Med. Tom. I. p. 338.* fuerunt; etiamſi enim veſicula illa, ob tenuem arteriarum ac venarum, quas *cyſticas* appellant, apparatum, ex hæmorrhagia, lethale vulnus habitura haud eſt, bilis tamen effuſio in cavum abdominis, ejusque defectus intra duodenum mortis cauſæ fiunt, cum *illa* abdomen humore repleat, ſenſim putreſcente, *hic* autem omne cibi deſiderium atque omnem inteſtinorum motum extinguat. Poſſe autem cyſtidem felleam, licet raro forte exemplo, intactis aliis hepatis locis, vulnus accipere, ſitus ejus docet; prominet enim aliquantulum ſupra hepatis limbum, & muſculis abdominalibus dextri lateris ſubſternitur. Non autem tantum vulnera ac rupturæ hepatis, quoniam his vaſa ejus venoſa ac bilifera dividuntur, lethalia fiunt, ſed etiam propterea, quod arteriæ hepaticæ, ex tertio arteriæ cœliacæ ramo natæ, ſimulque nervi ex plexu hepatico orti, diſcinduntur; neque enim ullibi vel alia pars corporis, vel hepar lædi-

tur, quin eodem ictu arteriæ, venæ, nervi, vasa lymphatica unionis suæ læsionem simul patiantur. Sed, uti læsiones hepatis variant, ita quoque vel celerem vel lentam mortem, semper tamen inevitabilem, afferunt: Vulnus angustum & profundum, lento sanguinis stillicidio, vitam aufert; Vulnus ruptum, quod haud infrequens est, quodque a me, Anatomen per decem annos in hac academia docente, aliquoties visum fuit, subito extinguit, solentque, signis externe haud apparentibus, nullaque sugillatione extus visa, rupturæ hepatis, ab ictu, aliave violentia, contingere. Non tamen desunt ex jecinoris vulneribus, quæ, per accidens mortem intulisse, videri, forte quod in cura neglectum aliquid est, poterunt: si ruptum, sectum, compunctum ve hepar haud fuit, sed, ab ictu violenter ad dextrum latus adacto, sanguinem tantum inter sua vasa recepit, atque sugillatum deprehenditur unice; Verum, si magna vis sanguinis extra vasa intra ejus substantiam deprehenditur, si illud, in funere visum, nigricat, si sphaceli signa adsunt, servari hominem haud potuisse, censendum est, nam, ob exiguam arteriarum hepaticarum copiam, sunt enim pro tanto viscere paucæ atque parvæ, uti omnis hepatis inflammatio, quam *hepatitidem* vocant, difficilis morbus est & plerumque exitialis, ita quoque haud discutietur ulla medicina sanguinis thrombus, qui ex ruptis vasis inter glandulosam hepatis substantiam, quæ omnium contusionum maxime est impatiens, confluxit: Non desunt, qui magna

magna hepatis vulnera curata fuiſſe prætendunt, quos excitat ALBERTI l. c. Sed ingenioſe ad hæc reſpondet AMMANNVS *Med. Crit. p. 350. Quomodo de læſionis profunditate certus eſſe poſſum, niſi inſpexero partem læſam;* ſane, illi qui convaleſcunt, non oſtendunt, quousque illis hepar læſum fuerit, & ſæpe vulnera, quæ ad hepar deſcendiſſe putantur, in obeſis maxime, illud prætereunt, & ſupra muſculum transverſalem in ejus pinguedine deſcendunt, ut ad hepar iviſſe, hinc ægroti ex ejusmodi vulnere convaluiſſe, videantur: Negandum tamen haud eſt, ſuperficiale hepatis vulnus ſanari poſſe, veluti ille ipſe Autor p. 371. affirmat, quoniam anatome docet, in hepatis ſuperficie omnia vaſa eſſe exilia, & quamvis vaſa lymphatica quædam ex iſtis, quæ per hepatis ſuperficiem ambulant, ſimul diviſa fuerint, ſi anguſtum vulnus eſt, adeo multa vaſa ab illo deſtrui haud poterunt, ut incoërcibilis ſanguinis vel lymphæ fluxus conſequatur, quamvis vulnera vaſorum lymphaticorum majoris exempli, docentibus BOHNIO *Renunt. Vuln. Lethal. ſect. 2. cap. 6.* VALENTINI *Pandect. P. 2. ſect. 4. Introd. §. 5.* lethalibus annumerentur.

§. 34.

Lienis vulnera omnia mortem afferunt, qua de re nemo dubitat, qui ſummis ſaltim labris rem anatomicam deguſtavit; Eſt enim lien viſcus ex celluloſa, ac, quantum ad hominem, cavernoſa textura effectum, cujus vaſa omnia tam arterioſa quam venoſa, pro ſplenis volumine, ſunt maxi-

ma; præterea ſplen ipſe laxum corpus eſt, minus omnino compactum, quam hepar; ſubſtantia cavernoſa ſtatim, ſub tenui inchoat membrana, adeoque vulnus, etiamſi tota lienis ſubſtantia demerſum haud eſt, ſi membranam ſaltem diviſit, fluxum ſanguinis excitabit incompeſcibilem, copioſiſſimum ac ſubitaneum. Quantum enim, fideli vaſorum lienis ad capacitatem ejus facta exiſtimatione, cognitum fuit, viſcus illud nil quidquam eſt aliud, quam ſanguinis, per Coeliacæ arteriæ ramum ſiniſtrum, arteriam ſcilicet lienarem, advecti, diverticulum: major ſane lienis, reſpectu parvi viſceris, arteria eſt, illa arteria hepatica, ſi eam ad hepatis volumen æſtimare velis. Præter inſignem arteriæ lienaris magnitudinem, id quoque accedit, quod ejus rami per lienem diſperſi ſubito, apicibus non admodum parvis, in ſinus lienis ſeſe exonerent, ibidemque ſanguinem arterioſum cum lympha illic ſecreta miſceant, ut adeoque viſceris illius vulnus quodvis hæmorrhagiam afferat eximiam, eo magis, quod venæ lienares copioſiſſimæ ſint & magnæ, in prægrandem venam lienarem, quæ alterum venæ portarum crus eſt, ſeſe exonerantes. Nihil adeoque adeſt, quod vaſorum horum ſanguineorum atque cavernarum lienis ſanguinem, ſi vulnus factum in illo eſt, continere poſſit. Singularis lienis eſt, veluti hepatis, atque etiam major, quam illius, ad rupturam diſpoſitio, ita quidem, ut, ſine ulla partium externarum, quibus ad hypochondrium ſiniſtrum coſtasque illius lateris ultimas ſpurias prope ad ter-

gum

gum ſubjacet, ſugillatione, diffiſum legatur apud BOHNIVM, AMMANNVM, atque alios, quos excitare longum foret: Recentius quoque tales rupturas, ex quibus mors ſubito conſecuta eſt, obſervavimus. Promptior autem faciliorque lienis fiſſura eſt, ſi ex morbo, ebrietate, ira, ob efferveſcentiam humorum, ſanguine ſuo lien plus intumeſcit; Videant adeoque defenſores, an judicem ad mitiorem ſententiam commoturi ſint, ſi excuſationem in ſtatu lienis morboſo quærere velint, dixerintque, non paſſurum rupturam lienem fuiſſe, niſi ex morbo aliave cauſa intumuiſſet; Licet autem hæc ita ſint, effectus tamen exceptionis hujus valde eſt debilis, nam homicidium quoque eſt, ægrum morti proximum, multo magis illum, cui aliqua vitæ atque etiam convaleſcendi fiducia ſupereſt, interemiſſe: Qui experimentum lienis ex cane, ſalvo illo, exſecti huc afferunt, ignorant caſus utriusque, & animalis illius, cui lien aufertur, & hominis, cui lien perforatur vel finditur, diſſimilitudinem; in illo ſubligantur ante ſectionem vaſa lienaria, quæ lieni atque ventriculo intercedunt, dicunturque brevia, & tam arteriæ quam venæ lienares filo forti adſtringuntur, atque ſanguinis fluxio lethalis arte impeditur, in hoc autem vulnus eſt, quod deligari nequit.

§. 35.

Inteſtinorum tenuium æque ac craſſorum tubus, ipſo homine ſexies longior, quo poſſet in abdominis

minis cavo recte collocari, atque ita disponi, ut & motus illorum peristalticus commode procedat, & metuenda gyrorum, in quos, serpentium instar, convolvuntur, complicatio evitetur, pingui aliqua membrana continetur & in semicirculos ordinatur; Hæc *Mesenterium*, aut *Mesarrhæum* dicitur, peritonæi ad spinam lumborum duplicati atque versus intestina elevati progenies, a qua etiam intestina ipsa suam membraneam atque externam cellulosam tunicam, accipiunt: Hæc pinguis tela vasorum variorum via est: Eunt enim per hanc ad intestina tenuia directæ arteriæ copiosæ & magnæ, ab uno trunco arteriæ mesarrhaicæ superioris, quæ aortæ descendentis sub diaphragmate immediata est soboles, ortæ atque in arcus flexæ: Hæ versus intestinorum tubos numerosam arteriarum emittunt propaginem: Iuncti istis arteriis nervi sunt numerosissimi, arterias ipsas, tunicæ in modum, obvolventes, eademque ratione & divisi & desinentes. Hæc vasa adducunt intestinis, actionis illius, qua ferum intestinale chylo immiscendum separari debet, materiem: Sed revertuntur etiam ex intestinis tenuibus vasa, quorum *alia* sanguinem emeritum, *alia* lympham, *alia* chylum vehunt: Venæ plures ac majores ex illis exsurgunt, de quibus opinio est, illas chylum quoque, absorptum venarum osculis, hepati adducere. Venæ istæ suis circumvolutæ arteriis, a quarum motu simul compelluntur, omni procedunt mesenterio, valvulis destituuntur, hinc arte-

arteriarum naturam quodammodo aſſequuntur; deinde omnes in truncum venæ meſarrhaicæ, quæ alterum venæ portarum crus eſt, implantantur: Venæ, quas lacteas, aut a chylo, quem vehunt, chyliferas appellant, ſub valvulis conniventibus Kerkringianis, tubum inteſtini jejuni atque ilei, plus tamen illius, quam hujus, diſſepientibus, tenui exſurgunt oſtio, circa tubum inteſtinorum flectuntur innumerabiles, atque ad latus arteriæ cujusvis meſarrhaicæ, eodem itinere, pergunt, ſerpuntque in ſumma meſenterii membrana, atque a CASPARE ASELLIO, niſi ERASISTRATVS, antiquus medicus, illa in hædo prius vidit, *vaſa aſelliana* dicuntur, quod nomen eo usque retinent, donec ultra fines glandularum meſenterii progreſſæ fuerint; tunc enim & pauciora illa fiunt & ampliora, & a PEQVETO *Pequetiania*, aut vaſa lactea ſecundi ordinis, dicuntur, quæ chylum, novi ſanguinis materiem, per primi ordinis vaſa lactea ſibi traditum, in ciſternam lumbarem aut capſulam renalem evomunt, ut ille ex hac, licet non tam capſa, quam commiſſura majorum vaſorum lacteorum dici poſſit, in ductum thoracicum transferatur; denique in venam ſubclaviam ſiniſtram, ubi toto thorace, ad ſpinam dorſi adſcendit, dejiciendus. Denique vaſa lymphatica, veluti ubique per totum hominem, ita hic quoque de minimis arteriis exſurgunt, ſeſeque paſſim, omni meſenterio projiciunt, atque una cum vaſis lactiferis in ciſternam lumbarem, quæ ſimiliter omnem lympham viſcerum abdominis in ſeſe recipit,

cipit, depluunt. Quotusquisque adeoque eſt, quin ſponte videat, vulnera meſenterio accepta, ubi tot tantaque vaſa, minimo etiam vulnere, diſſecta fuerunt, mortem inferre oportere, nam in uno ſemper faſciculo iſta vaſa collecta ſunt, ut unum atque alterum ſeparatim vulnerari nequeat; Fit adeoque junctim & arteriæ, & venæ, & nervi, & vaſorum lacteorum atque lymphaticorum vulnus; Neganda tamen haud eſt poſſibilitas, veluti caſus mirabili aliqua ratione in directione vulnerum evenire ſolent, qua liceat inſtrumento lædenti ad meſenterium, intactis vaſis majoribus, deſcendere; Sunt enim ſatis magnæ, omnique vaſe vacuæ pingues meſenterii areæ, per quas ſi vulnus ivit, potuit evitaſſe vaſa meſarrhaica, licet, qui denſum inteſtinorum tenuium in circulos collectorum agmen vidit, comprehendere vix poſſit modos, quibus, intactis illis, inſtrumentum lædens ad meſenterium deſcendere valeat. Evenire tamen hic caſus poteſt, ſi celeri aliquo trajectu globulus pulvere pyrio explosus abdomen ferit: Hic eſt ille caſus apud AMMANNVM *Med. Critica p. 333. quo, globulus tribus transverſis digitis ab umbilico in ſiniſtro latere per peritonæum in meſenterium intraſſe, illæſis inteſtinis craſſis, femur penetraviſſe, nullamque præter empyrevma noxam intuliſſe, ſcribitur.*

§. 36.

Meſenterii propago quædam, totius coli flexuræ adhærens, *Meſocolon* dicitur; huic eædem, quæ meſenterio, conditiones inſunt: duplicata,

eum

cum intercedente pinguedine, famina: apparatus vaſorum inſignis, quibus *meſarrhaicis inferioribus* nomen eſt. Illa tamen utrinque intercedit diverſitas, quod vaſa chylifera abſint; certe colon ſiniſtri lateris illis deſtituitur, utpote in quo fæx alvina penitus craſſeſcit, quæ intra colon dextri lateris liquida, & aliquo chyli reſiduo mixta eſt; quapropter in illa coli parte, utpote quæ tenuium inteſtinorum indolem quodammodo habet, atque etiam de arteria meſarrhaica participat, cujus finis illuc excurrit, vaſa lactea viſa ſunt, niſi lymphatica fuerunt, quæ WINSLOVIVS ibidem detexit: Sed propria meſocolo arteria illa eſt, quæ ex aorta, ante ejus diviſionem, ultimo loco procedit, & ſeſe, arcubus flexis, ad usque inteſtini recti finem, exporrigit, cui reſpondent venæ ſanguifluæ, quæ junctim ab inteſtini recti margine ad uſque coli zonam, adſcendunt, truncumque conſtituunt illum, qui ſub nomine *hæmorrhoidalis venæ* cognitus eſt. Hanc *vena lienaris* in ſe recipit, dum venæ coli dextræ in meſarrhaicam ſuperiorem, hinc ad truncum venæ portarum, quam capſula gliſſoniana, una cum reliquis vaſis hepatis ſuperius deſcriptis, *arteria, plexu nervco, ductu choledocho communi vaſisque lymphaticis*, comprehendit, derivantur. Si hæc omnia, quæ de meſocolo dicta ſunt, tecum perpendes, ſi vide, intacto vel ipſo colo vel viis uriniferis, meſocolon vulnerari haud poſſe, mortem exinde conſecutam evitari haud potuiſſe, facile intelligas.

§. 37.

§. 37.

Cum trifariam dividi contenta in abdomine viſcera ſoleant, ut *alia*, de quibus hactenus actum eſt, chylo elaborando proſpiciant ſintque χυλοποιητικὰ, alia urinas ſegregent a ſanguine, easque deferant, cuſtodiant ac depellant, quæ ὀρροποιητικὰ, alia denique, diverſa in alterutro ſexu ratione, generi propagando inſerviant, ſintque πλαστικὰ; Ideoque, quo eventu læſiones, quæ, urinariis ac plaſticis organis accidunt, cedere poſſint, diſpiciendum nobis eſt, & docet equidem horum viſcerum ſtructura, illa, niſi ſemper lethaliter, ſummo tamen cum periculo affligi, & curationi valde reſiſtere. Renes, utrinque unus, ſub ultima coſta ſpuria alterutrius lateris, ſiti, immediate muſculis abdominalibus, proxime autem transverſali, ſubjacent, &, ſi recte ponderas, extra abdominis cavum ſiti ſunt, conſtituuntur enim ſub peritonæo, atque in ejus pinguedine, tanquam in aliqua capſula adipoſa, deliteſcunt. Ex hoc renum ſitu ſponte conſequitur, vulnera eorum extra poſſibilitatem ſanationis haud conſtitui, quoniam ſanguis ex illis in cavum abdominis haud funditur, & ipſe locus affictus ad ſuperficiem lumborum prope eſt, ac medicamentis applicandis locum concedit. Proinde præſto ſunt obſervationes, referente *Excellentiſſimo* HEISTERO *Chirurg. Part. II. ſect. 1. c. 140.* §. 14. p. 903. ubi, gri a vulneribus renum, quæ a tergo acceperunt, ſanati fuerunt, & quidem interdum ſine adeo gravibus ſymptomatis. Et præter alia exempla ſibi nota, alle-

allegat *exercitatiſſimus ille chirurgiæ Magiſter* curam vulneris renum a ſe præſtitam: *Vir enim quidam ab alio, in dorſo, & quidem renis dextri regione, ſatis amplo vulnere, ictu cultri, vulnerabatur, ita, ut per plures dies ſanguis aut urina ſanguinea per vulnus & urethram redderetur copioſa. Attamen, poſtquam* HEISTERI *curæ traditus ille fuit, intra quatuor ſeptimanas feliciter ſanatus eſt.* Similia exempla eorum, qui ex vulnere renum convaluerunt, habentur apud SCHENCKIVM & BOHNIVM *de Lethal. Vuln.* nec poſſibilitati quidquam obeſt. Si enim Renum ſubſtantiam conſideramus illam externam, quæ vulnus primo excipit, ex minimis arteriis in capillares apices excurrentibus compoſitam eſſe, intelligimus: Quamvis enim utriusque renis vaſa ſanguifera, ſi truncos inſpicis, ſint magna atque ampla, arteria ſcilicet renalis, ab aorta procedens, quæ ſanguinem, urinæ ſecretionis cauſa, adducit, hinc vena renalis, ſeu emulgens, quæ ſanguinem ab iſta ſecretione reſiduum venæ cavæ infundit; attamen in tubulos capillares iſta vaſa diſperguntur ſubito, eſtque triplex renum ſubſtantia, extima ex vaſculis ſanguifluis contexta, media glanduloſa ex tubulis uriniferis minutis compacta, & intima papillaris, intra quam tubuli renales majuſculi a BELLINO dicti, duodecim circiter tubis majoribus, in receptaculum unum, quod in concava renum parte ſiſtitur ac pelvis appellatur, confluunt, a qua tubus longus, calami craſſitie, tunicis, *muſculari*, *vaſculari*, *intus glandulis muciparis* inſtructus, quem

uretherem appellant, obliquo itinere, ſub peritonæo, ſuper muſculum, qui *Pſoas* dicitur, ad pelvim deſcendit, veſicæ urinariæ latus, prope ad ejus cervicem, perforat, & urinam illuc corrivat. Quodſi ergo vulnus renum ita ſe geſſit, quo vaſis iſtis majoribus, in concava renum parte ſitis pepercerit, neque vicinam aliquam partem nobilem ſimul tetigerit, ſiquidem Colon utrique reni ſuper incumbit, & dextro reni hepar, ſiniſtro autem lien adeſt proxime, ſi vulnus illud convexam renum regionem attigit, deſtruxitque tubulos ſanguiferos ac uriniferos, adynamia curandi omnino haud adeſt, ſiquidem carneæ fibræ, muſcularibus haud abſimiles, renum ſubſtantiæ intercurrunt, quibus in ſe contractis, vulnus claudi glutinarique poteſt: Proinde etiam veteres, cum calculum in renibus eſſe per ſigna intellexiſſent, locum ſupra renes incidere atque calculos per vulnus educere auſi ſunt, ſi ſcilicet abſceſſus viam commonſtraviſſet, ita enim capienda HIPPOCRATIS verba ſunt, *Libr. de Internis affectibus cap. 15: Cum intumuerit & elevatus fuerit, ſub idem tempus juxta renes ſecato & extracto pure arenam diureticis ſanato, ſi enim ſectus fuerit, evaſionis ſpes eſt, ſin minus, homini commoritur* & cap. 16. *cum ſuppuratus fuerit ren circa ſpinam, intumeſcit; tunc ubi ſic habuerit, circa tumentem partem ſecato*, & *cap. 18.* in ſimili caſu τάμνειν εἰς τὸν νεφρὸν, *ipſum renem ſecandum eſſe*, præcipit. Quamvis autem a felici eventu vulnerum arte magnaque cum providentia, ſa-

lutis

lutis cauſa inflictorum, ad poſſibilitatem vulnus tumultuario actu inflictum curandi, non valeat conſequentia; tantum tamen ex adductis liquet, renis ſubſtantiam ſua natura curationem recipere: Verum, ſi vulnus altius deſcendit, ſi ſimul glandula illa, quæ ſupra renem ponitur, *ſuprarenalis* ac *capſula atrabiliaria* dicta, ſi vaſa majora dividuntur, ſi magna ſanguinis copia vel in cavum abdominis vel in texturam peritonæi celluloſam effluxit, ſi abinde pus malum, quod educi haud potuit, ortum eſt, ſi urether præfectus eſt, atque omnis deinde urina in celluloſum peritonæi contextum deſtillavit, ultra artis vires læſio eſt, veluti etiam magnæ contuſiones, quæ ſanguinem intra renum ſubſtantiam longe lateque diffuderunt, aut eundem in pingue velum, quod renibus circum eſt, profuderunt, a curatione abſunt longiſſime; Quodſi autem abſceſſus exinde formatus eſt, quem chirurgus haud aperuit, ex neglectu mortem conſecutam fuiſſe pronuntiamus, ſi provida ſectio cadaveris omnem hiſtoriæ ambitum recte expoſuerit: Proinde tantum ſub quibusdam conditionibus, enuntiante CELSO *Libr. 5. c. 26. ſervari non poteſt, cui renes vulnerati ſunt.*

§. 38.

Veſica urinaria cavum eſt, a tunicis, *membranacea, peritonæi propagine, muſculari, ex fibris longitudinalibus atque orbicularibus conſtante, vaſculari, quam nervi arteriæ atque venæ faciunt,* & *glandulosa intima, quæ mucos fundit* & *ca-*

vum contra urinæ acredinem munit, compoſitum. Mutabilis illius eſt capacitas, & ſitus proinde varians. Vbi enim veſica urinam, quantam capere poteſt, in ſe recepit, tunc tumet, atque ſynchondroſi pubis eſt altior, hinc, ſi ita plena eſt, vulnus ſuo fundo accipere poteſt, quod per muſculorum abdominis imam partem aut illos *pyramidales* dictos, deſcendit. Iſta vulnera pro abſolute lethalibus habentur ab antiquis, ita HIPPOCRATES *Aph. ſect. 6. 17.* Κύστιν διακοπέντι θανατώδες, *veſicam transfodi, lethiferum;* Suffragatur experientia, atque iſta vulnera, propter varias rationes, ſiniſtre eveniſſe, docet, tam propterea, quod vulnera membranarum difficulter ſaneſcunt, quam ea ex ratione, quod urinæ efflu-xus in peritonæi cellulas malignum pus movet, quod educi haud poſſit, oporteatque abinde gangrænam ſphacelumque enaſci. Verum, ſi rationes audias, quas cognita veſicæ ſtructura ſuppeditat, quantum ad veſicæ vulnus ejus fundo inflictum, major, quam quæ ex ventriculi vulnere eſt, mortis neceſſitas vix eſſe videtur, namque vaſa in illo loco nec magna ſunt nec copioſa, deinde vulnus, contracta in ſe veſica, clauditur, eſtque fundo veſicæ ſtructura muſcularis membranaceæ immixta, quæ ſanationem recipit: Proinde fuerunt, qui, huic veſicæ ad convaleſcendum aptitudini confidentes, inflicto fundo illius vulnere, calculum de veſica educere aggreſſi ſunt; ſed falſus eſt cyſteotomiæ hypogaſtricæ dictæ aut apparatus alti Autor PETRVS FRANCVS, Chirurgus Gallus

Gallus, atque non niſi ſummo cum periculo hac parte veſicam vulnerari deprehendit, & licet IACOBVS DOVGLASSIVS Medicus Londinenſis, eandem revocaret, omnes tamen nunc chirurgi ab illa abſtinent, non vulneris in ſe ſpectati cauſa, ſed propter incoërcibilem urinæ fluxum, quæ, ſi aliquantulum in veſica colligitur, uti impediri nequit, vulnus iterum aperit atque in pinguedinem veſicæ circumjectam diffunditur; Propius ad veſicæ collum, vulnera ſanationem plus admittere, calculorum ſectiones docent; Eſt enim cervix veſicæ carneo circumſcripta muſculo, qui ſphincter appellatur; Hic diſſectus eo facilius coaleſcit, quo metuendum minus eſt, ne urinæ in pinguedinem circum circa effundantur, ſi ſecundum leges artis proceditur, ſiquidem nec in illa, qua bulbus urethræ inciditur, antiquiſſima, quam CELSVS docuit, lithotomia, nec illa laterali ſectione, quam Frater IACOBVS, Monachus Gallus, primus exercuit, RAVIVS, illuſtris inter Belgas Medicus, & poſt eum ALBINVS Belga, DRANIVS, Gallus, celebria nomina, correxerunt, dum vulnus inter bulbum urethræ & tuber Iſchii, diſſecto transverſali bulbi muſculo, infligitur, quidquam ex ſolo vulnere habetur periculi; ſi enim res bene cedit, nil quidquam deſtruitur, quod vel hæmorrhagiam incoërcibilem excitet vel conſolidari haud poſſit. Verum vulnera ejusmodi, ſi ab artis peritis, animo ad ſanationem directo fiunt, ſub cenſuram judicis haud cadunt, nec in foro obveniunt, niſi forte empiri-

cus, ſi male ſecuit, vaſa majora veſicalia ab hypogaſtricis aut Iliacis internis orta deſtruxit, paraſtatas, glandulas ad collum veſicæ ſitas, vulneravit, veſiculas ſeminales deſtruxit, & vetuſtum ulcus perinæi atque urinæ incontinentiam excitavit, inculpandus eſt; Multo minus a vulnerum arte inflictorum innocentia, ad illa, quæ tumultuario aliquo impetu inferuntur, ut mortem feciſſe haud dicantur, concludi poteſt.

§. 39.

Etiamſi illa, quæ procreandæ ſoboli in utroque ſexu dedicata ſunt, organa ad vitam proxime haud faciant, ſub certis tamen conditionibus læſa, ſanari nequeunt ac cauſæ mortis fiunt certiſſimæ. Quod virilia attinet, quorum pars in abdomine ſita eſt, equidem illorum læſiones, ſi mors illas conſecuta eſt, extra ſanationis poſſibilitatem haud fuiſſe dicuntur WELSCHIO *Ration. Vuln. Lethal. Iud. p. 90.* Verum nihil ita conſtans ac perpetuum eſt, ut, per circumſtantias, vulnus etiam leve viſum, mortiferum eſſe haud poſſit; Vaſa ſanguifera, quæ teſticulum virilem attinent, atque illum aliquo veluti pedunculo ſuſtinent, ſunt, arteriæ, quarum utrinque una ex aortæ trunco, exili tubulo, ſub peritonæi lamina ad abdominis annulum, perque illum, capreolari ſurculorum tractu, qui *Corpus pampiniforme* dicitur, procedit; ſurgunt etiam ex teſticulo venæ ſpermaticæ atque inter ſe complicatæ adſcendunt, poſt annulum abdominalem in unam utrinque venam coeunt, quæ,

ſi

ſi ſiniſtra eſt, venæ renali, ſi dextra, venæ cavæ, implantatur; Præterea nervi, tam a renali intercoſtalis plexu, quam ab iliacis nervis, oriundi, feruntur ad teſticulum, qui, propter vaſorum excellentiam, comprimi, contundi, vel vulnerari certo reſpectu lethaliter poteſt. Summa eſt teſticuli ſenſibilitas, & ex rudi ejus contrectatione ſyncopen aut longam animi defectionem paſſos eſſe viros, in compertis habemus; eſt enim inter malas artes colluctantium illa, ut antagoniſtam compreſſo teſticulo reddant exanimem. Etiamſi autem, mortem ex vulnere teſticuli, abſoluta neceſſitate conſequi poſſe dubites, morbos tamen graves fere lethales ex contuſo teſticulo, ob febrem magnam, & gangrænæ metum, naſci, chirurgia teſtatur, qua etiam diſcimus, vulnera chordæ ſpermaticæ, annulo abdominis propiora, ideo lethalia fieri, quoniam relapſæ, uti poſt vulnus ſolent, arteriæ, ſanguinem in cellulas peritonæi fundunt, ut, licet parva ſit arteria ſpermatica, lento tamen ſtillicidio magna ſanguinis vis ex illa effundi, & abſceſſui abſcondito ac proinde lethali occaſio præberi poſſit: Tale vulnus faciunt imprudentes empirici, ſi teſticulum ſcirrho induratum ſectione, ſine debita ac valida vaſorum ejus deligatione, auferunt, aut, herniam repoſituri, teſticulum ſubſecant, ac ita, vel ægrum latente hæmorrhagia necant, vel viritatem illi adimunt: Scroti vulnera in ſe innoxia ſunt; ubi tamen herniam inteſtinalem illuc deſcendentem, quam *Oſcheocelen* vocant, ad-

eoque inteſtina compungunt, mortem feciſſe dicuntur, cum ars nulla vulneri tali glutinando par eſſe poſſit. Penis vulnus, ſi corpora ſpongioſo nervea, quibus ille conſtat, inciſa ſunt, immanem ſanguinis fundit copiam, eſtque ex illo vulnere mortis periculum, ſervari tamen ita ſauciati poſſunt, veluti PALLVCCIVS Sacræ Imperatoriæ Majeſtatis Chirurgus, illo Libello: *Nouvelles remarques ſur la lithotomie, ſuivies de pluſieurs obſervations ſur la ſeparation du penis & ſur l'amputation des mammelles. a Paris 1750.* artem vulneratam mentulam comprimendi ac ſanguinem ita ſiſtendi, nuper docuit: Poſſunt tamen ex iſto vulnere mori, qui malo pudore illud reticent, quod vulnerati, neutiquam vulnerantis, tunc peccatum eſt; Laxa eſt mentulæ ſubſtantia ex celluloſo opere effecta, in quam arteriæ pudendæ, ab hypogaſtricis ortæ, ſanguinem effundunt, haud ſiſtendum, ſi vulnus in pene factum fuit, niſi mentula ad os pubis fortiter comprimatur:

§. 40.

Vterus muliebris vacuus, cum in ventris ima baſi inter veſicam atque inteſtinum rectum delitescat, vulnus, his intactis, accipere nequit, adeoque, ſi caſus ita eveniſſet, neminem fore arbitror, qui de vulneris abſoluta lethalitate ſit dubitaturus: Aſt plenus fœtu ſuo uterus, innoxie vulnerari poſſe, videtur, ſiquidem Hyſterotomotocia, ſeu ſectio fœtus ex utero matris vivæ, ſi ordinaria partus via præcluſa, ac matri fœtuique ceteroquin pereundum eſt, cum aliqua ſalutis conſequen-

ſequendæ matrisque ac prolis ſervandæ fiducia, inſtitui ſolet, veluti, contra illos qui lethale hoc vulnus eſſe putant, ſectionem cæſaream etiam in viva inſtitui oportere, HEISTERVS *Chir. Part. II. ſect. V. cap. 113.* docet, & methodum proponit, veluti negotii hujus feliciter expediti exemplum TEICHMEYERVS *Medic. Legal. cap. 2. p. 18.* adducit. Verum diſpar omnino caſus eſt, vulnus facere in utero gravido, quod ſubito, ubi fœtus eductus fuit, contracta in ſeſe matrice, conſolidari ſine magna ſanguinis effuſione poteſt, & vulnus gravido utero inferre tumultuarium nulla arte directum; Caſum hunc ita concipit BOHNIVS *Renunt. Vuln. lethal. p. 394. Sin idem organon, dum fœtum geſtat, ejusmodi ictum, etiam extra vaſorum majorum diramationes, experiatur, matri pariter ac proli ille lethiferus exiſtit. Quod ultimis præ primis menſibus totus uteri cavernoſus ſeu ſpongioſus ambitus cruore multo turgeat, hinc laceratus, ad deliquium animi eundem profundat, inſequente ſimul illo quoque, quem vaſa tunc temporis per fundum uteri tumidiora, continebant.* Duplicis adeoque homicidii reus eſt qui vel fundum uteri perfodit, vel collidit ictu gravi, nam uti fœtus certo perit, ita mater inflammato utero interit, utpote qui, veluti triſtiſſima puerperarum ex vulnere intrinſeco matricis a duro aliquo partu quotidie morientium exempla docent, vulnus ferre nequit, quin inflammatio, hinc gangræna atque ſphacelus, ſubito conſequatur: Externæ mulierum partes ex ſtupro

violento, ſi anguſta puella læſa eſt, lethalem afflictionem pati poſſunt, cum iſtæ partes gangrænæ ſint obnoxiæ, quale exemplum nuperrime evenit, ut ſervari non poſſet violenter compreſſa, quod gangræna incoërcibilis longe lateque vagaretur partesque devoraret, qua de re legi meretur TEICHMEYERVS *Med. Leg. p. 28.* qui varios ſtupri violenti effectus recenſet.

§. 41.

Priusquam ex abdominis cavo diſcedam, majorum, quæ per ejus baſin ambulant, vaſorum mentio injicienda eſt, quorum vulnera non tantum abſolutam ſed etiam celerem mortem afferunt. Arteria aorta, poſtquam thoracis longitudinem, ſpinæ vertebrarum dorſi accumbens, emenſa eſt, inter diaphragmatis inferiores muſculos deſcendit ad abdomen, lumborum accumbit vertebris, ſpargitque de ſe truncos arterioſos, *coeliacam*, quæ hepati, lieni ac ventriculo ramos impertitur, *meſarrhaicam ſuperiorem*, quæ meſenterium ac inteſtina tenuia cum parte dextra Coli perambulat, *utramque renalem*, quæ renibus dedicata eſt, *utramque ſpermaticam*, quæ ovariis atque utero mulierum, atque, ſi maſculus eſt, ejus teſticulis debentur, *meſarrhaicam inferiorem*, quæ ſiniſtræ Coli parti immergitur; his ita effectis, in duo crura finditur, ex quorum medio *arteria ſacra* oſſi ſacro accumbens, deſcendit. Dederat etiam aorta, anteaquam finderetur, quinque vel quatuor *arteriarum vertebralium* paria; Vbi aorta in duo crura diffiſſa eſt, nomine

mine mutato, arteria fit Iliaca, utrinque una; Vtraque mox in eam dividitur, quæ verſus inguina procedit ac *Iliaca externa* dicitur, inque eam, quæ *Iliacæ internæ* vel *hypogaſtricæ* titulo ad pelvim deſcendit, inque viſcera ibidem ſita diſtribuitur, partim per foramina, *obturatorium* atque *iſchiadicum*, foras procedit, atque muſculos, qui retro crura ſunt, perambulat: Aſt *arteria iliaca externa*, ubi variis muſculis varios ramos dedit, ſub ligamento Poupartii egreſſa, *cruralis* nomine, deſcendit, ſub flexura genu, *Poplitæa* dicitur, a quas *Tibiæa* ac *Peronæa*, ſeu illa, quæ fibulæ pedis prope eſt, arteriæ proveniunt.

§. 42.

Veluti ubique venæ, nomine, ſuis reſpondent arteriis, ita ſimiliter, pares arteriis ante nominatis, aſſurgunt venæ: Scilicet *vena Iliaca externa*, quæ cruralis eſt continuata atque *interna*, corrivant ſanguinem inferiorum artuum atque partium in pelvi ſitarum in unum truncum, qui *Vena cava* dicitur; hæc, quo magis adſcendit, eo plus ſanguinis in ſe recipit atque exinde grandeſcit: Immerguntur illi, venæ lumbares, ſingulis, ad ſingulam vertebram, paribus, hinc utraque accedit *renalis*, quam *emulgentem* alii dicunt, & a dextris *vena ſpermatica* illi implantatur. Nunc poſt hepar pergit, atque ex illo habet venas *hepaticas*, quibus jecur ſuum ſanguinem ſane copioſum, in ſubterlabentem hanc venam cavam eructat; atque ſic omnis ſanguis ex inferiore homine ad usque diaphragma, in una vena cava adſcèn-

adſcendente conſpirat. Suffragio ac teſtimonio autorum haud opus eſt, quo iſtorum vaſorum vulnera dicantur eſſe lethifera, ſunt enim, ſi quæ unquam; ſiquidem, brevi tempore, formam vitæ, motum ſcilicet cordis, extinguunt. Præterea perreptant abdomen nervi varii, tam ille intercoſtalis, qui, ubi regionem colli atque thoracis emenſus eſt, juxta vertebras lumborum ad oſſis ſacri confinia deſcendit; atque etiam vaſa lymphatica ubique ſunt, tam, quæ ſuper viſcera, quam, quæ ad ſpinam dorſi, prope vaſa majora ſanguifera ponuntur atque verſus receptaculum chyli properant; Nervum ſolum vulnerari rarum eſt, aſt vaſa lymphatica a colluctatione forti rumpi, facile eſt, ſunt enim tenuia poſſuntque, veluti illi bajulo, cujus mentionem *Stalpart van der* WIEL *manual operation der Chirurgie Part. 4. c. 34.* mentionem facit, divelli, unde lenta macies atque aſcites.

CAP. II.

De Læſionibus mortis cauſis.

ARTICVLVS VI.

De Læſionibus externarum partium.

§ 1.

Læſiones equidem mortiferæ externis corporis humani partibus ita frequentes haud obveniunt,

niunt, ac illæ, quæ recondita in cavis viſcera attinent, non tamen deſunt ex illis, quæ curationem haud admittunt & abſoluta aliqua lethalitate ægrum interimunt: Vaſa majora, ſub exitu ex cavis, vulnus accipiunt lethale, cum illud nec ſubligari nec comprimi, atque ſic fluxus eorum mortifer ſiſti poſſit. Aorta, ubi ſeſe in arcum flexit, ex illo emittit *utramque ſubclaviam*, atque ſiniſtram *carotidem*. Subclaviæ, poſtquam collo dederunt *tracheales* ac *cervicales* arterias, poſtquam *thoracicas* ac *ſcapulares* diffuderunt, omnes exiguas & quæ, ſi vulnus acceperunt, arte aut comprimi aut deligari poſſunt, nunc, procedentes ſub humeri articulo, *axillares* dicuntur, atque illæ, ſi ſub ala vulnerantur, brevi tempore interimunt, magno enim impetu, quo major quæque arteria eſt, eo celerius ſanguinem cum vita effundit. Nec modus eſt axillarem deligari: Finge enim, eam, uti alte haud jacet, ſubducto forti filo, vinciri poſſe, nulla tamen exinde ſalus eſt, brachium intercepto ſanguinis itinere nervisque axillaribus, uti circum circa arteriam eunt, ſimul deligatis, emorietur, & mors totius preſſo pede ſequetur: Dicis, exſtirpandus humerus ex articulo erat, veluti ELIAS FRIDER. HEISTERVS, LAVRENTII filius, *de nova brachium amputandi ratione*, *Helmſt. 1738.* propoſuit, atque in aliquo caſu, effecit. Aſt reputa tecum, celeritatem fluxus ſanguinis ex hac vulnerata arteria, & tecum perpende, an tempus ejusmodi tentamini ſufficiat. Non decet

medi-

medicos incerto eventu tentare ardua, ne occidiſſe videantur, quos ſervare non poſſunt: Quo plus ad flexuram cubiti arteria, nunc *brachialis* dicta, procedit, eo major curæ adeſt poſſibilitas, minor lethalitas, niſi vulnus in deſerto loco, procul ab impetrando auxilio, factum eſt. Præſens chirurgus, ſi artem callet, comprimet faſcia tortili axillarem, deinde, ſubducto filo forti, veluti in exſciſſione anevriſmatis fieri ſolet, vinciet arteriam; Sed carebit cubitus atque infima manus ſanguine nutritio exſciſſa brachiali, brevique tempore emorietur, adeoque amputandus ſuper flexuram cubiti humerus eſt, cum dubia ſpes ſit, fore, quo per arterias collaterales a poſtica humeri parte deſcendentes infima manus nutriatur; Hæc auxilia ſi neglecta fuerunt, eſt, quo excuſari aggreſſor poſſit: Arteria brachialis ad flexuram cubiti usque plerumque indiviſa, ſub illa, in *radiæam* atque *ulnarem* dividitur. Singula ex his inciſa vel præciſa, ſanguinis fluxum incoërcibilem haud habet, quo enim plus arteria quædam ex ſubdiviſis alicujus trunci ramis eſt, eo plus curationem admittit: Radiæa equidem, utpote ſublimis atque digitis palpanda, ideo curationi favet, quod parum eſt abſcondita; Vlnaris ejusque propago, *interoſſea*, cum ſub alta carne deliteſcant, quieſcunt equidem, ſi faſcia tortilis, aut torcular PETITI ſub axillis applicatum eſt, verum, cum ſine ſtupore totius brachii comprimi diu illa pars ne-

nequeat, breve hoc eſt auxilium, ſiquidem rarum non eſt, valida ejusmodi compreſſione chirurgos ſphacelum provocaſſe: Neque vero facile eſt per muſculos ad arteriam læſam procedere, eamque arripere ac deligare; tentandum tamen illud eſt, ne, neglectu artis aut inſcitia, afflictus periiſſe dicatur: Si effuſus inter muſculos ſanguis tantus eſt, quantus diſcuti nequit, mors ex ſphacelo futura eſt, niſi ultimum denique auxilium poſſit eſſe amputatio; nam incertum auxilium certæ deſperationi ſæpe præferendum eſt. Sic quoque, propter easdem rationes, periculoſum arteriæ interoſſeæ vulnus eſt, cum illa omnes muſculos ſupra ſe habeat, atque ad eam devenire chirurgus nequeat, vulnusque ejus anceps eſt, ſi muſculi magni ſunt ac pleni vulnus autem anguſtum. Arteriæ, quæ ab ulnaris trunco volam manus perambulant, diſſectæ, magnam equidem ſanguinis copiam fundunt, forte etiam, ſi auxilium abeſt, ex illis lethalis hæmorrhagia conſequitur, nam utraque & *ulnaris* & *radiæa* in arcum *palmarem* dictum conſpirant, ſed præſente chirurgo ejusmodi ægrotum mori ignominioſum eſt. Arteriæ artuum inferiorum ſimiliter, uti magnæ atque vel ipſi trunci, vel rami his proximi ſunt, ita quoque arti plus vel minus reluctantur: Arteriam cruralem ſub exitu ex abdomine lethali ſubitaneoque eventu ſauciatam in juvene vidimus, qui vulnus ad inguen ſiniſtrum non admodum altum receperat; neque curationem recipit eadem arteria, ubi

ubi ſeſe ſub poplite flexit, atque *poplitæa* dicitur; major eſt quam quæ comprimi poſſit, ſiquidem faſcia comprimens inguini applicata, ſi obeſum femur eſt, non ita ſedet, ut impediri ſanguis poſſit: Deinde brevis inter vulnus & mortem mora eſt, & niſi momento poſt vulnus datum chirurgus præſto eſt, ſero medicina parabitur. Poplitææ rami, *tibiæa* atque *fibularis* curationem admittunt, aſt interoſſea diſſecta, ſi ſub ſura vulnus anguſtum latet, fluxum ſanguinis excitat periculoſiſſimum, fluit ille inter muſculos ibidemque putreſcit, ut, niſi amputato, qui ſervari nequit, articulo, ſalus ſperari nequeat. Arteriarum, quæ plantam pedis perambulant vulnera neminem occidunt.

§. 2.

Venæ illæ profundæ, quæ inter muſculos procedunt, ſuarum arteriarum ſemper ſunt ſatellites, ut propterea communi plerumque vulnere eoque periculoſiore affligantur; Venæ, quæ ſub cute repunt, vulneratæ magnam vim ſanguinis brevi tempore dimittunt eo periculoſius, quo majores fuerint. Sunt enim venæ, ſanguinis ad cor revertentis via, & licet ipſæ, ſuarum tunicarum vi atque actione, liquida non moveant, cum pulſu aut robore in transfluentes ſuccos agendi deſtituantur, aliis tamen, quibus illarum ſanguis promovetur, auxiliis cum gaudeant, valvulis ſcilicet relapſum fluidi impedien-

dientibus, cum etiam ſanguis arterioſus vi cordis atque arteriarum in oſtiola venarum compulſus illum venoſum ſemper urgeat, ideoque fluxus ex vena majore ſecta, niſi illi impedimentum ponitur, ad mortem usque eſt perpetuus. Venæ artuum ſuperiorum, in dorſo manuum conſpicuæ colliguntur una cum illis ſub brachii cute repentibus in varios truncos majores, *baſilicam*, *cephalicam*, *medianam*. Cephalica, in progreſſu, ſub cute, ad humerum propagata, fit *humeralis*, aſt profundæ illæ, inter muſculos ſitæ, una cum cutaneis ad flexuram cubiti poſitis, coëunt in brachialem venam, quæ adſcendendo amplior facta, uti plus ſanguinis in ſe recepit, ſub articulo humeri, ſeu axilla, *axillaris* eſt, progreſſa, *ſubclavia* dicitur; ibi accipit ex collo deſcendentes venas, *jugulares externas* atque *internas*, de quarum vulneribus alibi dictum eſt, aliasque ex cervice, *vertebrales*, *cervicales*, ex thorace, *mammarias*, *intercoſtales aliquas ex ſuperioribus*, &, ſi ſiniſtra eſt, ductum thoracicum accipit. Vtraque ſubclavia junctim venam cavam ſuperiorem aut deſcendentem conſtituunt, cui ſanguis ex regionibus thoracem conſtituentibus, mediante *vena ſine pari*, accedit. Similiter ſanguis, vi arteriarum in oſcula venarum imi pedis propulſus, venis revertitur, aliis *ſublimibus* & *ſubcutaneis*, aliis *profundis* ac *muſcularibus*: Cutaneæ, quæ ad internum malleolum oriuntur, ſub inguine in unam, *ſaphænam* dictam, conſpirant, & totum illud rete venoſum, quod pedem ſub cute perambu-

lat; ſaphæna eſt; aſt reliquæ muſculares colliguntur in *poplitæam*, quæ continuata, ſemperque arteriæ ſuæ ſocia, fit *cruralis*. Hæc ſub ligamento *Poupartii* ingreſſa abdominis cavum, ubi muſculares abdominis, *epigaſtricas* dictas atque *pudendas externas* collegit, fit *Iliaca* externa, quæ junctim cum *Iliaca interna* ſeu *hypogaſtrica*, venæ cavæ inferioris ſeu *adſcendentis* imam baſin conſtituit, hinc ſenſim venis *renalibus*, *lumbaribus*, *hepaticis*, aucta, trans diaphragma ſurgens, junctim cum illa ſuperiore ſeu deſcendente vena cava, in cordis auriculam anteriorem, omnem, qui ab uno circuitu ſupereſt, nec in nutritionem, nec in alias ſecretiones vel excretiones abſumptus fuit, ſanguinem, fundit. Etiamſi autem venæ omnes ſauciatæ eadem celeritate ſanguinem haud effundant, multaque vulnera venoſa, mortem inferre potuiſſe haud videantur, cum fuerint exigua, ſi forte vena aliqua externarum vulnerata mortem feciſſe dicatur; vana tamen eſt dubitatio, an fieri hoc potuerit, ſi, factum eſt, uti ex vacuitate vaſorum majorum *venæ cavæ*, *utriusque venæ portæ*, totiusque ſyſtematis venoſi, in cadavere cognoſcitur. Admirabile eſt, qua fiat, ut per venæ vulnuſculum ſanguis totius hominis effluat: Fit illud per leges circuli ſanguinis, quibus efficitur, quo vulneri ſubinde novus ſanguis, actione cordis, applicetur, donec ſuperſit nullus, certe non tantus,

quan-

quantus ad vitam ſufficit. Majuſculas tamen, ut ſanguinis fluxus mortifer excitari poſſit, venas diſſectas eſſe oportet; nam, quæ extremis propiores ſunt, ubi ſatis magnam ſanguinis quantitatem fuderunt, fluere ſponte deſinunt, ipſeque ſanguis a lipothymia ſuperveniente ſiſtitur.

§. 3.

Socia ubique venis ſunt vaſa lymphatica, tubuli ab initio minimi, ſenſim majores, non niſi in vivis conſpicui, tenuiſſima membrana effecti, ac transparentes, qui ſubtile vehunt liquidum ab arteriarum apicibus, de optimo ſanguine elaboratum, ſanguini venoſo ubique immiſcendum, paſſim enim ad venarum latera, aut ſuper illis, jacent ejusmodi aquoſa, uti Germanis dicuntur vaſa, quæ, ſecta, magnam lymphæ quantitatem eructant. Veluti ergo horum vaſorum vulnera, ſi intra abdomen contingunt, mortem afferre poſſe dicta ſunt, ita etiam, ſi, ex anguſto ac profundo vulnere, tale vas majus diſſectum fuiſſet, lentam mortem neceſſum fuit conſequi; ſolet ejusmodi vas quandoque, dum vena ſecatur, ſimul pertundi, fluitque ex vulnuſculo, quod tunc conſolidari nequit, magna lymphæ vis, & refert BOHNIVS *Renunt. Vuln. Lethal.* exemplum ejusmodi vulnuſculi, ex quo, ad ſummum usque languorem ægroti, lympha effluxerat, utpote quæ, cum tenuiſſima ſit, nec, veluti ſanguis, in thrombos concreſcat, ſponte nunquam, arte difficulter, ſiſtitur. Quid fieret, ſi

abſconditum tale vas deſtructum eſſet? metuendum ſane eſt, ne lenta morte abſumatur, qui illud expertus eſt.

§. 4.

Nervi, qui ſpiritum vitalem, omnis ſenſus motusque autorem, a medulla ſpinali ad extrema ducunt, & omnibus motus ſenſusque organis agendi facultatem impertiuntur, veluti eadem, qua arteriæ ac venæ, lege diſtribuuntur, ita, vel junctim cum vaſis ſanguiferis, vel ſigillatim vulnerantur, eo ſemper periculoſius, quo majores fuerint. Νευρότρωτοι nervo compuncti, ait PAVLVS AEGINETA, *Libro 4. cap. 84. ſive ſecta, ſive compuncta vulnera ſint, inflammationem & dolorem eminentem habent, ob ſenſus excellentiam in nervis, inde febres & ſpaſmi his ſuperveniunt, aliquibus deliria, propter nervorum cum cerebro conſenſum;* Nec tantum, veluti GALENVS *de anatom. adminiſtrationibus Libr. 8 c. 5.* putat: *ſi nervos muſculorum læſeris, totos ſtatim muſculos motu privabis*, ſed etiam nutritio parti deeſt, cujus nervus diſcinditur, truncus ſcilicet aliquis ex majoribus; aſt nervi, ubi jam muſculos ingreſſi ſunt, docente REALDO COLVMBO *de re anat. Libr. 8. c. 5. uniri poſſunt, neque ſenſus motusve ab illorum vulnere amiſſio eſt.* Inciſi ac compuncti plus periculi afferunt, quam ſecti, imo, diſſecari illos ſæpe oportet penitus, ſi dimidio trunco vulnus acceperunt: Licet ergo mors derepente, ex nervi artuum vulnere conſecutura haud ſit, ubi tamen truncus aliquis nervorum læſus

fuit,

fuit, non tam de illo, quam de arteriæ vulnere, quod evitari tunc haud potuit, ſermo movetur; Cum autem nervus aliquis conciſus fuit, qui cum vitalium organorum nervis conſpirat, veluti ſunt illi qui ex medulla ſpinali colli oriuntur, utpote qui cum *phrenico* & *pari vago*, juxta ſuum primordium conſentiunt, deinde in axillarem confluunt, ac omnes illos muſculares cutaneosve nervos producunt, qui per brachium ad manus ambulant, tunc mors quoque ſubitanea ex vulnere illo conſequi potuit; Proinde vulnera, lateralibus colli locis, ubi nervi de medulla ſpinali procedunt, inflicta, etiamſi cruenta admodum haud fuerint, poſſunt eſſe mortifera, veluti & illa, quæ ad medullam ſpinalem, omnium nervorum, præter illos cerebri, originem, in quacunque demum ejus regione hoc eveniat, deſcendunt.

§. 5.

Oſſa artuum atque his annexi muſculi, ubi læſiones graviores, quibus tota illorum ſubſtantia deſtructa fuit, acceperunt, mortis cauſæ fiunt, ſi eo usque deſtructio facta eſt, quo vita illis manere haud poſſit, adeoque gangrænam, hinc ſphacelum oriri neceſſario oporteat. Igitur oſſa eo usque diffracta, ut medulla eorum effluat, utque, ſi in minima fragmenta diſceſſerunt, uniri non poſſint, ſi amputationi commodus locus haud eſt, mortem afferunt inevitabilem. Hoc accidere poteſt oſſibus femoris ac humeri, prope ad articulum, ſi in minutas fibras diſceſſerunt.

Servari non poterit, cujus femur globulus ex bombarda explosus perforavit ac in longum divisit, nec vivere potuit ille, cui, cum acromio, caput humeri collisum, diffractum, hinc magna sanguinis haud discutienda portio sub musculo deltoideo collecta fuit. Servari poterant reliqui, quibus, etiamsi ossa tota destructa ac comminuta essent, articulus amputandus erat, cujus operationis neglectus excusationem aggressori allatura est. Luxari ac ex sede sua dimoveri ossium capita, per se haud est lethiferum, atque, si a luxationibus vertebrarum, aut earum validis extensionibus, quæ mortem afferre, compressa medulla, solent, recesseris, nulla alia, nisi simul contusio in sphacelum ruens concurrat, nisi dilacerata ligamenta sint, mortifera est; Sed vulnus sclopetarium, quod articulum poplitis destruxit, simul etiam os femoris vitiavit, atque illud, fissura in longum ducta, afflixit, mortiferum est, atque omnes articulorum læsiones, quæ tendines musculorum vexant, diducunt, lacerant, ligamenta destruunt, sanguinem sub illis effundunt, cum mortuum a sano auferri nequeat, mortem faciunt inevitabilem. Sed musculorum vulnera, intra illorum corpus seu ventrem concepta, mortem intulisse nunquam dicuntur, nisi vas majus, quod contineri haud potuit, simul læsum est, nisi etiam plura fuerint. Plura enim vulnera, quorum singulum mortiferum haud est, collecta, ob sanguinis amissi vim, ac febrem magnam, æquiparantur uni vulneri magno lethali. A musculo tem-

temporali dissecto convulsionem oriri, HIPPOCRATES, *Libro de vulneribus capitis*, autor est, neque innocenter musculi abdominis, omnium minime recti atque illorum tendo, vulnerantur, siquidem, qui tale vulnus accepit, ex illo licet parvo in se viso, interiisse existimabitur, si convulsus & suffocatus interiit. Sed musculi reliqui, singulares, si toti dissecti sunt, si eorum compuncti aut secti sunt tendines, præter ineptitudinem agendi, aliam noxam mortiferam per se haud afferunt; Ast, si contusi fuerunt, si sanguis inter fibras eorum fusus est, aut in pinguedinem illis interjectam efflu-xit, si periosteum simul contusum est, & sanguinem sub se recepit, si tendines vexati fuerunt atque contusi sunt, uti est apud AMMANNVM *Med. Crit. p. 66*; si sub tendine lato sanguis quiescit; si musculi rupti sunt, veluti in illo exemplo mulieris, cui Taurus cornipeta musculos flexores tibiæ sub poplite, lethali per sphacelum eventu, evulserat, ubi Facultas nostra empiricum excusavit, cum vulnus illud ex se lethale esset; si, parvis licet sugillationibus, ast plurimis, passim musculi ex fustigatione contusi sunt; si senex est aut imbecillus homo, qui contusus vehementer fuit; Vbi in his omnibus vel mors celeriter ex sphacelo consecuta est, vel artis opera ac legitima medendi ratione effici nihil potuit, mortem ex tali læsione consecutam esse, ac impossibilitatem curandi adfuisse, pronuntiabitur.

CAP. II.

De Læsionibus mortis causis.

ARTICVLVS III.

De mala medicatione.

§. 1.

Qui imperite secuerint, qui perperam medicamentum dederint, vel curationem dereliquerint, vel simile quid deliquerint, *Lege Aquilia*, tenentur leviſſimam præstare culpam, licet sæpe plus haud peccaverint, quam ille tonsor, de quo VLPIANVS, ex Mela *l. u. pr. ff. ad Leg. Aquil.* refert, quod, cum pila quidam luderent, vehementius quis, pila percussa, in tonsoris manus eam dejecerit, & sic servi, quem tonsor radebat, gula esset præcisa, ubi PROCVLVS in tonsore culpam esse putat, quod ibi totonderit, ubi ex consuetudine ludebatur. Nihil sane prætextibus istis nunc est frequentius, quibus utuntur, qui gratiam referre nolunt, ut dicant, medicum nocuisse, quia non sanavit. Sola imperitia culpæ annumeratur, & præcipue artis, in eo, qui illam profitetur, quum nemo affectare debeat id, in quo intelligit, vel intelligere potuit, infirmitatem suam alii periculosam fore. *Si id profiteri videar*, ait CICERO *in orat. pro Aulo Cluente, quod non possim implere, impudentiæ est, si id non efficerem, quod possim, perfidiæ est aut negligentiæ.* Proin-

Proinde, si quis medentium in jus vocaretur propterea, quod sanitatem haud procuraverit, convincendus foret, vel ignoraſſe convaleſcendi media, vel noluiſſe præſtare quod poterat, vel ſtudioſe mala medicina uſum eſſe, ut occideret, quo, vel dolo vel culpa, deliquiſſe, dicatur; Alia contra medicos atque illos, quibus aliquam medicinæ partem exercere licet, chirurgos atque obſtetrices, quæſtio admittenda haud eſt, cum, facienti, quæ ſecundum artis præcepta fieri opus eſt, ſiniſter eorum, quæ ſubſequi nollet, eventus, gravis eſſe haud debeat. Imperitiæ adeoque & ignorantiæ ante omnia reus ſit, qui mortis ex medicatione aliqua conſecutæ culpam ferre debet. Hinc illi damnantur, qui artem profeſſi ſunt, quam haud didicerunt, nam id ipſum jam culpa eſt, immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti, per *leg. 36. ff. de R. I.* In medicina autem ſola artium evenit, ut, quod PLINIVS *Hiſt. nat. L. 29. c. 1.* ait, cuicunque eam profeſſo ſtatim credatur. Sunt autem etiam medici *φήμῃ πολλοί, ἔργῳ δ' ὀλίγοι*, *nomine multi, re ipſa pauci*, qui rudibus manibus artem tractant, quam *ὀλιγοχρονίην*, talem diſciplinam, *in qua parvo tempore multa contra vitam ægroti peccata committi poſſunt*, recte appellamus. Nihil condonavit medicis Romanis VLPIANVS *in l. 6. §. 7. ff. de Offic. Præſ.* ſed, quod per imperitiam commiſit, medico imputari vult, nec prætextu humanæ fragilitatis innoxium eſſe oportere, ſed eum culpæ reum intelligi, decernit. Imperitiæ adeoque ar-

guitur, qui, cum ſuæ artis gnarus eſſe poſſit, inque illa exercenda fidem mereatur, in peregrinos cancellos irruit, uti, ſi chirurgus internos morbos curare auſus eſt, obſtetrix puerperis pharmaca miſcuit, cujus negotii male ſuſcepti malum eventum, utpote qui in facto illicito verſati ſunt, ſibi, tanquam cauſæ, imputandum, merenter ferunt, etiamſi recte ac ſecundum artis regulas feciſſe videantur.

Tonſor, caupo, coquus, lanius ſua limina ſervent. Mart. L. VII. Epigr. 60.

Etiamſi autem jure medendi, exhibito in academiis diligentiæ ſpecimine, & inſignibus, quæ iſtam immunitatem procurant, armatus aliquis ad artem exercendam acceſſerit, non tamen effugit cenſuram publicam, ſi aliter, quam regulæ artis volunt, medicatus eſt. Hæc enim eſt illa imperitia, quam leges damnant §. 7. *Inſtit. de Leg. Aquil. l. 7. §. 8. ſi quis male ſecuit, vel perperam medicamentum dedit*, & merito damnatur, qui experimentum in viliore ſibi viſo homine, dubio eventu cepit; ſi quis temerario auſu incerta tentavit, ut, ſi res male cedit, proinde occidiſſe videatur; ſi quis, ſuaſu & vana jactatione novæ artis, ſeſe ægroto obtruſit, meliora illis, qui hactenus medicati ſunt, ſe præſtiturum aſſerens; ſi quis a prudentibus viris artis gnaris monitus, a temeraria medicina haud deſtitit, cum ægrum de vita periclitari intelligeret; ſi quis pharmacis veneni vim habentibus, medicamentis ex plumbo, arſenico, paratis uſus fuit; ſi medicamentum effectus illis ſimiles,

miles, quos venenum producere ſolet, edidit, ut ſanguinem æger vomuerit ac dejecerit; ſique effectus venenoſi ſigna in ventriculo defuncti, per ſuperius adducta, deprehenduntur. Sunt enim ex junioribus, qui prima vice gladium ſtringunt, haud pauci, qui cauſas, uti putant, ſubito educturi de corpore, acribus medicamentis ex metallica re, hydrargyro vel ſtibio paratis, abutuntur. Et quodſi etiam de mala medicatione, uti mortis cauſa, ſermo haud moveatur, poterit tamen haud immerenter medicus argui, ex parvo magnum morbum feciſſe, ſi ex hydrargyri uſu, cum male ceſſit ſalivalis fluxus, fauces eroſæ ſunt, ſi oppreſſa febris hydropem fecit, ſi, cum ſcabiem unguento ſanaret, ægrum, retropulſo malo pure, excœcavit, aut ulcus in pulmones tranſtulit.

§. 2.

Veluti autem in exemplis haud paucis crimina medentium non obſcura ſunt, ita audiendi non ſunt, qui medicis imputant id, quod ex natura morbi ſecutum eſt, quodque caſu, ob intervenientem aliquam cauſam a medico nulla arte impediendam, accidit, vel ex mala ægroti temperie, vel erroribus ejus in diæta commiſſis, fluit. Immortalitatem enim mortalibus dare medici nequeunt. Sapienter admodum CICERO *Orat. pro Aulo Cluente, medicos nihil præter artificium præſtare*, docet. Hoc ita, IMPERATOR *in conſtit. crim. art. 134*, explicat: Der aus Unkunſt aber doch unfürſetzlich tödtet, daß er die Arzeney nicht leicht-

leichtfertiglich und verwegentlich mißbraucht, oder ſich ungegründeter unzuläßlicher Arzeney, die ihm nicht geziemet, hat unterſtanden, und damit einem zum Todt Urſach geben. Et quamvis leges illos quoque damnent, qui ægrotum deſerunt, culpa tamen vacui erunt illi, qui abeunt, quandoquidem plus fidei penes ægrotum in alium, quam in ſe, eſſe intellexerunt, nam ægris, decidente SENECA *Controv. Libr. IV. c. 5. nihil magis prodeſt, quam ab eo curari, a quo volunt*, nec illi peccant, qui a medicamentis abſtinent, quæ ægrotum haud quidquam juvare intellexerunt, & PLINII verbis *L. 11. Ep. 20. miſerum non cruciant, nec invident illi bonam mortem, cui vitam dare non poſſunt.* Calumnia etiam inſignis illa eſt, lucelli cauſa morbos protrahi, non enim ita ordinatum opus medicina eſt, ut intra certum tempus negotium conficere poſſis, videarisque protraxiſſe, quod ſua natura longum eſt; ſi morbis liceret vectes admovere & laqueos, & cuneos, & operarios ad agendum adſtringere, atque diem noctemque labori inſumere, ſi pharmacorum frequentia & iteratus medici introitus ægritudinem conficeret, poſſet forte, qui hæc omnia neglexit, morbum procraſtinaſſe videri, aut veluti SENECA Libr. VI. *de beneficiis c. 36.* habet, *irritaviſſe atque auxiſſe morbos, ut majore gloria ſanaret.* Φύσιες πάντων ἀδίδακτοι, ait HIPPOCRATES: *naturæ ſine magiſtro agunt*: Οἷον δημιουργὸς καὶ τεχνίτης ἡ Φύσις, *Oeconomi aut artificis inſtar natura eſt*, juxta GALENVM, *Meth. med. Libr. 3.*

Τετα-

Τεταγμένόν τι χρῆμα ἡ φύσις, κ᾽ ἀπειδὰν κρατῇ τῆς ὕλης, ἀνολογίαις τισὶν ὡρισμέναις καὶ περιόδοις τεταγμέναις αἱ κινήσεις αὐτῆς γίνονται. GALEN. *de dieb. Crit. Libr. 2. ordinatum natura opus est, & ubi materiam morbi superaverit, æquali aliqua procedendi ratione, definitis stationibus atque ordinatis motus illius fiunt.* Adeoque nec has neque alias querimonias audiunt judices, nec medicum suæ artis peritum in illa errasse vel deliquisse, sed, propter humanitatis labem, saltim defecisse, ac cum VLPIANO *in l. 6. §. 7. ff. de offic. Præsidis, imputari medico eventum mortalitatis haud debere,* arbitrabuntur.

§. 3.

Medicorum peccata terra tegit, sed chirurgorum errores sensibus obvia sunt. *Sexcenta* ait GALENVS *anatom. administr. Libr. 3. 1. errata eveniunt, dum chirurgi ossa excidentes atque abscessus secantes, insignes perforant venas, aut magnas arterias dividunt, aut profluvium sanguinis excitant, quod supprimi nequeat, & quidem etiam venam ferientes, arteriam diviserunt, ignari, quibus artuum venis arteriæ quædam subsint.* Neque sane injuria, haud raro ejusmodi, de chirurgis nostrorum temporum, exaudimus querimonias, quos, si quid agunt in quo errare facile est, sine consilio medicorum nihil agere oporteret. Heroica sane sunt artis, quæ manu medetur, facinora, quæ, etiamsi omni prudentia regantur, ex voto tamen semper haud succedunt. Memores adeo-

adeoque ſint moniti CELSIANI, ſi aliquid, quod temeritatis ſpeciem habet, in ſe ſuſcepturi ſunt: Ita enim CICERO ille medicorum, *de re medica L. 2. c. 10. Si nullum appareat aliud auxilium, periturusque ſit, qui laborat, niſi temeraria quoque via fuerit adjutus, in hoc ſtatu boni medici eſt oſtendere, quam nulla ſpes ſine eo auxilio ſit, fateriſque, quantus in hoc ipſo ſit metus, & dum demum, ſi exigatur, illud adminiſtrandum, de quo dubitare non oportet: Satius enim eſt, anceps remedium experiri, quam nullum.*

§. 4.

Obſtetrices in ſua arte delinquentes culpam commiſiſſe dicuntur, ſi, aquas ſponte fundendas, conciſo chorio, educunt, ſi parturientem deſerunt, accerſitæ haud accedunt, ſi caput infantis, uti a magiſtris edoctæ fuerunt, haud dirigunt cum poſſint, ſi partem aliquam fœtus, quæ partum impeditura eſt, in oſtium uteri adduxerunt, ſi placentam uteri firmiter adhærentem deglubunt, uterique parietem ſic lacerant, vel uteri fundum invertunt, quod BOHNIVS *Renunt. Vuln. lethal. 395.* illis objicit, ſi puerperam negligentius curant, & ſi quid aliud errorum eſt, quos illis ſæpe immerenter imputant, qui querimonias amant & litigia.

CAP.

CAP. III.

De mediis eruendæ veritatis.

§. 1.

Medicorum haud eſt, de juſtitia actus illius corporum afflictivi, quo dolorum impatientia quis ad confitendum adigitur, diſpicere, poſtquam contra mitiorem AVGVSTINI *de civitate Dei Libr. IX. c. 6.* aliorumque ſententiam æquiſſimi ſententiarum arbitri, convictis aut in ſuſpicionem validam adductis, torturam decernunt, ut, ſi illi adeo pervicaci fuerint animo, quo, criminis diffeſſione, ſub atrocibus afflictionibus, vitam conſervare ſecum conſtituant, impunes tamen penitus abire haud poſſint. Quamvis autem, an torquendi in univerſum rei ſint, medicos judex non interrogat, quos, tanquam ſanitatis ac vitæ humanæ cuſtodes, ac in favorem afflictorum ſemper pendentes, negaturos habiturus eſt, cum nulla afflictionum iſtarum, quibus delinquentes ad confeſſionem adiguntur, ſit, quin aliquod ſanitatis periculum ſecum afferat; Aliquando tamen, ſi miſerabilis ille, qui ad equuleum ducitur, metuendumque eſt, ne totum ejus corpus aut partes, quæ torturæ ſubjacent, pernitiem ab inſtrumentis torturæ accipiant, æquiſſimi judices, a Medico, an delinquens ferendis, qui ex hoc vel illo torturæ gradu oriuntur, doloribus par ſit, an illam cala-

mita-

miratem ſuſtinere & ſalvus tortura exire poſſit, reſciſcunt. Eſt enim legi naturæ æquum, *dolorem, non damnum facere diſſitentibus.*

§. 2

Diſpar eſt virium in corporibus quibusvis ratio, & tradita a parentibus tam animi quam corporis virtus, uti ſuperior vel inferior eſt, ita variis variam dolorum ferendorum aptitudinem & in ſuperandis calamitatibus conſtantiam largitur. Quod etiam VLPIANVS novit, unde *in l. i. §. 23. ff. de quæſtionibus* ita habet: *Quæſtioni fidem non ſemper, nec tamen nunquam habendam, conſtitutionibus declaratur; etenim eſt res fragilis & periculoſa & quæ veritatem fallat. Namque plerique patientia ſive duritie ita tormenta contemnunt, ut exprimi illis veritas nullo modo poſſit, alii tanta ſunt impatientia, ut quædam mentiri quam pati tormenta malint; ita fit, ut etiam vario modo fateantur, & non tantum ſe, ſed & alios criminentur.* Verum ad infirmitatem, a textura partium debili, hominis ceteroquin ſani, dependentem, in excuſationibus a tortura conſueta liberantibus haud reſpicitur, ſed morbum eſſe oportet, aut ſtatum ſanitatis aliquem, qui a morbo procul haud abeſt, ut vel tortura omnis vel aliquis ejus articulus averti poſſit. Inconſueta tormenta illa, quæ IACOBVS DORPLERVS, *in Theatro poenarum, ſuppliciorum, & executionum criminalium*, deſcripſit, uti ſupra vires humanas ſunt, & fortiſſimum quemvis in morbi mortisque periculum adducere poſſunt, ita vel penitus exulant, vel

vel examini medici ante, quam applicantur, ſubjacent, ut ille, comparatis inquiſiti viribus corporeis cum inſtrumenti ferocia, ſuam de innocentia ejus, quantum ad vitam & ſanitatem, ſententiam ante exponat; Si aliquando de novis tormentorum generibus inveniendis quæſtio oritur, quandoquidem ſcelerati homines, ſolemnium tormentorum conſcii, animum in tolerantiam cogniti inſtrumenti intentum ſecum ad torturam ſæpe afferunt, ut illos novis eruendæ veritatis mediis ad confeſſionem adigi oportere videatur, non tamen novos illos torquendi modos, ſine judicio medicorum ac ipſarum Facultatum Medicarum, Principes decernunt.

§. 3.

Qui ad torturam accedunt, habent pro ſe aliquam innocentiæ opinionem, cum, ſi convicti forent, tortura haud opus eſſet; Cum adeoque aliquo innocentiæ præjudicio fruantur, oportet illos ejusmodi quæſtionibus exponi, a quibus vel vitæ vel ſanitatis periculum haud imminet; ita ad confeſſionem adſtringendi ſunt, quo illis vitæ ſubſidia quærendi facultas & aptitudo, poſt ſuperatam torturam, ſuperſit.

§. 4.

Pro noſtrorum temporum moribus ad manſuetudinem compoſitis, torturæ gradus in foro uſuales homini ſano tolerabiles ſunt, ſi miniſter juſtitiæ illos ad ſubjecti torquendi corpus ejusque texturam accommodare, uti fas eſt, novit. Tortura eſt vel *terrens*, vel *affligens*: Ea, quam *terri-*

rigitem appellant, alia *verbalis* est, ac in comminatione sola consistit, alia est *realis*, & instrumentorum primi gradus applicationem, sine executione, involvit. Tortura *affligens* tres comprehendit gradus, quorum primus, prælis medium digiti majoris seu pollicis ossium phalangem ac circumjectos illi tendines comprimentibus, hinc funibus duplicatis vel triplicatis circa manus radicem, ubi magnus tendinum confluxus est, fortiter adstrictis, constat: Alter gradus hæc instrumenta comprehendit, atque delinquentem pedicis, quas ocreas hispanicas appellant, simulque armum superiorum violentæ extensioni, quæ fune per trochleam ducto, super scalam fieri solet, subjicit: Tertius gradus, manentibus his cruciatibus, guttas sulphuris ardentes, clavos ligneos tergo nudo subjectos, quos den gespickten Haasen appellant, adjungit. Aliquando funes ex jubis equinis contorti summe asperi cruribus circumjecti ductique fuerunt crudeliter, veluti etiam præla pollici pedum applicabantur pertinaciter meganibus.

§. 4.

Vnusquisque horum cruciatuum, pro partis indole, quam affligit, dolores excitare debet subjecto diffitenti graves & tales, pro quibus mortem ex confessione consequentem præoptaret. Acutissimus sane, qui ex compressa media pollicis phalange consequitur, afflictionis sensus est, subjacent enim cuti tendines extensoris pollicis, qui *bicornis* dicitur, qui tergum hujus digiti; il

qua ventrem ejus, tendines flexorum, tam longi quam brevis, subsunt. Tendines enim minimam quamvis injuriam sibi illatam acriter percipiunt, & ingeniosum satis illius compressionis inventum est, cum dolorem faciat sine periculo, nisi quantum ejus ex osse phalangis mediae collisio subsequi posset, quod metuendum adeo haud est, cum, per gradus, duo plana hujus instrumenti, circumacto vertibulo, comprimantur. Primae phalangi pollicis applicare instrumentum haud licet, neque usus fori hoc secum affert. Praeter enim, quam quod dolor ille convulsos inquisitos adeoque totum actum irritum reddere potest, poterit etiam ita unguem collidere, quo παρωνύχια, ἀπόστημα παρὰ τὴν ῥίζαν τῦ ὄνυχος συνισάμενον, *Paronychia, ulcus sub unguibus consistens*, sequeretur, quod saepe male cedit, atque totius digiti majoris pernitiem post se trahit; Hinc jus tribuendum est illi, qui, nobili hoc organo, sine quo opus facere haud licet, mutilus, ex tortura evadit, veluti constitutio Caroliniana hoc secum affert, *in illo, qui de noxis ex tortura agit, articulo.*

§. 5.

Funes asperi circa flexuram manus applicati, in primo torturae gradu, vel deligantur saltim territionis causa, vel adducuntur atque circa partem rotantur, hinc secatur atque aduritur cutis. Monendi sunt carnifices, ne crudelius agant, & cutem, quam ligant, probe aestiment; quodsi enim illam dissecaverint, denudaverintque tendines il-

liſubjectos, cauſam præbere poſſunt inflammationi atrociſſimæ, atque vel mortiferæ, vel talis, ex qua gangræna, hinc jactura brachii ſubſecutura, vel difficilis certe curatio futura eſt: Deſiſtendum adeoque fuerit, ſi ſanguinem videant ex cute rupta fluere. Eſt aliquis funium iſtorum circumducendi modus, ut uno, altero, aut pluribus circulis illi circa carpum flectantur, ipſæque, quas ita appellant, *fidiculæ*, ad numeros, cum verberibus, adducantur, quibus ſæpe metuendum eſt, ne ulnæ vel radii os, maxime ſi juvenis, cujus oſſa omnia nondum obfirmata ſunt, vel delicatula fuerit mulier, rumpatur: Nimium carnificibus, rudibus ac crudelibus ſua natura hominibus, tribuunt ſententiarum arbitri, quando judicio illorum relinquunt, quousque torturæ gradus intendere velint; Monendi certe a judice ſunt, ut ſeſe ad robur inquiſiti, & ad partium torquendarum firmitudinem componere & ſecuritati earum proſpicere velint. Aliquando, funes ſupra olecranon atque ulnæ flexuram duci, moris erat, ſed averſantur iſtam carnificinam nunc, qui ſententias ferunt; Periculum enim ſubeſt, ne, colliſo articulo iſto, ac tendinibus, qui illum circumſunt, contuſis, effundatur inter oſſa ſanguis, atque ipſe articulus pernitiem abinde accipiat.

§. 6.

Secundi gradus inſtrumenta tibiam affligunt, ſummo ſane cum dolore, utpote cujus perioſteum cuti immediate ſubſternitur. Illud quidem innoxium eſt, hæc oſſa inter duo præla, eminentibus

bus clavis ligneis armata, comprimi, aſt vitioſum eſt, accedere compreſſioni verbera, utpote quibus findi os poſſit: Niſi extenſio ſuper ſcalam jam pœnæ loco eſſet, dura foret & chriſtiano judice indigna: Manus ad tergum ligatæ fune per trochleam ducto verſus ſcapulas inquiſiti adducuntur, atque fieri aliter nequit, quam quo, ubi ad ſummum hujus extenſionis gradum perventum eſt, caput humeri intra ſcapulæ acetabulum ſedens extorqueatur, ipſaque ſpina dorſi, vertebrarum ligamentis aliquantulum diductis, vim patiatur, quæ ad medullam quoque ſpinalem deſcendit, ut periculum ſit, apoplexia abripi, qui ita ducitur, quare etiam fit, quo in ſtuporem delabantur, qui hoc torturæ genus ſuſtinent, vixque fœtore plumarum aduſtarum excitari poſſint. Funes ex juba equina contorti femoribus circumducendi, ob metuendum venarum, quæ cuti immediate ſubjacent, vulnus, nunc merito exulant, uti & præla digitis pedum majoribus applicari quondam ſolita. Satis afflictus eſt, qui priora omnia patienter tulit, ſive innocentiæ conſcientia, ſive animi pervicacia, cujus pœnam abundanter nunc luit, ut haud opus ſit illis, quæ *Excellentiſſimus* D. WILHELMVS ZACHARIAS CRAMERVS, *de tortura ejusque uſu & effectibus diſſertatione, Lipſ. 1742.* excitat, crudelibus ſane & obſoletis delinquentem excruciandi modis: Stachlichte Seſſel, ſtachlichte Wiegen, ſtachlichte Schuhe, ſtachlichte Banden, brennende Eiſen, brennende Pulver, brennende Eyer, Däniſche Mäntel, Spaniſche

Kappen, Engliſche Jungfern, Braunſchweigiſche Jungfern, & id genus aliis.

§. 7.

Etiamſi autem ſatis ſuperque cauſæ adſit, propter quam unus alterque gradus torturæ decernendus fuerit, audiendam tamen inquiſitorum excuſationem, propter quam ad rigoroſius examen duci nequeant, eſſe, jura volunt. Eſt adeoque aliquis delinquentium ſtatus, qui omnem torturam reſpuit, atque etiam mitiſſimam, quæ territione peragitur: Stupidos, attonitos, amentes ad equuleum duci, irritum foret negotium, reſponderent enim ſine mente, veluti ſine mente deliquerunt. Proinde, per ſigna ex corporeo eorum ſtatu deſumpta, per criminis ipſius perpetrati formam, ex vitæ ante actæ rationibus, ex factis variis ſtolidis ante commiſſum crimen perpetratis, ex rerum intra carcerem geſtarum ineptitudine, ex reſponſionum ad mitius examen editarum malo nexu, & vaga ad quæſtiones propoſitas declaratione, interveniente & ſecundum artis ſuæ regulas judicante medico, an aptus ſubeundæ torturæ delinquens ſit, diſpicitur. Mutum ad torturam adigi, niſi per ſigna loqui didicerit, quam artem ſurdos loquelam docendi, eruditus Batavus D. IO. CONRAD. AMMANNVS, in ſuo, qui *Surdus loquens* inſcribitur, libello ingenioſe docuit, inutile eſt. Nec infantes aut impuberes ad equuleum ducuntur, eſtque illis mira animi atque corporis infirmitas, qua adducti, metus eſt, ne deliquiſſe fatean-

fateantur vel comminatione, vel doloribus, quod neutiquam perpetraverunt; Puberibus, uti praecocioris forte incrementi sunt, habentque robustos articulos, digiti majores comprimi forte possent, sed levius, quam illis, qui incrementum absolverunt, atque anno XXI. majores sunt; Deest enim, ante illud tempus, aliquid in ossibus, quod perficiendum porro est, ut ossa indurentur penitus; posset adeoque *minor* ex prælo fortius adducto noxam pati indelebilem. Si medicos audire velint judices, juveni funes ad manum ligari haud jubebunt, ossium enim tam ulnæ quam radii capita, quæ juncta capsam articularem formant, cui manus insidet, fune fortius adducto, vitiari possunt; multo minus illi extensionem super scala ferunt, cum ista ætas etiam humeri in scapulæ acetabulo sedentis caput satis obfirmatum haud habeat, atque vertebræ dorsi laxiores distendi sine vitæ periculo haud possint. Torturam respuit graviditas, nec terreri quidem gravida, aut sententia torturæ coram illa pronuntiari, ob admirabiles effectus, quos *terror in fœtum* edit, potest. His adeoque eousque, donec pepererint, omnique lacte vacuas mammas habeant, id quod ad septimanarum certum aliquem numerum adstrictum haud est, sed a medici judicio dependet, parcendum esse, leges statuunt; Quibus autem signis graviditas cognosci possit, alibi a me fuit propositum. Similiter, quamdiu menses mulieri fluunt, nec terreri, nec ad aliquem torturæ gradum

dum adſtringi illa poteſt, cum terriculamenta quæ vis menſes opprimant, quos, ſi coagulum aut thrombus ſanguinis intra vaſa uteri obortus eſt, ad legem ordinatæ fluxionis reducere, difficile eſt, poſſuntque exinde morbi oriri varii, qui defectionem catameniorum pro cauſa agnoſcunt, *cachexia*, *ſanguinis per incompetentes locas fluxio*, *ipſaque epilepſia*. Cæteroquin ſexus muliebris in ferendis doloribus pertinacisſimus eſt. Mulierum major eſt in perferendis tormentis conſtantia, maxime illarum, quæ durum partum expertæ ſunt. Ita refert PLVTARCHVS *de virtutibus mulierum* Libro, de Aretophila quadam, Φίλτρων ἕνεκα, *quod amatorium poculum dediſſet*, torturæ ſubjecta, διεφύλαττεν ἑαυτὴν ἀήττητον ἐν ταῖς ἀνάγκαις, *invictam ſeſe præſtitit inter tormenta*. Verum cum teneris oſſibus, adeoque facile frangendis, ille ſexus ſit præditus, ſi juvencula eſt, ſi tenera, ſi molli carne eſt & pinguiuſcula, ſi duro vitæ genere uſa haud fuit, mitius in illam animadvertendum eſt, nec inconſultum foret, uniuscujusque delinquentis imaginem in actis ſiſtere, ejusque robur corporis, animique vi, ac muſculorum vel artuum texturam deſcribere, quo de modis torturæ, non tantum ex cauſæ meritis, ſed etiam ex delinquentis torturam paſſus potentia, cognoſcere ſententiantes poſſent: Deinde excuſandi ab omni tortura atque ab ipſa territione videntur eſſe, qui morbis detinentur, quibuscumque demum, ſi veros illos eſſe, nec ſimulatos, per ſigna, interveniente medici judicio, cognoſci-

gnoſcitur, illis ſcilicet, qui a tortura augmentum accipere poſſent, ne, ubi innocentiam ſuam ſub cruciatibus evicit, atque innocens viſus abivit delinquens, ſanitatis ſuæ diſpendio ſuæ innocentiæ teſtimonium exhibuiſſe dicatur; Torturam adeoque nec adire, nec terreri quidem poterunt, febribus detenti, etiam mitioribus aut intermittentibus, quas terror exacerbare poterit; Ictericum excuſabit metuendum ab animi motibus bilis incendium; nemo debilem ex fluxu aliquo ſanguineo, aut, durante aliqua perpetua vel parum remittente fluxione ſanguinis, ſive de ventre, ſive ex thorace facta, infirmum doloribus ſubjiciet, ad quos ferendos integro opus eſt animo. Tenuem ex ulcere pulmonum hominem, aut alia aliqua macie confectum torqueri, religio eſt, & unusquisque morbus, ſi teſtem medicum habet, quamdiu durat, imo ex quo deſiit, eousque, donec vires ad tolerandos ſine noxa dolores neceſſariæ revertantur, excuſat. Sunt, quæ per periodos, pactis per intervalla induciis, invadunt, ægritudines; Ex omnibus epilepſia frequentius occurrit, cujus prætextu vafri homines judicem eludere intendunt, quando ſe huic morbo obnoxios fingunt, hinc, ſe adſpectum equulei, nedum ejus in ſe executionem, ſine mali reverſione, ferre poſſe, negant; & verendum omnino eſt, ne morbus ille, ſi verus eſt, uti nervoſo maxime generi inſidet, terrore commotos ſub ipſis tormentis invadat, actumque reddat irritum,

ritum, cum, quæ natura epilepſiæ eſt, ſenſuum uſu priventur, qui illo detinentur. *Ideo*, ait TRALLIANVS L. I. c. 15. *ἀπὸ τῦ ἐπίλαμβάνεσθαι, epilepſia dicitur, quod ſenſus capiat, οὐδὲ γὰρ ἀκοῦσαι ἢ ὁρᾶν, ἢ νοεῖν ὅλως ἢ μεμνῆσθαί τινες δύνανται, ἀλλὰ πάσης αἰσθήσεως ἔρημοι κεῖνται καὶ νεκρῶν οὐδὲν ἀπέχοντες διὸ τῦτο καὶ ἐπιλῆψίαν τὸ πάθος ἐκάλεσαν, διὰ τὸ ἐπιλαμβάνειν καὶ κρατεῖσθαι αὐτῶν τὰς αἰσθήσεις. Non enim audire, vel videre, vel intelligere quidquam in univerſum poſſunt, ſed omni ſenſu privati decumbunt, & a mortuis nihil quidquam differunt, propterea etiam epilepſiam morbum appellaverunt, ab apprehendendo & eo, quod omnes ſenſus opprimat.* Neutiquam autem excuſat epilepſia, quæ aliquando, tanquam conſuetum morbi cujusdam ſymptoma, adfuit, vel occaſionalem cauſam habuit, ab eo autem tempore haud eſt reverſa; ſed frequentem, habitualem, ac periodicam eſſe oportet, ac teſtibus fide dignis comprobatam; quæ inquiſitum a tortura excuſatura eſt.

§. 9.

Sunt autem haud pauci, qui, mira calliditate, morbos ſimulant, ut quæſtionem rigoroſiorem, & dependens abinde mortis aliudve gravius ſupplicium, evitare poſſint. Epilepticos motus imitari, ſunt, qui didicerunt; ore ſpumant, ſanguinem gingivis proliciunt, ut cruento ſputo detenti eſſe videantur; Poſſentne ſeſe in omnem eventum, pharmacis muniviſſe, quibus morbi ſpeciem in ſe excitarent? Cantharidum particula ſumpta, mictum

mictum ſibi cruentum excitabunt, uti eſt apud FRITSCHIVM, *Act. Forenſ. Tom. II. p. 696*; accepto opio, cum comparendum in examine eſt, videbuntur oblivioſi, vertiginoſi, amentes, & omnia ſtuporis ſigna habebunt. Longa inedia, quam, majoris mali metu, ſatis pertinaciter ſæpe ſervant, emaciati, miſericordiam judicis mereri intendent; ulcera ſibi ad manuum innecturus & pollices, ne torturæ locus ſit, excitabunt, & ſi quid aliud morborum ſimulatorum eſt, quos FRITSCHIVS adducto loco, & ALBERTI Iurispr. Med. Tom. I. p. 200. excitant, atque modos impoſturam deprehendendi tradunt.

§. 10.

Verus autem morbus, qui tortura exaſperari poteſt, excuſat, mox ab omnibus ejus, uti dictum eſt, gradibus, mox a quibusdam. Quod epilepſiam attinet; etiamſi illa inquiſitum, teſtibus carceris ſociis, aliquoties invaſit, etiamſi præfectus carceris, excubiis hunc in finem poſitis, ut ſub ipſa invaſione ægrotum inviſere poſſit, teſtimonium veræ epilepſiæ edat, quoniam, excitari admoris naſo acribus odoribus æger haud potuit, quoniam faciem habuit lividam, labia pallida, ungues livore ſuffuſos, quod nemini integrum eſt, ut ſibi tribuat; poſſet tamen judex, cum epilepſia omnium temporum morbus haud ſit, tentamen inſtituere, præſente medico, an exerceri actus rigoroſioris quæſtionis, & quousque, poſſit; Sed ceſſat ille ſubito ac, vel Epilepſiæ vel Lipothymiæ ſigna indubitata, ex variante vel deficiente

ente pulſu cognoſcenda, ſeſe manifeſtant. Adeoque Epilepſia aut metuenda animi defectio a tortura non liberat penitus; Aſt repeti illa, ſi experimentum ſemel male ceſſit, poſtea nequit, ne contra judicem animadvertendum ſit, ſi innocens viſus, ſub tormentis magnam noxam tuliſſet. Poſſent fortaſſe debiles ex morbo territionem ferre, ſed realis tormenti nec minimo quidem gradu affligi poſſint, cumque ſenes decrepiti, ex legum arbitrio, veluti etiam infantes, æquiparentur ſtupidis, ideoque, ſi cui ſeni mens hebeſcit, propter eandem impotentiam, qua forte deliquit, etiam a tortura eximendus eſt: Aſt illi, cui mens conſtat, etiamſi debilis eſt, ex rationibus artis medicæ, tortura, quæ in territione conſiſtit, decerni, ſalva ejus ſanitate vel vita, poteſt. Sunt præterea aliæ ægritudines, quæ quasdam tormentorum ſpecies eludunt. Si præla ferre nequit ad digitum majorem applicanda, qui *reduvia*, aut *paronychiis*, aut *panæritio*, quod profundum ulcus oſſa digitorum devorans eſt, affligitur, forte nihil impedit, medium aut alium aliquem digitum extorquendæ veritatis cauſa, comprimere, ſi pollex ægrotat? ſed nequit; nam exaſperabitur morbus, etiamſi ſanus digitus compreſſus fuit, ſi ulcus alibi eſt, quod manum infirmat, vel ſaltim aliquando fuit. Sufficiet autem tunc ſanæ manus pollicem inter ferramenta poſuiſſe, cum plus doloris haud habeat, qui duobus, quam qui uno digito, excruciatur; Ea enim eſt dolorum indoles, ut, qui plures, eo-

dem

dem tempore, ferunt, ad ſingulos haud attendant. Ex eadem ratione funibus ſtrangulari manus haud poterit illius, qui ulcus, vel cicatricem, vel luxationis aut fracturæ veſtigium hac parte gerit. Quibus pedes ſunt oedemate inflati, pedicas deprecabuntur: Obeſus, aſthmate oppreſſus, hernia quacumvis laborans, thorace male conformatus, gibberoſus, ſuper ſcalam extendi haud poterit. Nec patietur ſibi hac ratione corpus extendi, qui ulcus pulmone gerit, aut ſanguinem ſpuit, aut anevriſma, quod *in tumorem expanſa eſt arteria*, in brachio habet. Minime autem a tortura eximit arthritis, niſi cum febre ſit, quam, pulſus auctus, aut calor naturali major, ac reliqua ſigna, oſtendunt, niſi etiam nodi ad articulos, ubi torquendus æger eſt, veluti ſit in chiragra ac podagra nodoſa atque inflammata, miſericordiam poſtulent ac morbi veritatem declarent. Aſt, *arthritis periodica*, quam reverſuram delinquens, ob dolores tormenti, metuit, tantum abeſt ut excuſet, ut potius, obſervante GVILIELMO FABRICIO HILDANO, juxta legem HIPPOCRATIS, Aph. II. 46. Δύο πόνων ἅμα γινομένων μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον, *duobus doloribus non in eodem loco obortis, vehementior alterum obſcurabit*, plurimos ex tortura ab arthriticis doloribus & podagra liberatos fuiſſe, conſtet: Neque, qui hernioſus eſt, aut aſthmate quocunque oppreſſus, aut obeſus, evitabit forficulas aut fidiculas, cum dolor ex his ortus nec abdomen nec pectus affligat, ad patien-

tiam

tiam autem adſtringi atque a clamoribus detineri moroſi delinquentes, illo, quod ori injicitur & *pyrum* dicitur, ferreo inſtrumento poſſint. Alios morbos nunc non nomino, quos, ſi, excuſationis cauſa, adducti fuerunt, cognoſcere, an a torturæ variis gradibus exaſperari poſſint, medentes facile poterunt.

§. 11.

Inter ipſam, licet juſtiſſimam in facinoroſos homines animadverſionem, ſibi cum homine rem eſſe, qui nec ferrum, nec marmor ſit, judices reminiſcantur. Cum enim ſententiæ quæſtionem rigoroſam decernentis exequtionem ſuo arbitrio relictam habeant, ad vires delinquentis rigorem tormenti attemperabunt: Vbi ſe confeſſurum delinquens pollicetur, laxanda ferramenta ſunt, ut libera ſit confeſſio. *More majorum*, ait CICERO, *de ſervo ne tormentis quidem quæri licet.* Rei laxato equuleo quærebantur, uti eſt apud VALER. MAXIMVM, *de Patientia, Libr. 3. c. 3.* Vltra horam, leges, torturam durare, nolunt. Repetenda ſubito tortura haud eſt, nec ad equuleum delinquens redit, niſi poſtquam dolor deferbuit, & partes vexatæ ſanatæ fuerunt, de quo argumento Excellentiſſimi D. IOANNIS FLORENTIS RIVINI *Iuriſconſulti ſummi: an & quatenus mortis reus tormentis denuo ſubjiciendus ſit, Diſſertatio, Lipſiæ 1737. habita*, legi meretur. In omnibus valet regula: Modos eruendæ veritatis ipſa pœna afflicti-

va,

va, quæ confessionem sequitur, graviores esse haud oportere. Hinc, ubi quis vel sub tortura, vel post eandem extinctus est, ut læsionis cujusdam effectus mors esse intelligatur, sectio legalis locum obtinet; quo læsionis istius modus, & mortis hinc consecutæ necessitas intelligatur.

CAP. IV.

De pœnis afflictivis corporum.

§. 1.

Pœnas afflictivas corporum ita decernunt juris arbitri, ut judici relictum sit, providere, ne illarum executio plus doloris ac miseriarum, quam leges volunt, afferat. Conveniente tempore, quo constante animo calamitatem ferre possit, ad executionem delinquens deducatur. Præsente sit animo, qui pœnam subiturus est. Sive ergo capitalis pœna sit, sive alia afflictiva, quæ vitam superesse sinit, utroque modo æquitatem servari oportet in omnibus. Innocenti alicui supplicium alterius grave esse haud debet, proinde in gravidas nec capitalis nec alia quæcumvis pœna exercetur; nec tantum legum romanarum conditores *Leg. 18. ff. de statu hominis*, hoc ita volunt, sed etiam leges his antiquiores, atque ipsa humanitas ita statuunt. Sic de Aegyptiis, DIODORVS SICVLVS, *Libr. 1.* refert; τῶν γυναικῶν τῶν καταδικασθεισῶν θανάτῳ τὰς ἐγκύους μὴ θανατ-

τεσθαι

τῦθαι πρὶν ἂν τέκωσι: *Ex morte damnatis feminis illas, qui eſſent graviдæ, interfectas, anteaquam parerent, haud fuiſſe*, quod ſimiliter extat apud PLVTARCHVM, *in libello, de his, qui ſero a numine puniuntur*, ὁδ' ἐν αἰγύπτῳ νόμος κελεύει τὴν ἔγκυον, ἂν ἁλῷ θανάτῳ, μέχρι τέκῃ, φυλάττειν. *Lex Aegyptiorum, gravidam, ſi mortis rea eſt, donec pepererit, cuſtodiri jubet.* Similiter AELIANVS *Variar. Hiſtor.* de ſenatus conſulto Athenienſium ita refert, ἡ ἐξ ἀρείᾳ πάγῳ βουλὴ ἐπεί τινα φαρμακίδα συνέλαβεν καὶ ἔμελλον θανατώσειν, ὃ πρῶτον αὐτὴν ἀπέκτεινεν, πρὶν ἢ ἀποκύησεν. *Ariopagi ſententia, cum aliquam veneficam concluſiſſet atque vellet interficere, non ante interfecit, quam peperiſſet.* Rationem addit DIODORVS l. c. Ἡγούμενοι παντελῶς ἄδικον εἶναι τὸ μηδὲν ἀδικῆσαν τῷ ἀδικήσαντι τῆς αὐτῆς μετέχειν τιμωρίας, καὶ παρανομήματος ἑνὸς γινομένου παρὰ δυοῖν λαμβάνειν τὸ πρόστιμον, πρός τε τούτοις κατὰ προαίρεσιν πονηρὰν ἐκτελεσθέντος τοῦ ἀδικήματος τὸ μηδεμίαν πως σύνεσιν ἔχον ὑπὸ τὴν ὁμοίαν ἄγειν κόλασιν, τὸ δὲ πάντων μέγιστον, ὅτι τοῦς κυήσαις ἰδίας τῆς αἰτίας ἐπενηνεγμένης, ἀδαμῶς προσήκει τὸ κοινὸν πατρὸς καὶ μητρὸς τέκνον ἀναιρεῖσθαι. *Arbitrati, omnino injuſtum eſſe, illud, quod nihil commiſit, ejusdem cum illa, quæ deliquit, pœnæ ſocium eſſe, & peccato per unum commiſſo, a duobus exigere ſupplicium, & ſuper his, ubi per malam voluntatem injuria facta eſt, illud, quod nullam rei conſcientiam habet, ad eandem duce-*

ducere punitionem, & , quod omnium maximum, quoniam gravidis, propriam culpam ferentibus, non convenit, communem patris & matris prolem exanedio tollere. Videant adeoque judices, ne in executione ſuppliciorum præcociores ſint, illisque accidat, quod PAVLVS AMMANNVS *Irenico Numæ Pompilii cum Hippocrate p. 108.* refert, fœminam gravidam, ex incauta obſtetricum & chirurgorum relatione, Pariſiis ſuſpendio fuiſſe extinctam. Sic quoque, quæ fuſtiganda eſt, gravida, ad partus usque terminum atque ultra, donec ablactaverit, in carcere detinetur, infante intra orphanotrophæum enutrito, quod ille, ex rationibus adductis, miſeriarum matris, tanquam criminis pœnæ, particeps reddi nequit. Nec gravidis promulgari quidem ſententia mortis, ſine abortionis metu, poterit.

§. 2.

Supplicium delinquenti irrogandum aliquando, propter rationes ad ſanctius forum pertinentes, differtur, veluti ſub Fratris & Collegæ Venerabilis D. IO. CHR. HEBENSTREIT Theologiæ P. P. in hac Academia meritiſſimi præſidio, diſſert. habita *de differendo impoenitentis delinquentis ſupplicio*, GE. CHR. PLAZIVS, nunc *Conſiliarius regius & ædilis hujus urbis graviſſimus*, *L. 1723* commonſtravit. Aliquando rationes medicæ differri ſupplicium volunt, ſi delinquens ægrotat; licet enim ſint, qui propterea, quod æger delinquens eſt, haud differendam, quin accelerandam ſententiæ

executionem esse, putent, attamen, cum corporis & animi, illi, qui ad supplicium ducitur, debeat quædam adesse constantia, inducias paciſci æquum est illi, qui, morbo oppressus, graviorem mortis, ob infirmitatem & dolores, sensionem habiturus est. Præterea ad supplicium ducendi, si ægrotant, carcere mitiore detinendi eademque ratione curandi sunt, ac si vitæ spem haberent certissimam, ne incruenta siccaque morte pereat, qui cruentam meruit. Culeo insutas & aqua demersas, atque illos, qui ad funem damnati fuerant, post suspendium ad se rediisse, historiæ referunt, quos nove tradere supplicio, cum mortis angores jam experti sint, quantum ad rationes medicas, impium est, neque enim ille, qui venæ sectione aliove modo revocatus vitam accepit, deque novo vivere nunc instituit, judicis est, sed medici, a quo servatus fuit.

§. 3.

Pœnæ, quæ vitam supersesse sinunt, *aut* lentæ mortis speciem habent, uti ad carceres perpetuos, vel ad ædificia publica in perpetuum condemnatio, *aut* spem libertatis consequendæ involvunt, si ad tempus carcer ac labor publicus decretus est: Illas, quæ pares cum morte rationes habere debent, pœnas, rudes & ærumnosas esse nihil impedit, hæ autem, quæ ad corrigendos mores, cum spe ad rempublicam revertendi, irrogantur, destruendi corpora efficaciam habere haud debent; Si enim inter carceris squalores, alimoniæ defectum ac labores intolerabiles succumbit,

qui

qui ad tempus damnatus eſt, cadit ſententiæ finis, atque ille ineptus ad officia ſibi aliisque præſtanda revertitur, cui ſatius fuiſſet ultimum ſubire ſupplicium, quam vitam ducere languidam, atque ſic plus tulit condemnatus, quam ſententia illi decreverat; Sic etiam qui in exilium mittuntur, ægroti, mutili, ad opus aliquod faciendum inepti, cum plus ipſa morte ferant, ultra delicti rationes puniti eſſe videntur; hinc etiam, qui fuſtigandi ſunt, an doloribus ferendis pares ſint, examinantur, decernuntque ſententiarum arbitri, ante a medico inſpiciendum eſſe, qui pœnam daturus eſt; Si enim cutem dorſi haberet ſerpiginoſam, ex virgarum cæſione plus mali perſentiſceret, quam meruiſſe viſus eſt ſententionantibus.

§. 4.

Niſi pœnæ loco carcer eſt, ſi carcer inquiſiti tantum eſt domicilium, conditiones cum vita & ſanitate inculpati ſtare valentes habere debet: Mortis particula diuturna ac ſqualida intra carcerem eſt detentio; propterea, uti delinquens in illo diutius, ob nullam, quæ ex cauſa ipſa eſt, moram hæſit, ita pœna etiam ordinaria miteſcit. Nam, qui diu interfuerunt miſeriis, quas captivitas ſecum affert, jam dudum, quæ pœnæ natura eſt, ſenſum mali perceperunt, proque oblectatione ex delicto percepta, calamitatem perceperunt uberrimam, atque ipſæ leges, ſuper cuſtodia reorum ſatis ſuperque proviserunt, ne, qui convictus damnatusve haud eſt, ſupplicium, quod

jam in ſqualore carceris eſt, de novo ferat. Miſerrima eſt iſtorum hominum ſors: duro victu nutriuntur, aëre puriore, præſtantiſſimo vitæ pabulo, ad omnes, etiam miſerrimos, pertinente, utpote quod divinum donum eſt, a judice ne damnatis quidem eripiendum, privantur, ſaxorum aut oſtrearum inſtar eidem loco inhærent, calamitatibus, quas tempeſtas anni ſecum affert, ultra, quam humana natura ferre poteſt, aliisque miſeriis a ſorditie provenientibus, infeſtantur. Has carceris injurias nemo eſt qui criminabitur, ſi torturæ loco ſunt, atque ad extorquendam reo omnia tormenta ſusque deque habenti veritatem, ſtudioſe adhibentur. Aſt ſuæ innocentiæ aliquod argumentum habentibus, nec dum convictis, vitæ commoditates denegandæ haud ſunt, ne, ubi eluctati ſunt ſuamque cauſam feliciter egerunt, miſeri ſint, elumbes, ſuæque ſanitatis ſæpe vitæ diſpendio, veluti quædam juſtitiæ victima, pro veritate militaſſe videantur.

CAP. V.

De excuſationum momentis medicis.

§. 1.

Quamvis judicis atque dicaſteriorum, quæ ſuper factis cognoſcunt, officium ſit, circumſpicere, ac ſedulo curare, ne vel innocentes homines in criminis commiſſi ſuſpicionem adducan-

cantur, vel, ſi tamen deliquerunt, dolo atque deſtinato animo feciſſe dicantur, quod vel caſu fortuito, vel culpa, ſine mente in facinus intenta, commiſſum eſt; Attamen, cum inculpatorum innocentia ſæpe ſub velo peſſimæ cujusdam externæ ſpeciei, facinoroſum hominem ſiſtentis, abſcondita deliteſcat; cum etiam circumſtantiæ variæ, quæ hiſtoriam facti attinent, & juxta quas ſententiæ concipiuntur, fallaci aliqua veriſimilitudine, contra delinquentem militent, poſſitque propterea ſeverior ſententia, vel per quæſtionis rigoroſioris, vel per ſupplicii aut pœnæ cujusdam afflictivæ acerbioris decretum aliquod, concipi; Ideoque opus omnino eſt, atque tam leges publicæ id fieri oportere jubent, quam jus naturæ poſtulat, conſtitui defenſores, oratores ſeu cauſarum patronos, illis, quos accuſatio premit; neque tantum illis, quorum bona cauſa ex argumentorum favore eluceſcit, ſed etiam illis, quorum crimen luculentum eſt, imo & confeſſis & nolentibus tribuendus eſt, qui, niſi penitus excuſare reum, judicem tamen in mitiorem pœnam flectere poſſit, orator. Defenſio quævis naturam moderaminis inculpatæ tutelæ habet, ut, veluti nemo eſt, etiamſi ſe oppreſſum ſentiat, quin effugium mortis aut vi, aut dolo, aut precibus quærat; ita licitum quoque atque juſtum ſit, etiam deſperatæ cauſæ patrocinium quæri, dummodo, qui hanc cauſam in ſe agendam ſuſcipiunt, ſe viros gerant, nec anicularum ritu honeſtos viros, quos diſſentientes habent, convi-

tiis proſcindant, quorum corruptos mores omnes taxant, qui artificium defenſionum innocentiæ cauſa conſcribendarum docuerunt, Excellentiſſimi Viri, qui Lipſiam ornant, IOANNES HENRICVS ROTHER der peinlichen Proceſſe rechtsgelehrte Kunſt, Leipzig 1748. 4. Cap. 9. von des Delinquenten Defenſion. D. IO. FRIDER. FALCKNERVS in ſcripto, *Meditationes ad defenſionem forenſem*, Lipſiæ 1738. 4. p. 54. D. FRIDERICVS LEBRECHT STOLZE *de eo, quod juſtum eſt in defenſione inquiſiti, Lipſ. 1743.* & ALBERTI, *Iurispr. Med. Tom. I. c. 18.* qui illicitas ejusmodi cavillationes ac criminationes, *iniqua Advocatorum ſtratagemata in caſibus medicis legalibus*, appellat: Longe honeſtius atque gravibus viris dignius eſt, cauſam, ſine rixis & criminationibus dicere, defectus actorum in uſum delinquentis convertere, nec acriter, quod ad rem nihil attinet, perſtringere.

§. 2.

Defenſiones, argumentis ad rem medicam pertinentibus ſuperſtructæ, aut ſuſpicionem facti infringunt, atque *pro avertenda inquiſitione*, cum illa famæ atque exiſtimationi hominum haud parum detrahat, concipiuntur, aut quæſtionem rigoroſiorem deprecantur, atque pro avertenda tortura conſcribuntur, aut pro pœna mitiganda, vel pro carcere mitiore obtinendo, veluti BOHNIVS *officio medici forenſis p. 604.* docet, elaborantur. In hiſce omnibus non levi *doctrinæ de homine* ſcientia opus eſt; Ergo, ne alienis aliquando plumis ſeſe ornent, atque telis ab aliquo artis gnaro

gnaro acceptis militent cauſarum patroni, in Academiis illam diſcant, ut aliquando in cauſa ſanguinis agenda utiliter verſari poſſint, aut, ubi ſe in magnis dubitationibus verſari intelligunt, doceri ſe a medicis atque Facultatibus medicis patiantur, quorum judiciis, ex uſu in foris recepto, ſuam ſcriptionem ſuperſtruere poterunt quam efficaciſſime; Neque vero illi victas manus ſtatim porrigunt, ſi prima ſcriptione judicem flectere haud potuerunt, ſed, ubi nova ad evincendam clientis innocentiam argumenta invenerint, vel dubiis a ſe motis ſatis haud factum eſſe intelligant, nova oratione perpoliant, quod in priore ſatis expoſitum forte haud fuit; medicos, quorum relationi ſententia ſeverior ſuperſtructa eſt, vel ſuperſtrui poſſit, modeſte moneant, atque uberiorem obſcuræ rei expoſitionem poſtulent. Neque vero illis ſuo abundare ingenio, aut circumſtantias facti, defendendo faventes fingere integrum eſt, ſed momentis in hiſtoria facti fundatis excuſationem ſuperſtruant.

§. 3.

Suſpicio facti removetur, atque univerſæ inquiſitionis Proceſſus ſic cohibetur, ſi vel feciſſe haud dicatur, qui accuſatus eſt, vel ſi fecit, ſine mente feciſſe perhibeatur. Feciſſe haud dicitur, qui fallaci aliquo argumento pro autore criminis habitus fuit; veluti, ubi plures in actu aliquo mortifero concurrunt, ex forma vulneris vel inſtrumenti, eum, qui pro occiſore habetur, noxam lethalem haud intuliſſe, evincitur, vel, ubi,

quæ partus celebrati ſigna in corpore oſtendit, lac in mammis, rugas ventris, laxumque uteri oſtium habet, ita defenditur, ut hæc ſigna plus ex morbo quam ex partu eſſe, comprobetur, vel, ſi, quæ ex veneno eveniſſe dicitur, mors, ex intemperante defuncti victitandi modo, aut a cauſis internis vim veneni habentibus conſecuta eſſe, vel, ſi perhibetur mortem naturalem hanc eſſe, quæ nunc in quæſtionem venit, atque eam cum tempore acceptæ læſionis coincidiſſe, ſtatuitur, ſique ex læſione, tanquam cauſa ſua proxima illam haud fluxiſſe, ſed interveniente alia cauſa per accidens tantum eveniſſe, cauſæ patronus probare inſtituit.

§. 4.

Etiamſi autem delinquens commiſit facinus, cujus arguitur, in eo tamen defenſor eſt, ut ex ignorantia, ſine voluntate in factum directa, peccatum fuiſſe, commonſtret: Sic ſine voluntate dejecit fœtum mulier, ſi dormiens atque infaturante medicamento ante conſopita, compreſſa fuit, ideoque ſuæ graviditatis haud fuit conſcia; nec interfecit noctambulo ſciens ac volens, ſi morbus ejus, ante actum, teſtibus fide dignis, conſtat: Multo minus de homicidio doloſo ſuſpectus eſt, qui amens, cum ſuæ veſaniæ documenta extra hunc actum edidiſſet, interfecit; Etiamſi enim artibus uſus eſt, inſidias ſtruxit, inſtrumentum ſelegit commodum, ſtudioſe tamen feciſſe propterea haud dicitur, ſi lucidi intervalli tempore, intra quod deli-

delirantes ſapientiæ ſpeciem habent, crimen commiſſum eſt, mens tamen nihilominus defecit; ſiquidem ob characterem amentiæ chronicæ indelebilem, omnibus actionibus etiam deliberatis viſis inhærentem, ex voluntate libera aliquid perfeciſſe, talis haud videbitur. Ex eadem voluntatis inconſtantia, illum, qui ebrius deliquit, excuſabit defenſor, quem etiam CARPZOVIVS *Quæſt. Crim. 146. n. 32.* atque ipſa antiquitas, & facundus cauſarum Orator CICERO *de divinat. dum ebriis & inſanis multa falſa videri, ſtatuit*, excuſatum volunt, eo magis, ſi potus fuit infatuans.

§. 5.

Qui facinus perpetraſſe dicuntur, per facti certitudinem ſeu corpus delicti, viſum atque legaliter examinatum, convincendi ſunt. Tentabit adeoque defenſor criminis commiſſi ſigna in dubium revocare; Peſſima enim ſæpe cauſa, caſu aliquo, patrocinium invenit, ſi cadaver putridum eſt, ſi oſcitantius egerunt, qui noxam illatam deſcribere curioſius debebant; hinc liber exit delinquens, ob defectum argumenti ſufficientis, cui ſententia mortis ſuperſtrui poſſit: Inveniet fortaſſe defenſor Relationis medici atque Regiſtraturæ diſcordiam in eſſentialibus circumſtantiis, ad corpus delicti pertinentibus; Inveniet ἀντιβατικὰ contradictoria, ἀλλοτριώμενα, ſuperflua omiſſis neceſſariis; reperiet ἐλλειπτικὰ, defectuoſa, deprehendet ἀσύνετα ſine ſenſu ac obſcure pronuntiata, deteget ψευδόμενα,

manifeſte falſa, quæque cum natura rei ſtare non poſſint, atque ex his omnibus pro vita delinquentis, quod laudabile atque officioſum eſt, tutelarem ſcriptionem elaborabit.

§. 6.

Si ſuſpicionem delere omnino defenſor nequit, & quæſtio rigoroſior clienti imminet, infirmitatem ejus, qui torturam ſubiturus eſt, obeſſe dicet, quominus ad equuleum duci poſſit. Hinc ſqualorem carceris, a quo morbus tam animi quam corporis contractus ſit, allegabit, atque ipſius pœnæ ordinariæ, ob iſtas, quas cliens diuturna captivitate paſſus eſt, calamitates, diminutionem poſtulabit. Aſt ſpontaneam confeſſionem tædio vitæ editam cum circumſtantiis facti haud convenire, docebit, eamque, veluti ab homine ſui ipſius vitæ pertæſo factam, ſuſpectam reddere conabitur. Denique ad miſericordiam, quod pœnas afflictivas corporis attinet, permovebit judicem, ſi, qui fuſtigandus vel virgis cædendus eſt, epilepſia alioque morbo miſerabili laborat; Si, qui in exilium mittendus eſt, facultatibus corporis vel animi, quibus victum comparari oportet, deſtituitur. Hiſce omnibus mira quædam ineſt ad flectendas dicaſteriorum ſententias, efficacia, cum etiam opiniones in cauſis ſanguinis multum valeant, eoque plus ſemper, quo quis blandius, ornatius, modeſtius atque ſubtilius ſcripſerit.

SECTIO-

SECTIONIS SECVNDAE

DE MEDICO LEGVM INTERPRETE.

MEMBRI III.

DE CAVSIS ECCLESIASTICIS.

CAP. I.

De divortiorum argumentis.

§. 1.

Variæ equidem ſunt, quæ coram judicio eccleſiaſtico medicorum autoritatibus deciduntur, quæſtiones, mox illæ, quæ ſepulturam melancholilici vel amentis attinent, mox aliæ, quæ dæmoniacos, obſeſſos, aut ſic dictos energumenos concernunt, de quorum omnium ſtatu animi atque corporis, an malo animo, an fraudulenter feciſſe dicantur, medicus exponit. Attamen iſtæ frequentiores ſunt controverſiæ, quæ de cauſis ſocietatem matrimonii impedientibus aguntur, nec raro, de partu humano dubio, an baptizandus ſit, controvertitur.

§. 2.

Triplex quandoquidem vinculi conjugalis finis eſt, *alter* & primarius, qui procreandam ſobolem, *alter*, qui extinctionem libidinis, atque *aliquis*, qui mutuum adjutorium concernit, cumque in negotiis gerendis aliquando uno ex multis fine potiri ſatis ſit, ideoque, licet naturæ atque inſtitu-

ſtituto matrimonii convenientius, atque tam conjugibus quam Reipublicæ conducibilius eſt, gigni ſobolem, validum tamen matrimonium eſt, ſi, conſentientibus conjugibus, etiamſi primus ſcopus haud feriatur, reliqui duo, vel etiam tertius, qui corporis culturam atque ſanitatem attinet, attingi poſſint: Sed, ſi naturæ legem ſpectes, quam illa connubio jungendis propoſuit, generandi potentia in utroque ſexu, primaria matrimoniorum conditio eſt, qua ceſſante, vel necti illud nequit, vel nexum diſſolvitur.

§. 2.

De contracti matrimonii valore, per aptitudinem ad procreationem ſobolis neceſſariam, judicatur; Impuberes matrimonio juncti una eſſe nequeunt, nec impuber fœmella nubere poterit puberi marito. Tenera ætas, ob virtutis prolificæ defectum, valide contrahere matrimonium nequit; Hoc naturæ legibus conſentaneum eſt, docente ARISTOTELE. *Polit. Libr. VII. c. 16.* ἐπιμελητέον περὶ τὴν σύζευξιν πότε, καὶ ποίους τινὰς ὄντας χρὴ ποιεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους τὴν γαμικὴν ὁμιλίαν: Δεῖ δ' ἀποβλέποντα νομοτεθεῖν περὶ τούτην τὴν καινωνίαν πρὸς αὐτάς τε καὶ τὸν τῆ ζῆν χρόνον, ἵνα συγκαταβαίνωσι ταῖς ἡλικίαις ἐπὶ τὸν αὐτὸν καιρὸν καὶ μὴ διαφωνῶσιν αἱ δυνάμεις τῆ μὲν ἔτι δυναμένα γεννᾶν, τῆς δὲ μὴ δυναμένης, ἢ τούτης μέν, τῆ δ' ἀνδρὸς μή. ταῦτα γὰρ ποιεῖ καὶ στάσεις πρὸς ἀλλήλους καὶ διαφοράς: *Cura gerenda eſt circa*

circa conjugium, quando & quomodo quosdam oporteat contrahere inter ſe matrimoniale conſortium. Legem autem ferri fas eſt, reſpiciendo ad hanc conjunctionem, & ad ipſos, & ad tempus, quod vivendo attigerunt, ut ætatibus conveniant quoad tempus, nec diſcrepent vires, marito quidem generandi facultatem habente, uxore haud valente, aut *hac valente, marito inepto: Hæc enim ſeditiones invicem movent & diſcordias.* Adeoque anteaquam fœmella ſuæ ad generandum aptitudinis ſigna ediderit, de quibus ſupra ſcriptum eſt, nubere illi haud licet; Ita HESIODVS *Oper. & dies v. 695.*

Ἡ δὲ γυνὴ τέτορ ἡβώη πέμτῳ δὲ γαμοῖτο
decimo ſed fœmina quarto
Anno pubeſcit, nubat mox inde ſequenti.

§. 4.

Evirati valide matrimonium contrahere nequeunt, quamvis illi fœminam inire, ob ſenſum voluptatis ſuperſtitem & propter aliquam liquoris plaſtici ſpeciem, quæ ex proſtatis ad urethræ collum ſitis exſtillat, valeant, poſſintque alterum matrimonii finem, conſentiente muliere, & illam ſponſi debilitatem haud ignorante, implere; Spadones vel evnuchos id genus hominum vocant, licet inter utrosque aliquam differentiam leges conſtituant. Spado enim unius teſticuli vir ſeu Monorchis eſt, altero exciſſo, veluti ex *lege, ſi ſerva ff. de jure dotium*, patet, ubi Gloſſa, ſpadonem appellat, cui alter ex teſticulis ſupereſt, quique generare valet: Aſt Evnuchus vel caſtratus utroque teſticulo deſtituitur, qui illi per vim exempti fuerunt.

runt. Adeoque ſpadonibus, ἀπὸ τῦ σπᾶν, ab evulſo teſticulorum altero dictis, matrimonium contrahendi libertas Romæ conceſſa fuit, qua Evnuchi carebant; quos LVCIANVS *in Evnucho*, κἂν ποτὲ πειρᾶσθαι τῆς ἀνδρείας ἐξ ἀρχῆς, ἐυθὺς ἀποκεκόφθαι, *etiamſi tentigine ab initio tententur, ſubito intercipi*, ſcribit. Liquor enim ille, qui ex proſtatis ſcaturit, arrigendi facultatem aliquam præbet, veluti GALENVS docet de uſu partium *Libr. XIV. cap. ii.* ὃ μόνον ἐπεγείρει πρὸς ἀφροδίσια, ἀλλ ἤδη τε ἅμα πρὸς ἐκπίωσιν, ἢ ἐυνέχοις τᾶτο ἡδονήν τε τινὰ παρέχειν φαίνεται, ἐκδεχόμενον. *Non tantum excitat ad rem veneream ſed etiam ad emiſſionem, & evnuchis ille liquor voluptatem aliquam præbet, ſi effluit.* Huc pertinent θλαθίαι ἢ θλιβίαι, *a* θλάω *frango*, quibus vel fiſſa ferula didymi ſunt compreſſi & paulatim eliſi, vel confracti aut manibus attriti, ut mulierem impregnare non poſſint, velut PAVLVS Libr. 6. c. 68. tradit. Quicunque ergo fuerint, quibus organa virilia deficiunt, ſi vitium illud faſſi ſunt ante contractum matrimonium, conſentiente muliere, in poſſeſſione uxoris tuendi eſſe videntur, atque alia illis, quam ſenibus, cur conjugem quæſiverint, ratio haud adeſt, vitæ ſcilicet commoditas. Eſt quædam apparens teſticulorum defectio, ſuntque, qui, his abeſſe viſis, nihilominus viros ſe eſſe ſentiunt, atque in abdomine abſconditos illos habere & κρυψόρχιδες eſſe, per ſigna intelliguntur; hi in poſſeſſione uxoris manent: Verum, qui debilitatem ſuam abſcondidit, ſi teſti-

teſtium alter aut uterque ex morbo illi deficit, ſi, cum hernia reponeretur, exſectus unus vel alter fuit, ſi, cum in tumorem durum, quem ſcirrhum appellant, elevatus eſſet teſticulus, exſcindendus fuit, ſique maritalis debiti ſolutio præſtari propterea nequit, validum matrimonium contrahere haud potuit, hinc poſtulante conjuge, nexus conjugalis ſolvitur, niſi, ex altero teſte relicto ſatis pro fœmina eſſe, aſt eam ſalaciorem expleri haud poſſe, maritus doceat. Nam ſufficit ex teſtibus alter, quod illi docent, qui, altero emarcido, viri eſſe haud deſinunt.

§. 5.

Teſticulus ſcilicet extra abdomen propendens, in alterutra ſcroti ſtatione detentus, ex accepto per arteriam ſpermaticam ſanguine, admixtis illi ſpiritibus, ex nervorum propagine ortis, conficit liquidum genitale, quod, vaſe deferente, ex epididymide accipitur, atque in veſiculas ſeminales, ſub veſicæ cervice poſitas, effunditur, ibidemque colligitur; Huic teſticulorum officio gerendo robur addit, inſignis, alba, tendinea tunica, tenuiſſima teſtis vaſa, ſingularis fabricæ, in glomeres collecta, ambiens, hanc, altera, laxior, atque vaginalis dicta, quæ vaſa ſeminifera ſimul complectitur, ambit, atque illi demum muſculus *Cremaſter* dictus, qui teſticulum, mox verſus pubem elevat, mox demittit, circum eſt. Ipſum ſcrotum forti viro rugoſum eſt, imbecillo pendet eſtque ἐάκωσις, ἐπέκτασις τῦ ὀσχέϑ, juxta *Autorem definitionum* GALENI: *Rhacoſis laxatio*

xatio ſcroti, quem morbum, utpote debilitatis ſignum, infamem PAVLVS AEGINETA appellat.

§. 6.

Alii, qui pactum matrimoniale ſubſiſtere non ſinunt, ſexuales virorum morbi, ejus virgam attinent, ſi perforata ad glandem haud eſt, ſed ſub frænulo urinis via patet: Hypoſpadiæis illis nomen eſt. Πολλοῖς, ait PAVLVS *Lib 6. c. 45.* ἐκ γενετῆς ἡ βάλανος ἀ τέτρηται, ἀλλ' ὑπὸ τῷ κίωνι καλεμένῳ κατὰ τὸν ἀπαρτισμὸν τῆς βαλάνε τὸ τρῆμα ἐσὶν, ἐντεῦθεν ὅτε ἀρᾶν εἰς τ' ἄμπροσθεν δύναντα, ἂν μὴ πάνυ τὸ μόριον ἀποκλάσωσιν ὡς πρὸς τὸ ἧτρον, ὅτε τεκνοποιεῖν, τὰ σπέρματος ἀυτοῖς εἰς τὴν μήτραν ἐπ' ἰυθείας ἐξακοντίζεσθαι μὴ δυναμένε: *Multis a nativitate glans haud perforata eſt, ſed ſub frænulo, columella dicto, ad commiſſuram glandis perforatio eſt, unde nec mejere in rectum, niſi reflexa ad ventrem parte, nec generare valent, cum illis ſemen recta in uterum emitti haud poſſit.* Aliis præputium arctum eſt, quem morbum Φίμωσιν appellant: ὅταν ἡ ποδὴ καλύψασα τὴν βάλανον ἀποσύρασθαι πάλιν ἀδυνατῆ, exponente PAVLO Libr. 6. c. 55. *Capiſtrationem, quando præputium tegens glandem retrotrahi nequit*, unde prolis procreandæ impotentia oritur. Aliis denique, etiamſi integritati partium nihil decedit, veneris cupido nulla eſt, atque illis ἄπρακτα μόρια, *partes inefficaces* eſſe dicuntur, exponente eodem PAVLO *Libr. 3. c. 54.* οἱ τᾶτο τὸ πάθος ἔχοντες ἀχ' ὁρμᾶσι πρὸς ἀφροδίτια

δίσια ἢ ἄθυμοι διὰ τοῦτο γίνονται; αἰτία δὲ τούτων ἡ τῶν μορίων παράλυσις ἢ σπέρματος ἔνδεια. *Qui hunc morbum habent, non irruunt in venerem, ſed dejecti ſunt abinde, quorum cauſa eſt partium reſolutio aut ſeminis defectus.* Obeſt etiam, cæteroquin ſalvis vegetisque partibus, hernia, ſeu inteſtinorum elapſus, qui ſcrotum implet, efficitque, quo minus debitum conjugale ſolvi poſſit; Igitur, qui hunc morbum celavit ſponſus, merito dimittendus eſt.

§. 7.

Ineptitudo gignendæ ſobolis detinere a matrimonio debet ſenes ſeptuageſimo anno majores: Nam juxta ARISTOTELEM *Polit. L. VII. c. 16.* ὥρισαι τέλος τῆς γεννήσεως, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον εἰπεῖν, ἀνδράσι μὲν ὁ τῶν ἑβδομήκοντα ἐτῶν ἀριθμὸς ἔσχατος, πεντήκοντα δὲ γυναιξί. *Definitus finis generandi facultatis, ut plurimum dicendo, ſeptuaginta annorum numerus viris ultimus eſt, quinquaginta autem fœminis.* Sed favet ſenibus juvenculam uxorem ducentibus, conſentiente hac, vitæ ſub vegetæ conjugis amplexibus in longum producendæ fiducia, atque ipſius vitæ, quæ ex mutuo adjutorio naſcitur, major commoditas, veluti IOANNES HENRICVS COHAVSEN, *in Hermippo redivivo ſive exercitatione phyſico medica curioſa, de methodo rara ad CXV. annos prorogandæ ſenectutis per anhelitum puellarum, ex veteri monumento romano deprompta, Frf. ad Moen. 1742. 8.* docere annisus eſt, ſerio, an jocoſe, neſcio.

§. 8.

Viciſſim maritus vitia uxoris ſibi celata pro argumento impetrandi divortii adducit. Si adire illam nequit, quod ſit ἄτρητος, quem morbum ita deſcribit PAVLVS Libr. 6. ὁβ. Ἄτρητοι κατὰ τὰ γεννητικὰ μόρια γίνονται γυναῖκες, ὅτε μὲν ἐκ φύσεως, ὅτε δὲ ἐξ ἐπιγεννήματος, νόσῳ τινὸς προηγησαμένης. *Imperforatæ ad genitales partes fiunt mulieres, aliquando ex natura, aliquando, caſu ſuperveniente, ex aliquo adquiſito morbo*, quam ægritudinem alibi Libr. 3. c. 73. Φίμωσιν, illi ſimilem, quæ viris eſt, appellat: Γίνεται φίμος περὶ τὸ στόμα τῆς ὑστέρας, ἢ δι' ἕλκωσιν προηγεμένην, ἢ διὰ φλεγμονὴν σκιῤῥωθεῖσαν. *Clauſura fit ad os uteri, vel per ulcus præcedens, vel per inflammationem induratam.* Repudiabit etiam ſponſus, quam laxam invenit, quamque defloratam cenſet, niſi ipſe tenuis eſt, veluti quædam, viro ultra conſuetum forti, anguſta videbitur; Licet autem relativa tantum, abſoluta autem neutiquam, ejusmodi fœminarum impotentia dici poſſit, ſufficiet tamen propterea, quo matrimonium ſolvatur: Sed ſero acquiſiti fœminarum, ex partu vel alia ratione, morbi muliebres, cum matrimonii effectus ſint, uti prolapſus vaginæ, fluxus uterinus aut ſanguineus aut mucoſus, diſſolvere matrimonium nequeunt.

§. 9.

Veluti qui hactenus recenſiti fuerunt, morbi, ſingulis conjugum proprii ſunt, & nexum maritalem ſolvunt, ita ſunt quoque aliqui utrique ſexui communes, iidemque vel organa ſexus attinent,

nent, vel toti corpori inhærent: Dubius aliquando sexus esse perhibetur, ut, virne an fœmina dici possit, incertum sit; ἑρμαφρόδιτός ἐστι τῶ τὰ ἀῤῥενικὰ καὶ τῶ θηλυκῶ χαρακτῆρος συμπλοκὴ describente *Autore definitionum* GALENI: *Hermaphrodita est, mixtio masculi & fœminei signi*, & SVIDAS, Voce, Ἀνδρόγυνος: ἕρμαφρόδιτος, τὰ ἀμφότερα ἔχων τὰ μόρια ἀῤῥένων καὶ θηλειῶν, αἰσχρῶς ποιῶν καὶ πάσχων: *Hermaphrodita est, qui utraque & masculorum & fœminarum organa habet, turpiter & faciens & patiens.* Etiamsi autem multa de corporibus hisce hybridis antiquitas prodiderit, & inter alios OVIDIVS Libr. 4. Metam. Fab. 13.

Nec duo sunt, sed forma duplex, nec fœmina dici
Nec puer ut possit, neutrumque & utrumque videtur.

negandusque dubius ille status omnino haud sit, veluti, amplissimo Lectionis Græcæ ac Latinæ apparatu, CASPAR BAVHINVS *Basileensis, de Hermaphroditarum monstrosorumque partuum natura Libr. duobus, Oppenheimii 1614.* exposuit: Etiamsi quoque non desint Autorum fide dignorum historiæ, quæ de ejusmodi characteribus mixtis aliquid memoriæ prodiderunt, veluti IAMES PARSONS *a Mechanical and Critical Enquiry into the nature of Hermaphrodites, London. 1741, 8.* IACOBVS RVEFF *de Conceptu & origine hominis Libr. I. c. 3.* REALDVS COLVMBVS *Libr. XV. in fine,* AMBROSIVS PARAEVS aliique, testimonia edunt; Attamen, veluti istas historias legentibus

occurrit, inventus haud eſt, qui organis utriusque ſexus ita inſtructus, quo de utroque ſexu participaſſe diceretur, eſſet. Plurimi enim eorum, qui viros mentiebantur, fœminæ erant, clitoridem habentes monſtroſa longitudine difformem, nec præterea quidquam fuit, quod maſculum ſexum referret, qualis etiam ille eſt androgynus a BAVHINO deſcriptus, cui omnia aderant ad uterum ejusdemque partes externas pertinentia. Similiter illi, qui ſe viros plus eſſe quam fœminas commonſtraverant, nihil fœminei, præter hilum, habuerunt, cui nullus reſponderet uterus. Si quid de meo addendum eſt: Demonſtravi auditoribus Hermaphroditæ, cum viveret, viſi, organa, in quibus clarum eſt, aliquo conformationis vel morbi vitio, evanuiſſe illi teſticulos, ſcrotum contractum fuiſſe, ut ſigna fœminæ adeſſe viderentur, glans illi imperforata erat, & urinæ ex rima hilum muliebrem referente exiverant, hinc hermaphrodita viſus illo titulo ab uxore ſemotus fuit, cujus funus cum luſtrarem, nihil quidquam, quod fœmineum, præter levem illam externam hili ſpeciem, eſſet, deprehendi. Mirifica quædam apud omnes eſt rerum novarum captatio, atque levitas ad fidem primis rerum umbris adhibendam propendens. Si quid ergo ex illis ſexus utriusque vitiis eſt, quod ſecurum atque a natura hominis, fundatum dici poſſit, illud eſt, quod macroclitoris quædam mulier, virum referat; atque ille ſtatus matrimonium pro-

propterea ſolvit, quoniam maritus admitti nequit; Similiter maritus, qui fœminam refert, ob vitium hoc, tanquam inermis, copulam maritalem complere haud poterit, propterea dimittendus.

§. 10.

Alii morbi utrique ſexui communes, propter quos matrimonium ſolvendum eſt, ad totum corpus pertinent. Scilicet quæcunque ægritudines, ab alterutro conjugum celatæ fuerunt, ſi nauſeam odiumque, ſua turpitudine, afferunt, ſi commercium amicum celebrari haud ſinunt, ſi contagii vim habent, ſique curam, ex ſententia medicorum, admittunt nullam vel dubiam, etiamſi illi copulam maritalem impedituræ haud erant, efficiunt tamen, quo una eſſe conjuges haud poſſint. Sive ergo uxor, ſive maritus, periodicis laborent Maniæ, Melancholiæ, Epilepſiæ, inſultibus, ſive ſordidam ulceroſamque illuviem corpore gerant, multo magis, ſi luis gallicæ labe contaminatus alteruter ſit, divortium jure meritoque poſtulabunt, eoque magis, quantum ad animi mores, ſi, ob iracundiam morboſam, ſævities commiſſa eſt, ex qua periculum vitæ vel ſanitati imminere alterutri conjugum poſſet.

§. 11.

Scholaſtica, nec tamen penitus omittenda quæſtio illa eſt, qua, utrum conjuges philtro ad amorem illecti, cum falſus ille amor nec ex animorum conſenſu ortus ſit, pactum ſervare teneantur, inquiritur. Aſt coæva illa controverſia ſagarum proceſſui eſt, illique ob ſuperſtitionem

ſimillima, nullis argumentorum ponderibus innixa, fabuloſa atque anilis, cum nulla venena animam ſui conſciam, ſentientem, cogitantem, in conſenſum amoris abripere poſſint, licet infatuari pharmaco homines, illosque, durante hac fatuitate, ſui, quem quilibet ſingularem habet, affectus animi ſignificationem edere, extra omnem dubitationem ſit poſitum. Fidem adeoque frivoli ejusmodi prætextus haud merentur, cum philtrum aliquod, quo nolentes in amorem duci poſſint, nullum detur, de cujus tamen in animos effectu mira narrantur ab hujus ſententiæ fautoribus, quorum inſomnia ELIAS HENRICVS HENCKELIVS *de philtris eorumque efficacia ac remediis, Libello, Frf. 1690. 8.* enarrat.

§. 12.

Denique efficaciſſimum ſolvendi matrimonii argumentum eſt, fœtus, ante illud, ab alio genitus, cum ex legitimis nuptiis recentius celebratis genitus eſſe haud potuerit, uti per ſigna conſtat, eſt enim plenus, bene nutritus, atque omnes prolis ante novem menſes, adeoque ante nuptias legitimas, genitæ characteres oſtendit.

§. 13.

Vi oppoſiti ad matrimonium compelluntur, qui, ſub ſpe conjugii, data arrha, fideque juſſa, impræ̃gnaverunt: licet enim ſe genituram haud immiſiſſe prætendant, poſſent etiam forte jurato affirmare, ſe ita feciſſe; eſt tamen mira liquoris plaſtici in uteros efficacia, ut ſemiplena emiſſio, a qua ſibi cavere mœchus in œſtro amoris haud potuit, ingravidare valeat fœminam:

ge-

genuiſſe propterea dicitur, qui concubuit, ſi tempus partus reſpondet. Audienda tamen haud eſt mulier, quæ decimo vel undecimo poſt commercium illud menſe parit, ſeque, propter morbos, & propter fœtum debilem ab his redditum, ſero peperiſſe prætendit, ſi nulla illi oborta eſt ægritudo, quæ incrementum fœtus retardare, adeoque longiorem in utero moram neceſſariam illi reddere potuerit.

CAP. II.

De ſacro baptiſmate monſtroſi fœtus.

§. 1.

Per illa, quæ alibi dicta ſunt, conſtare arbitror, animam immortalem non denegandam eſſe fœtibus monſtroſis, ſi capitis formam ab humanitate penitus alienam haud habent, ſed conformationis ſuæ errorem in aliquo tantum partium defectu, malo ſitu, numero aucto, pravaque combinatione, ponunt, veluti, ſi crure vel pede truncus naſcitur. Aliquantulum plus ſuſpicionis eſt, facie turpi naſci, *Simos*, *Labiones*, *Torvos*, *ſuperiore labio* diffiſſos; neque tamen hoc inhumanum eſt. Durum etiam foret, humanitatem denegare fœtui capite depreſſo naſcenti, ut cerebro carere videatur, ſicuti, cerebrum aliquando plane defeciſſe, RIEDLEY *in the anatomy of the Brain, ſeu anatome cerebri cap.* 17. WEPFERVS *Ephem. Nat. Curioſ.* Dec. I. Ann. III. obſ. 129. Fol. 205. THOMAS BARTHOLINVS *Hiſtor. anat. rar. Cent. I. Hiſt.* 83. docent. Anima, licet in cerebro primarias ſuas functiones exerceat, illi tamen unice

haud addicta, ſed diffuſa per totum eſt. Proinde ejusmodi fœtus monſtra dici nequeunt, ſed male conformatis nomen eſt, quibus & Civilia & Eccleſiaſtica jura competunt. Aſt monſtrum eſt corpus ſolius machinæ legibus vivens, a matris ſanguine per funiculum umbilicalem adducto nutritum, ſine anima, certe ſine illa humana; talia ſunt, quæ tota forma ab humana natura abludunt, ut dubitari fas ſit hominem natum eſſe, forte, quod germen ovuli materni animam haud acceperit. Et difficilis omnino hæc eſt quæſtio: an, brutum veluti, ſine anima, corpus in humano utero concipi atque enutriri poſſit, nec liquet animam abeſſe, etiamſi corpus turpe eſt, nam contemporanea illa eſt ipſi ſtamini minimo in ovulo materno præexiſtenti. Proinde ſunt, qui rem in dubio relinquentes, formula ad conditiones adſtricta, *ſi homo natus eſt*, ſacrum baptiſma tribui oportere, aſſerunt, inter quos eſt MICHAEL BOVDEWYN, *Ventilabro medico Theologico, Parte II. Quæſt. XXI.* qui ita habet: *In omni fœtu humano quantumvis monſtroſo merito ſuſpicari ac jure dubitari poteſt, num anima rationali informatus ſit, nec ne, atque in caſu dubio, ubi de ſalute animæ agitur, videtur certius eligendum, adeoque omnis humanus fœtus, quantumvis monſtroſus, ſub conditione baptizandus eſt.*

§. 2.

Supereſt dubitatio, an pro uno aut duplici individuo habendi ſint fœtus bicorporei, quorum corpora ad ſpinam aut latera concreſcunt, ſuis cæ-

tero-

teroquin ſingula organis propriis, ad actiones animales pertinentibus gaudent, veluti *in deſcriptione anatomico-phyſiologica alicujus fœtus monſtroſi, Gedani 1724. Vir Celeberrimus* IOANNES ADAMVS KVLMVS oſtendit. Quamvis enim in illo exemplo unus viſus fuerit eſſe ventriculus, unumque propterea individuum adfuiſſe videatur; attamen, cum & in illo & in aliis bicorporeis, organa animæ actionibus deſtinata diſtincta ſint, quantum ex illis judicare licet, duplex homo, duplici rationali principio inſtructus natus eſt. De bicipite, qui frequenter haud occurrit, major poterat eſſe dubitatio; ſingulare tamen eſt, quantum in brutis videri licet, duplicata ubique eſſe nervorum germina, atque duo animalia ſub unico veluti involucro ſubſiſtere; nam juxta OVIDIVM *Libr. IV. Met. Fab. 13.*

mixta duorum
Corpora junguntur, faciesque inducitur illis
Vna, velut ſi quis conducat cortice ramos
Creſcendo jungi pariterque adoleſcere cernit.
Sic ubi complexu coierunt membra tenaci,
Nec duo ſunt, ſed forma duplex.

Talis fœtus ille fuit, quem ſupra laudatus BOVDEWYN, qui ex rationibus medicis de Iure canonico ubique eleganter commentatus eſt, *Part. II. Quæſt. 21. p. 431.* exponit, atque *duo capita, duo diſtincta corda, quatuor brachia, duo tantum crura, reliqua corporis ſingularia & ſibi omnino adnata habuiſſe* ſcribit, ubi Auctor, ſecurius eſſe dicit, quo baptizans ſeſe dubiæ cuidam formulæ addicat, quam, ſi cum PLATONE ſentiens, animæ ſedem in capite eſſe, judicare vellet, duas illic eſſe animas diverſas, ubi di-

verſa ſint capita. Non tamen privanda beneficio divino ſunt iſta corpora, quæ non monſtra tunc nata ſunt, ſed portenta atque prodigia, præter naturam orta, cum monſtrum ſit, quidquid contra naturam gignitur, veluti BAVHINVS *l. ſ. c. p. 49. ſeqq.* ex genio linguæ romanæ, veterum teſtimoniis ſuffultus, declarat.

§. 3.

Dubii ſexus infantes naſci, memoria proditum eſt, quos *fœdum ac turpe prodigium* EVTROPIVS *Hiſt. Rom. Libr. 4. c. 36.* vocat, atque perinde ac LIVIVS *Hiſt. Rom. 27. 37.* in mare deportari ſueviſſe, teſtatur. Sed fallit dubia genitalium forma, atque vel atretæ atque macroclitorides pueri ſpeciem, vel crypſorchides, quibus ſcrotum contractum eſt, aliqua hili ſpecie, fœmellam referunt, neque unquam, ſi medicos conſulas, ita ambigua res eſt, ut circa baptizandi formulam anceps hærere antiſtes poſſit.

§. 4.

Hæc ſunt, quæ in uſum Auditorum, ut eſſet, cui, docendo, me addicere poſſem, formula, *de homine ad forum pertinente* conſcribere penes me conſtitutum fuit. Igitur ſatis feciſſe videbor, ſi utilitatem publicam, quæ in forenſi judicum atque medicorum eruditione haud parum conſiſtit, hâc ratione aliquantulum promovero.

INDEX.

INDEX.

A.

Abdomen quid 325
— ejus vulnerum lethalitas 495
— ejus vulnerum modus eſt varius 539
Ablactatio quando inſtituitur 236
Abortio, in quo conſiſtit 14
— ſi quarto menſe minor eſt, fœmina ſine magno labore projicit 31
— quæ ſub ſexti menſis finem naſcitur, an vitalis 201
— omnem abortum præcedit & comitatur hæmorrhagia uteri 373
— cauſæ quæ eum provocare valent 373
— raro fit ſua ſponte juvenculis atque robuſtis mulieribus 375
— eam ſabinæ decoctum non movet 375
Abortionem procurare, an obſtetrici liceat 382
Abortiva plerumque vana ſunt atque irrita 14
— ab eis ſæpe fœtus non movetur 374
Acida miram habent efficaciam in putridas aquas 70
Acus longa ſi per fonticulum ad cerebrum adacta, quomodo cognoſcendum 424
Adoleſcentia quid & quando incipit 240
Aeger quando ſui interitus cauſa ſit 355
Aegritudines corporis frequentius in cauſis eccleſiaſticis occultantur, animi autem in cauſis juris civilis reticentur ac diſſimulantur 249
Aequitas in pœnis corporum afflictivis ſervanda 599

Aër cauſa publica vel ſanitatis vel morborum eſſe poteſt 46
— omni aquæ ineſt 64
— cauſa morborum graſſantium eſſe poteſt 121
— in peſte eſt corrigendus 159
— vario modo vitiatur 50
— ejus uſus eſt communis 46
— ſine ejus uſu ac reſpiratione nullum animal vivere poteſt 175
— ejus effectus plane ſingularis 46
— ex eo intra pulmones haud reperto, ad nativitatem mortui concludere nemo ſecure poteſt 399
Aerugo atrox eſt venenum 508
Aetas, quid ita dicitur 231
— extrema calamitates inſeparabiles habet 245
— ejus limites alios leges ſtabiliverunt, alios natura poſuit 232
— centum annos pro ſumma & poſſibili ætate ICti Lipſienſes definiunt 233
Aetatum privilegia 231
Agrippa nunquam ſponte natcitur 30
— ejus partus, qui 30
— ejus partus non eſt morboſus aut difficilis 30
Agyrtæ qui erant 105
— ſeveris pœnis ſunt comprimendi & ex Republica ſubmovendi 105
Alcali in libero aëre ſuſpenſum convertitur in ſal medium 47
Ambulandi vigor, unde 238
Animal brutum ſua ſponte a nocentibus abſtinet 43
Amnion quid 24
— ejus liquor eſt ſuccus arteriioſus ipſius fœtus 222
— eius liquor an fœtum nutrire poſſit 222
Amor quibusdam mentem evertit 269
— fœminæ plus ad amorem accenduntur, plusque in illo deſipiunt 269
Amphibia, qua lege vivunt 175
Amuleta immunitatem a peſte promittunt 161
Anevriſma excuſat a tortura 597
Anima per totum diffuſa eſt 624
— an in diverſis capitibus duæ ſunt 626
Anima non præexiſtit 372
— cum ſemine paterno immittitur 372
Animi atque corporis dubius ſtatus 240
— humani eſt varia calamitas, qua afflictus ſecun-

cundum leges agere nequit 266
Animi morbi ſunt occulti 263
Animus humanus ex ſe ſuaque natura haud ægrotat 265
Annonæ caritas peſtilentis morbi fit cauſa 79
Annus, quid in ſeptem prioribus annis evenit 238
Annorum climactericorum origo 243
Antimonii producta chymica ſunt venena 508
Apoſceparniſmus quid 442
— an curabilis 443
Apothecæ genuinis medicamentis ſint inſtructæ 112
— a medicis publicis ac facultatibus medicis ſunt inſpiciendæ 114
Aqua fontana ad potum eſt præſtantior puteali 54
— quæ vaſe plumbeo aliquantulum quievit, dulceſcit 57
— leviſſima, quæ 62
— tenuiſſima, quæ 62
— nunquam eſt ſimpliciſſima 64
— lenis quæ 65
— ſimpliciſſima, quomodo cognoſcatur 65
— morborum graſſantium cauſa 68
Aquæ, quæ rufo ſaxo profiliunt, reliquis ſunt ſalubriores 55
Aquæ lentam veneni vim accipiunt, ſi per fiſtulas plumbea intus lamina armatas, fluunt 57
— optima ſigna 59 ſq.
— ineſt aër 64
— ineſt ignis 64
— ineſt terra 64
Aquæ ineſt ſalis parum & aliquid pinguis rei 64
— per venas metallorum progredientes, imbibunt hujus vel illius metalli contagium 67
— putridæ cum ſuccis aceſcentibus corriguntur 70
— igne excoctæ in aërem ſolvuntur 50
Aquarum varia ſunt vitia 66
— ſinceritatis maxima eſt neceſſitas 52
Armeniaca mala diarrhoeas, dyſenterias, choleras, colicas &c. excitant 83
Arſenicalis liquoris uſus eſt taxandus 505
Arteriæ vertebrales diſſectæ mortem poſt ſe trahunt 467
Arthritis, niſi ſit cum febre conjuncta, a tortura non excuſat 597
Atreta, quæ eſt 618
— a marito repudiatur 618

Artus quomodo firmantur 327
Aſpera arteria
— an illi, quibus aſpera arteria læſa eſt, ſervari poſſunt 468
Aſphyxia quid 173
Auditus officula quomodo dislocantur 441
Auripigmentum factitium acutum eſt venenum 505
Auripigmento nativo arſenici particula haud levis ineſt 505
Axillares venæ ſi ſub ala vulnerantur, brevi tempore interimunt 565

B.

Balnea
— eorum deſcriptio 96 ſq.
— corum laus 97 ſq.
— ea ingredi hodie minus honeſtum plerique putant 97
— an peſtis tempore ingredi conducat 163
Baptiſina ſacrum monſtroſi fœtus 623
Boves morbo ſuſpecti ad lanienam duci non debent 171
Bregmatis ſtriæ oſſeæ ſæpe accipiuntur pro fiſſuris 295
Brutum corpus an in humano utero poſſit concipi ac enutriri 624
Bupreſtæ paſcua inficiunt 509

C.

Cachexia quid 591
Cadaveris ſectio ubi fruſtranea 305
— ſectio an neceſſaria 314
— inſpectio ſola non ſufficit 330
Cæſones qui ita vocantur 33
Calor æſtivus dyſenteriam excitare poteſt 125
Calva unius menſis ſimplicem ſiſtit ſaccum membranaceum 237
Calvariæ tectum ſapienter eſt auferendum 335
Calvariæ oſſium fiſſuræ plenæ ſunt periculi 444
— oſſium depreſſio rara eſt 445
— impreſſio fit per accidens lethalis 446
Canalis arterioſus omnem cordis dextri ſanguinem in ſe recipit 227
Canes peſtis tempore ſunt occidendi 162
Cantharides quales effectus edunt 510
Caprire, quid 240
Caput quid 433
— ejus oſſa quomodo dividuntur 436
— ejus vulnera, quo propius ad cerebri ſubſtantiam

tiam accedunt, eo plus mortis causa sunt 446
Carbo fossilis an venenis accenseri potest 515
Carcer diuturnus & squalidus mitigat pœnam ordinariam 603
— diuturnus & squalidus a pœna ordinaria liberat 610
Carnifices in funibus applicandis caute procedere debent 587
Carnificibus non integrum est, vaga experimenta in homine capere 111
Caro, sine censura publica divendi non debet 91
— ferina, si putredine tacta, an noxia 92
— macilenta, morbum animalis significat 91
— suilla, cur judæis ejus usus interdictus 92
— vervecum, si illi phthisi ac ulceribus pulmonum tacti sunt, pestilentis ac contagiosi quidpiam habent 92
Causæ multæ sunt apparentes, ast fallaces 295
Causarum signa a signis effectuum sunt distinguenda 294
Cerasa non adeo noxia sunt 83
Cerebrum quid 448
Cerebrum neogenitorum est molle & pultaceæ consistentiæ 238
— senum, aliquando adeo durum est, ut etiam cultello resistat 245
— quo propiores illi afflictiones factæ, eo illæ plus ad mortem quam vitam propendent 434
— ejus commotio quid 446
— atque cerebellum quomodo inter se discrepant 459
— ejus vulnera an mortem necessariam faciunt 450
Cerevisia quid 74
— habet insignem nocendi efficaciam 75
— a quo inventa 74
— olim zythus nominabatur 74
Certitudo facti medica 280
— in criminibus transeuntibus, nullum aut debile vestigium relinquentibus, sufficienter cognosci nequit 291
Cervicis vulnera sunt absolute lethalia 464
Cerussa est venenum 513
Chirurgi gaudent suis juribus ac privilegiis 109
— venam tundere non debent, nisi jubentibus medicis 110

Chirurgis non licet artem facere, nisi examinatis 110
— eorum errores sensibus sunt obvii 581
Chordæ spermaticæ vulnera cur lethalia fiunt 559
Chorion quid 220
— ejus lamina gemina est 223
Cicuta ignaris pro staphylino imponere potest 89
— summum est venenum 511
Claviculæ statim perfectæ sunt 237
Cogitationum errores in quo consistunt 264
Colchicum ovium greges corrumpit 91
Coli intestini vulnera possunt sanari 538
Coli zona quid 538
— ejus vulnera sunt lethalia 538
Collum obtortum quomodo cognoscendum 423
— ejus vulnera lateralia censentur lethalia 470
Colli vulnera collisa sunt ambigua 471
Confessio spontanea tædio vitæ facta 610
Conjuges philtro adamorem inducti an pactum servare tenentur 621
Conniventia uteri quid 22
Convalescendi media ordinanda 100
Cordis vulnera inevitabilem mortem faciunt 476
Corpora quo plus durant, eo plus illis fibræ obrigescunt 245
Corporis delicti deficiens certitudo patrocinatur inquisitis 609
— ex quibus hæc colligatur 609
Corpus delicti in quantum ad medicos spectat 290
— - - est certum vel incertum 291
Corporis afflicti mutationes uti illæ consecutæ sunt, serie ordinata sunt conscribendæ a medicis 297
Corpus humanum quomodo dividitur 322
Corpus reticulare Malpighii quid 320
Costæ statim perfectæ sunt 237
— earum fracturæ dubii sunt eventus 491
Cremaster, quid 619
Crimina in quantum censuræ medicorum subjacent 280
Crocus vim narcoticam habet 512
Cruralis arteriæ vulnus lethale 567
Cura nascituri & nascentis 1
Cuti-

Cuticula a cute ſubſtrata ſponte decedens, inque veſiculas ichore turgidas elevata, putredinis vel ſphaceli eſt ſignificatio 316. 318
Cutis quid 370
— medicinæ legalis quæſtionibus ſubjacet 321
— livor quid indicit 316
— non tam ſanguis effuſus, quam putredinis primordium 399
Cynapium planta petroſelino ſimilis 89
— effectus, quos edit 89
Cyſtidis felleæ vulnera ſunt lethalia 542

D.

Daumenſtöcke cur dolorem acutiſſimum efficiant 586
Debiles ex morbo ne minimo realis tormenti gradu affligi poſſunt 596
Defenſio inquiſito ſine diſcrimine cur concedenda 605
— ſpecies illius variæ 606
— toties repetenda, quoties nova defenſionis momenta ſe exerunt 607
— ejus momenta in Academiis addiſcenda 607
— ubi momenta ejus dubia ſunt, conſultatione facultatis medicæ opus eſt 607
Delinquens confiteri promittens laxandus eſt a ferramentis 598
Delirium febrile facile cognoſci poteſt 272
Dementia crimen commitenti patrocinatur 609
Dentes quando erumpunt 236
— ſapientiæ quando erumpunt 242
Dentarii ſunt tolerandi 110
Diacope quid 443
Diaphragmatis vulnera ſunt periculoſiſſima, & quandoque abſolute lethalia 492
Divortiorum argumenta 611
Domus peſte infecta ocyus eſt occludenda 163
Draſtica pharmaca venenis rodentibus pares effectus edunt 514
Ductus thoracicus quid 473
— ejus vulnera ſunt lethalia 473
Duodenum inteſtinum ſi læſum, abſolutam lethalitatem affert 534
Dyſenteria quid 124
— magnam ſtragem hominum ſæpiſſime edit 124
— excitari poteſt a calore æſtivo 125

Dyſenteria excitari poteſt ex potu aquarum putridarum 69

E.

Ebrietas quid 72
— morbi, qui ex ea conſequuntur ſunt plurimi 72
— patrocinatur reo 609
Eccope quid 443
Effectuum ſigna a ſignis cauſarum ſunt diſtinguenda 294
Effectus mortiferi qui læſioni debentur 354
— quando deſinunt ad delinquentis rationem referri 356
— cauſa, quousque delinquens dici poteſt 358
Embryo
—ejus motus quomodo explorandus 24
— ultra quod tempus in matrice durare nequit 187
— non ex ſe ipſo vivit 220
— an per os nutriatur 221
Embryulcia quid 33
Endemici morbi ex vitio aquarum oriuntur 66
Enthuſiaſtici qui ita dicti 286
Epidemici morbi ab aquarum virulentia accenduntur 66
Epidemici qui ita vocantur 119
Epilepſia a tortura excuſat 593
— affectata 594
Epilepſiæ phænomena 595
Epileptici inſultus quando faventem judicem habent 260
Evirati debilitatem ſuam celantis conjugi matrimonium invalidum 615
— inhabiles ad matrimonium 613
— cum ſciente uxore matrimonium ineuntes in poſſeſſione ejus tuendi 614
Evnuchus quis 613
Excuſationum momenta medica 604 ſqq.
Exercitiorum utilitas 95

F.

Faciei vulnera colliſa aut profunda poſſunt eſſe lethalia 458
Facti certitudo medica 280
Facta pleraque viſu comprehenduntur 292
— aliquando etiam reliqui ſenſus circumſtantias eius declarant 292
Facti ſigna ſunt diſtinguenda a ſignis facientis 294
Fames, cauſa peſtis 80

Fari-

Farina putrida comeſta malignarum febrium cauſa 86
Febris a tortura excuſat 593
Feſtinatio in partus adminiſtratione nocet 29
Fidiculæ quid 588
Flumina ad aëris ſalubritatem multum conferunt 53
Fluxus ſanguinis a tortura excuſat 593
— uterinus matrimonium non ſolvit 618
Fœminæ maturius adoleſcunt quam viri 240
— quamdiu creſcunt 242
— poſt quinquageſimum annum non gignunt 244
— plus ad amorem accenduntur, plusque in illo deſipiunt 269
— ſe gravidam profitenti, fides omnino denegari nequit 186
Fœtus
— corrumpi poſſunt vel quoad formam humanam, vel quoad vitam 3
— naſcuntur paſſim, quorum forma ab humanitate longe abludit 5
— intra uterum calamitatibus affliguntur 7
— inter & matres eſt magna conſpiratio 8
Fœtus corruptis artubus 5
— in utero defuncti, commode naſci poſſunt 32
— quousque in utero perſiſtere poſſit, ut fidem mereatur 187
— intra quod tempus perficitur 188
— non tranſpirat 228
— urinam corpore non excernit 228
— an terrores matribus incuſſi eum vitiare poſſint 6
— in utero adhuc clauſus an reſpirare poteſt 408
— in humum præcipiti partu delapſum eſſe, quomodo judicari poteſt 425
— ei pro matris conditione vel bene vel male eſt 377
— eum exturbare quid valet 378
— immaturi, quibus ſignis cognoſcendi 380
— quo minor, eo obſcuriora partus celebrati ſigna eſſe ſolent 381
— de ejus vita poſt nativitatem acta triplex occurrit quæſtio 396
— mortui ſigna, quæ 397
Fœtui vivo nato, antequam reſpirat, violentia lethalis accidere poteſt 399

Fœtum vivum ſervandi neglectus actui mortifero æquivalet 430
Fœtus quibus anima immortalis non deneganda 623
— qui monſtra dici nequeunt 624
— bicorporei an pro uno aut duplici individuo habendi ſunt 624
Fonticulus quid 237
— quando in verum os conſolidatur 237
— convertitur aliquando in os quadrangulare 237
Foramen ovale quid 226
— ovale, ejus uſus 226
Frontis os facile fert calamitates 439
Fructus horæi quando nocent 83
Frumentum corniculatum eſt venenum ſtupefactivum 88
Fulmine tacti aliquando ſunt examinandi 209
Funes primus torturæ gradus 585
— applicantur circa flexuram manus 587
— olim etiam ſupra olecranon 588
— ex juba equina contorti femoribus non amplius circumducuntur 589
Funium efficacia 587
Funerum diſſectiones in diem differri haud debent 332
Fungi venenati qui ſunt 89
Funiculus umbilicalis
— ejus præciſio ac deligatio an neceſſaria & cur 414 ſq.
— ejus obligandi omiſſio, eſt cauſa mortis certiſſima 418
Furioſorum oculi quomodo comparati 271

G.

Gemelli eodem tempore geniti diverſo tempore naſci poſſunt 207
— an plures una in utero eſſe poſſint 208
— unica placenta plerumque nutriuntur 230
Gramina, in locis uliginoſis creſcentia, ſumme ſunt noxia 91
Granaria quomodo extruenda 85
Gravidis vomitoria, purgantia & venæ ſectio maxime nocent 15
— earum ſigna, quæ iis ex vitali matricis plenitudine naſcuntur, ex morbo quoque oriri poſſunt 181
Gravida nec ſupplicium nec pœnam corporis afflictivam ſuſtinet, donec pe-

pepererit & ablactaverit 591. 601
— Pariſiis ſuſpendio fuit extincta 601
— eis ob metum abortionis non debet promulgari ſententia mortis 601
Gravidæ ſi ſponte vomunt, eſt ſalutare 376

Gravidæ quæ ſeptimeſtrem l. octimeſtrem pepererunt, partum diffiteri nequeunt 381
Graviditas diſſimulata ſuſpicionem infanticidii adducit 14
— adducta, an ex rationibus ad ſolum uterum revertentibus anceps certa ne ſit 181
— ejus ſigna quæ ſunt 16. 181
— ejus ſigna valent quidem ad ſuſpicionem, non autem ſemper ad veritatem 16
— ejus maxima ſimilitudo eſt illis, quæ molam utero gerunt 184
— fœminæ graviditatem alleganti, an fides habenda ſit, & quamdiu 179
— an ignorari a muliere poſſit 384
Gulæ vulnera ſunt lethalia 470
Gymnaſtæ qui erant 95
Gymnaſticæ artis præcepta 95

H.

Haaſe, der geſpickte, tertius torturæ gradus 586
Hepatis vulnera profunda ſanari nequeunt 540
— vulnera ſuperficialia excuſari poſſunt 541
Hermaphrodita qui eſt 619
— an talis invenitur 620
— plurimi, qui viros mentiuntur ſunt fœminæ & vice verſa 620
Hernia, quando in matrimonio obeſt 617
— laborans non eſt torquendus 597
Herniotomi non ſunt tolerandi 111
Hippiatri vaga experimenta in homine capere non debent 111
Homicidæ qui ſunt 369
Homo
Hominem occidere nunc ſumma eſt licentia 111
— ei certum aliquod tempus in utero perſiſtendi, non eſt tributum 187
— ejus origo 210
— an ab animalculis ſpermaticis 211

Homo an ex ovulo materno 212
— multi ſibi ipſis noxas inferunt 261
— corpora hominum repentina morte extincta ſunt diſcindenda 298
— non tamen omnia 300
Hyoſcyami radix & ſemen lethalia ſunt ſoporifera 512
Hypoſpadiæi qui 615. 620

I.

Ichor putrilaginoſus pro ſanguine effuſo in cavitatibus ſumitur 295
Ideæ matris in mutandis embryonum formis haud parum valent 6
Ignorantia ſine voluntate in factum directa eſt momentum defenſionis 608
Iejuni inteſtini vulnera curam difficulter admittunt 534
Ilei inteſtini vulnera curam admittunt 535
Illegitimum quid 194
Illegitimi partus ſunt varii 194
Imaginatio quid 6
Imbecillitas tam animi quam corporis, leges in favorem affictæ perſonæ flectit 297
Imperitia medici culpæ annumeratur 576
— qui imperitiæ arguitur 577
Impreſſio quid 6
Impuberes ad matrimonium inhabiles 612
— torturæ non ſubjiciuntur 590
Infans
— præmaturus qui ita dici poteſt 199
— abſoluto novem menſium termino flaccidus & exiguus natus, an perfectus abſolutusque ſit natus 202
— an vivus natus, quomodo explorandum 203
— an ſuo erga uteri oſtium niſu actum pariendi adjuvat 389
— recens natus mortuus inventus, a medico atque chirurgo inſpicitur 395
— poteſt poſt nativitatem aliquamdiu ſine reſpiratione vivere 399
— media ſui corporis parte de utero progreſſus reſpirare poteſt 410
Infantium capitibus afflictiones illatæ quædam ſunt manifeſtæ, quædam abſconditæ 421
Infantes ſubito ac nati ſunt ſuffocati pereunt 427

Infantes dubii ſexus olim in mare deportabantur 626
— dubii ſexus quomodo ſunt baptizandi 626
— torturæ non ſubjiciuntur 590
Infantia quamdiu durat 236
— ſuas ſingulares mutationes habet 236
Infanticidium 365
— quid 367
— perpetuum erga uterum reſpectum habet 395
— datur etiam in illos, qui nondum reſpiraverunt 401
Infirmitas corporis momentum eſt a tortura liberans 610
Ingenium nocet homini 44
Injuria externa, quæ lethalis dicitur 349
— non omnis eadem celeritate occidit 340
Inquiſitio delictorum vel criminum quid eſt 283
Inſpectio cadaveris an neceſſaria 284
— etiam in vivis corporibus inſtituitur 296
— corporum fit mox in homine vivo, mox in mortuo 297
— legalis funeris quid eſt 298
Inſpectio legalis ſola non ſufficit 330
— ejus objectum obſcuratur ac penitus deſtruitur 331
— in ipſo actu omnis providentia adhibenda 333
Integumenta ex naturali morte ſanguine maculari poſſunt 333
Inteſtinorum vulnera quædam curari poſſunt 533
Iudæi,
— cur eis uſus carnis ſuillæ interdictus 92
Iuguli vulnera aliquando per ſe ſunt lethalia 464
Iuniperi baccæ an abortum procurant 375
Iuvenes nec funibus ligari ad manum, nec extendi ſupra ſcalam debent, & cur 591
Iuventus quando incipit 241

K.

Κρυψόρχιδες, qui 614

L.

Lac in mammis ſignum graviditatis 17
— ejus præſentia ad partus convictionem ſufficiens robur non habet 381
— ſibi generare didicerunt vaferrimæ mulieres 105

Lac junctim cum cruento utero eoque amplo & digitis obstetricis accessibili, partum prægressum esse, indicat 392
Læsiones factum involventes non solum censuram incurrunt, sed etiam neglectus mediorum, quibus eventus cohiberi potuit, examini subjacet 339
— absolute lethales, raro exemplo sanatæ nullum homicidiis patrocinium afferunt 344
— quæ mortem necessaria aliqua & inevitabili sequela inferunt, quæ sunt 347 sq.
— ad sensum parvæ, quando non sunt excusandæ 350
— mortis causæ 365 sq.
Lapis infernalis cibis suggestus mortem facit inevitabilem 508
Lascivia sibi ipsi atrox pœna 94
Laxa a sponso repudiatur 618
Lepra, quid 122
— nostris terris ignota 122
Lethalitas
— ejus est quædam mensura 341
Lethalitatis terminus quo usque extenditur 358 sq.
— vulnerum capitis 431
Lethale, quid absolute & per se est 341
— quid per accidens 354
Liberi non parentibus solis, sed etiam Reipublicæ nascuntur 2
Lienis vulnera mortem afferunt 545
Lipothymia, quid 173
Liquidi genitalis præparatio 615
Liquor nitri fixi effectus veneno similes edere potest 515
Lithargyrium est venenum 513
Lithotomi non sunt tolerandi 111
Lixivia saturata ventriculi tunicas destruunt 515
Lolium quales effectus producat 87
— cavendum, ne cerealibus granis sese intermisceat 87
Lues venerea novus est morbus 123
— clam subrepit 124
— hac lue tacti cum sanis nullum commercium habere debent 123
Lupanaria, nihil indignius ac pestilentius illis inRepublica est 93

Lycanthropi continendi ſunt, ne ſanos offendant 99

M.

Macies a tortura excuſat 593
Macroclitoris mulier matrimonium ſolvit, & quare 620
Magiſtratus
— officium eſt, conſpectui publico mutilos, pumilos, diſtortos &c. homines ſubtrahere 11
— naſcituros contra parentum proterviam tuetur 13
— eſt, cœlatam graviditatem detegere 14
— eſt, ut obſtetrices ad res ſuas recte ac ſecure gerendas inſtituantur 26
— eſt, circumſpicere, an ſint mulieres, quæ de graviditate ſuſpectæ 15
— conſilia, non monita, a medicis exigit 1
— ei naſcuntur liberi, & qui illi ſunt 42
Mamma, quid 393
Mammæ, quando coloſtrum nutriunt 381
Mammarum plenitudo ſignum graviditatis 17
Mamillæ quo medio ad lactandi officium invitantur 136
Mandragoræ radix quales effectus edit 512
Mania, quid 268
— vario modo quoad ſuas ſpecies diſcrepat 268
— aliquando per vices revertitur 268
Manus morboſa non torquetur 597
Maritus, qui fœminam refert, copulam maritalem complere non poteſt 621
— qualia vitia uxoris ſibi celata pro argumento impetrandi divortii adducere poteſt 618
Mater
— inter partus cruciatus ſi defecit, non eſt incidenda, niſi omnia certæ mortis ſigna adſint 177
— quando ad partum proxima eſt 29
— intra eam & fœtum eſt conſenſio 8
Materialiſtæ
— eis imperatum eſt, ne ſuſpectis incognitisque perſonis res nocentes exhibeant 115
Matrimonium, qui ad illud compelluntur 622
Matrimonii ſolvendi efficaciſſimum argumentum quod eſt 622
— finis triplex 611

Matrimonium validum, licet in eo procreatio ſobolis deficiat 612
Meconium, quid 221
— ex ano naſcentis fluens, an ſignum vitæ poſt nativitatem 413
Medendi ars univerſa convitiis proſcinditur 101
— una medendi ratio in omnibus morbis eſſe non poteſt 102
Medici, eis officium a magiſtratibus datum eſt, parturientibus aſſiſtere 27
— illi haud indecorum parientem fœminam curare 27
— eorum officium eſt aquarum publicarum puritati ſtudere 69
— an eis inhoneſtum, beſtias curare 165
— in aſſerendis morbis, quos multi ſimulant, non debent eſſe nimis faciles 252
— in detegenda fraude impoſtorum ſolliciti atque circumſpecti eſſe debent 262
— ſæpe coram judice civili ſigna morborum exponunt 263
— mercedem jure poſtulare poſſunt 276
— expectare honeſtius eſt, quam poſtulare 276
— multi maximo pretio ſuos labores æſtimant 277
Medici aliquando ad autorem criminis detegendum conſuluntur 282
— eorum cognitio verſatur etiam circa delinquentem 282
— eorum cognitio circa factum 283
— in quibus caſibus eorum induſtria requiritur ad autorem inveniendum 286
—caſtrenſes ampliſſimum rerum bene gerendarum campum habent 128
— peſtilentiales nimia audacia & temeritate ac ſine præſidio atque cautela ad ægros accedere non debent 164
— ejus officium circa evolvendam facti aut eventus mortiferi certitudinem, in quo conſiſtit 336
— ejus judicium de viſo ac comperto dubium 337
— cauti eſſe debent in definiendis abortionis caſibus 377
— immortalitatem mortalibus dare nequeunt 579
— eorum peccata terra tegit 581
— ab eis reſciſcunt judices, an delinquens ferendis dolo

doloribus, qui ex tortura oriuntur, par ſit 583
Medicorum conſultatio in cauſis eccleſiaſticis obvia 611
Medicamenta exquiſita & legitima in promptu eſſe debent 112
— in ſe innocua, noxia evadere poſſunt 115
— efficaciora ſine medicorum conſilio non ſunt exhibenda aut vendenda 15
— eorum magno apparatu haud ſemper opus eſt 112
— nulla ſunt, quæ abſolute vel iuvant vel nocent 377
Medicaſtri atque illi, qui gradum aliquem academicum non indepti ſunt, ad teſtificandum in foro non admittuntur 253
Medicatio mala 576
Medicinam profiteri vel facere, cui integrum 108
Medullæ ſpinalis vulnera mortem reddunt inevitabilem 459
Melancholia, quid 267
— per vices revertitur 268
Melanoceraſus, quid 90
Menſium defectus ſignum graviditatis 16
Menſes quando fluere incipiunt 240
Mentis impotentia qui detinentur, illis omnibus ſuas res procurare, aut alios actus ſolemnes inſtituere non licet 270
Mercurius ſublimatus totum hominem pervadit atque interficit 507
Meſenterii & meſocoli vulnera mortem inferunt 550 ſq.
Minium quid, eſt venenum 513
Minor non niſi levius torquetur, & cur 591
Mola, quid 184
— graviditatis imaginem exhibet 185
Monſtra in quot ſpecies diſtribui poſſunt 9
Monſtrum, quid eſt 624
Morbi qui nexum maritalem ſolvunt 616 ſqq. 621
— muliebres, cum matrimonii effectus ſunt, matrimonium non ſolvunt 618
— a tortura augmentum capientes a tortura excuſant 593
Morbo adfecti cur ſupplicio afficiendi non ſint, & in mitiori carcere detinendi 601
Morbus ictericus a tortura excuſat 593
— non ſemper celeri invaſione hominem opprimit 254

Morbus ſuperveniens læſionum effectum reddit dubium 352
— quamdiu in ancipiti verſatur 360
Morbi qui ex ebrietate conſequuntur 72
— ſubinde novi 79
— populares ſunt præcavendi 117
— epidemici qui ita vocantur 119
— caſtrenſes aliquando ducum culpa procreantur 127
— varii ſunt, qui vivo homini mortis imaginem inducunt 172
— non tantum præſentes, ſed etiam imminentes & illi, qui paulo ante deceſſerunt, coram iudice excuſant 252
— qui per ſua ſigna ſeſe manifeſtant, excuſationem legitimam pariunt 257
— & qui illi ſunt 258
— multi ſunt qui ſimulari nequeunt fraudulenter 260
— animorum ſunt occulti 263
— eorum prætextus non infrequens eſt, quo multi in fraudem utuntur 261
Morbi, eos ſupprimere vel diſſimulare, aliquando ſumma eſt nequitia 250
— graſſantium cauſa eſt aqua 68
— cauſæ ſæpe in victus pravitate latent 84
— præſidia mature ſunt ordinanda 101
— an protrahi poſſunt 580
Moroſis, quid 266
Mors
— de ea in cauſis civilibus etiam controvertitur 272
— de ea aliquando medentes quæruntur 272
— eius certa ſigna 177
— eius cauſæ ſæpe latent 303. 420
— ſubitanea poſt læſionem aliquam, ſecurum de lethalitate iudicium non efficit 350
Mortis angores in ſupplicio perpeſſi, ubi ad ſe redierunt, de novo affligendi non ſunt 602
Mortui peſte non diu inſepulti proſtare debent 165
— ſpectaculo non ſunt exponendi 165
Mortuus natus qui dicitur 396
Mortuorum cura 171

Motus, an omnis in abdomine perceptus, indubitata graviditatis ſignificatio ſit 25
— embryonis quomodo explorandus 24
Mulier quam diu menſes fluunt, non poteſt torqueri, & cur 591
Mulieres torturam facilius ſuſtinent, quam mares 592
— regulariter levius torquendi maſculis 592
Muſculorum vulnera non ſunt lethalia 574
Muſica peſtem fugat 100
Muſti abuſus eſt cohibendus 77
Mutus non torquetur 590
— niſi per ſigna loqui didicerit 590

N.

Naſcituri & naſcentis cura 1
Nutricem ſelectus 41
Nutritio quid 496

O.

Obeſus non torquetur 597
Obſtetrices
— docendæ ſunt, quo recte facere poſſint 28
— triplex officium habent 28
Obſtetrices aliquando præcipitantius agere ſolent 28
— poſſunt etiam circa partum faciliorem delinquere 31
— ſi caſus difficilis illis obvenit, medicorum conſiliis obſequi debent 34
— ſunt illis peſſimi mores 35
— quid ſcire debent 37
— ſigna fœtus mortui habere debent 38
— anteaquam officium in ſe ſuſcipiunt, ſunt examinandæ & ſacramenti formula ad expeditiones inſtruendæ 38
— neogenitos, ob mortis periculum, ſacro baptiſmate inaugurari poſſunt 39
— eorum officium erga recens natos 39
— iis ſolis in dignoſcenda graviditate non eſt fidendum 20
— officium illis datum eſt, nutricem adducere 40
— cur ὁμφαλοτόμοι dictæ 414
— quando & ubi in ſua arte delinquunt 582
Ocreæ hiſpanicæ ſecundus torturæ gradus 586
Ocularii ſunt tolerandi 110

Oculariі, iis conſtituendi ſunt limites 110
Oculi furioſorum quomodo comparati 271
— eorum lux vel obſcuritas mentis ſtatum clare notat 271
— afflictiones quandoque fiunt exitiales 457
Olera, cum eis venena venduntur 89
Olfactus ſæpe veritatis eſt interpres 292
Omenti vulnera ſunt ſuſpecta 540.
Opium quales effectus edit 173
— ſub parvo volumine, venenum eſt 511
Ortus humanus 209
Oſſa
— eorum mutatio lente procedit 237
— eorum ſtatus pro menſium ratione varius eſt 237
— artuum, ubi læſiones graviores acceperunt, mortis cauſæ fiunt 573
Os occipitale, cum quatuor diſtinctis conſtaret particulis, ſenſim fit unum 237
Ovaria mulierum quid 272
Ovum
— an homo ex ovo naſcatur 212
— in utero recipitur 219
Ovum eſt cavum 222
— non ſtatim adhæreſcit 220

P.

Pædotriba, qui ita dicebatur 95
Papaveris ſemen lethalem ſomnum efficere poteſt 90
Parientem fœminam a viro curari an indecorum 27
Paronychia, quid 587
Partium externarum delineationem iuſtam hiſtoriæ corporis delicti adiicere, magni eſt momenti 328
Partus
— naturalis, qui dicitur 30. 387 ſqq.
— eius cauſa proxima 388
— eius ſigna poſt aliquod tempus delentur 391
— ſignorum, quæ, partum paulo ante celebratum fuiſſe, indicant, magna in foro eſt utilitas 391
— in eo nocet feſtinatio 29
— laborioſus, quæ impedimenta eum efficere poſſunt 32
— terminus, quamdiu ſcriptus eſt 189
— legitimus 194

Partus ſeptimeſtris an legitimus 194
— ſeptimeſtris an vitalis cenſendus 198
— illegitimi ſunt varii 194
— octimeſtres an vitales exiſtimandi 200
— ſuppoſitus an & quomodo cognoſcendus 205
— abortivus ex quibus ſignis cognoſcendus 316
— adminiſtratio ab ineunte mundi ætate fœmineis manibus tradita fuit 26
— quando mater partui proxima eſt 29
— agripparum qui 30
— imminens, an ignorari poteſt 385
Pedes oedematoſi excuſant a tortura 597
Penis vulnus mortem afferre poteſt 560
Pericardii vulnera ſunt lethalia 478
Perſica mala intemperanter ſumpta, periculoſos alvi cataclyſmos excitant 53
Peſtis, quid 129
— ſine febre 129
— eadem forma in omnibus haud eſt 129
— gravidarum 130
— deſcriptio ſecundum Thucydidem 131 ſqq.
— Tit Lucret. Cari translatio huius deſcriptionis Thucyd. 147 ſqq.
Peſtis deſcriptio ſecundum Ovid. 152 ſqq.
— eius progreſſus eſt impediendus 154
— cauſæ 157
— quomodo avertenda 157
— ſæpiſſime repullulaſcit 165
— per plures annos durare poteſt 165
— ſigna, quæ hominibus inſunt, inſunt etiam bobus 166
— cura unice in prophylaxi conſiſtit 170
Phantaſia, quid 6
Pharmacopolæ qui ita dicti 105
— ad quod a magiſtratu ſunt adſtringendi 113
— venenorum incurii non eſſe debent 114
— per intervalla deliranti, ſuam tabernam curare non licet 270
— quando ſuis iuribus contra medicorum attentata utuntur 280
— draſtica medicamenta exhibere non debent 15
Pharmaca
— an talia dantur, quæ fœminam abortire faciunt 373
— inteſtinorum motus ſpaſticos atque convulſivos excitare valentia, poſſunt etiam præpoſteros

ros conatus pariendi excitare 375
Φίμωσις quid 615
Philtrum quo nolens in amorem duci potest, an datur 622
Phrenitis quid 268
Pia mater nunquam innocenter læditur 448
Pilorum ad pubem eruptio quando incipit 239
Pinguedo quid 321
— quæstionibus medicis legalibus frequenter interest 321
Pirum, ferreum instrumentum torturæ 593
Pisces
— eorum usus haud raro morborum in vulgus grassantium causa est 92
— lacustres maximam nocendi vim habent 92
— qua lege vivant 175
Piscium triduanorum ac illorum, qui mortui coëmuntur usus nocentissimus est 93
Placent auterina, eius textura 223
— mammæ officio fungitur 224
— quare in sectione legali exploratur 397
Plumbum sua natura venenum est 57
— ex eo confecta pharmaca sunt venena 513
Pœnæ afflictivæ corporis 599 sqq.
Pœna corporis afflictiva supplicii naturam habere haud debet 602
Pollicis phalangi primæ instrumentum non applicatur, & cur 587
Pollici morboso torquendo alius digitus substitui nequit 596
— bene tamen alterius manus pollex 596
Potus temulenti intemperantius hausti, quales effectus producunt 72
Præcipitatum rubrum & album sunt noxia 507
Procreatio sobolis, finis matrimonii naturalis 612
Prolapsus vaginæ matrimonium non solvit 618
Pruna diarrhoeas, dysenterias, choleras, colicasque excitare possunt 83
Pubertas quando incipit 239
Pueritia quid, & quousque sese extendit 238
— in ea officium conditiones subinde mutantur 238
Pulchritudo in quo consistat 3
Pulmones in fœtu sunt pallidi 227

Pulmones ante partum ſanguinem in ſeſe recipere non valent 227
— ſcirrho tacti, in aquis ſubmergunt 402
— eorum ſubmerſio docet, fœtum haud reſpiraſſe 403
— eorum ſubmerſio eſt fallax ſignum 401. 404
— an a putredine in aqua natare poſſint 406
— quomodo ſeparandi in ſectione ſunt 411
— ſi infans mortuus natus, quæ illorum forma 411
— eorum coloris differentia, a quo dependet 412
— in minuta ſegmenta diſſecti, ſi omnes fundum petant, fœtum haud reſpiraſſe, ſignificant 412
— eorum actio ad vitam neceſſaria 481
— eorum vulnera ſunt lethalia 481
— ulceroſos aut ſcirrho induratos qui vulnerat, an reus 494
Pulſus defectio an certum ſit mortis ſignum 177
Purgantia gravidis maxime nocent 15
Putei ſunt muniendi & cur 56
— frequenter ſunt exhauriendi 69

R.

Ῥαχωσις quid 615
Recens natorum varia ſunt mortis genera 414
Renum vulnera poſſunt ſanari 552
Reſonitus quid 445
Reſpiratio
— ſine ea ac aëris uſu nullum animal vivere poteſt 175
— poteſt nondum inchoata eſſe, fœtu tamen vivo edito 398
Rorella ovium greges corrumpit 91
Rubigo, morbus cerealium 88
— putridas ac peſtilentiales febres, puſtulas &c. producere poteſt 88

S.

Sagarum proceſſus ex foro penitus relegatus eſt, & quare 286
Salutis miniſtri, qui inter ægrotos peſtilentiales verſantur, ſanos aggredi non debent 164
Sanguis
— a matre ad fœtum transfertur 223
— ejus matrem inter & fœtum circulus 224

Sanguinis circuli ſumma celeritas in fœtu 227
— funeribus ex naribus & faucibus fluens non ſemper cauſæ violentæ ſignum eſt 302
— in funeris facie transparens pro ſigno ſuffocationis habetur 316
— ex aure manans a læſione capitis, malum ſignum 440
Sanitas quid 254
— eius cauſæ publicæ quomodo ordinandæ 42
— ad tria capita referri poſſunt 45
— ejus dubii ſtatus ſigna ſunt varia 255
— ac vita, pecunia non emitur 275
Sani peſte infectorum commercia vitare debent 159
Scroti vulnera in ſe ſunt innoxia 559
Secundinæ cur ita dictæ 34
— fundo uteri firmiter adhærentes, provide ſunt deglubendæ 34
Senectus quando incipit 242
— quibusdam eſt præcox 244
— eſt etiam ex morbo 244
— quædam eſt florida, alia decrepita 246
Senes decrepiti ſi mens beſcit a torturis liberantur 596
Senes a territione non liberantur 596
— ſeptuageſimo anno majoribus ineptitudo gignendæ ſobolis eſt 627
Seplaſiarii qui erant 105
— ex Republica removendi ſunt 106
Sepultura mortuorum quamdiu differenda 177
Sexus penes neogenitos eſt ambiguus 204
Smaltum atrox eſt venenum 506
Solanum furioſum a bove devoratum, illum in furorem exagitat 91
Soſtra medicorum 275
Spado quid 613
Sperma virile
— quando maſculus ferre incipit 239
— an animalcula ei inſunt 211
Sternum infantis unius menſis tenuis cartilago eſt 237
Stigmata mortuorum ſæpe pro ſugillationibus aſſumuntur 295
Stramonium quales effectus edit 512
Strangulatio quid 428
— ejus ſigna 428. 430
Stupidus torturæ non ſubjicitur 590

Stupiditas quomodo dijudicanda 590
Suffocati laqueo aut ſub aquis an reviviſcant 174
— in aquis reperti, quales conditiones habent, ſi vivi demerſi ſunt 483
— fune pendentes ſigna ſibi propria habent 485
Suffocationum modi clandeſtini 487
Suffocatorum ſigna 330. 483
— ſigna ſunt ambigua 333
Superfœtatio a natura aliena eſt 206
Supplicium impœnitentis delinquentis differendum 600
Syncope correpti mortuis ſimillimi jacent 174

T.

Territio quid 585
— verbalis 586
— realis 586
Terrores matribus incuſſi, an fœtum vitiare poſſint 6
Teſtes mulierum quid 212
Teſticuli vulnus non abſolute eſt lethale 559
Thorax, quid 324
— ejus vulnera lata & ampla abſolute ſunt lethalia 488
— ejus læſiones 471
Thorace male conformatus non eſt torquendus 597
Tormentorum nova genera principes ſine judicio medicorum ac ipſarum facultatum medicarum non decernunt 585
— cur inveniantur 585
Tortura vitæ ſanitatique periculum adferre non debet 585
— terrens quid 585
— non debet gravior eſſe pœna afflictiva criminis, ob cujus diffeſſionem inquiſitus torquetur 598
— ſub ea aut poſt illam mortuus ſecandus eſt 599
Torturæ gradus judex ad ſubjecti torquendi corpus ejusque texturam accommodare debet 585
— affligentis tres gradus 586
— ſub ea nonnunquam ſtupor eſt 589
— inſtrumenta 589 ſq.
Truncus corporis in tres cavitates dividitur 322
Tumor ventris ſignum graviditatis 16. 21

V.

Vena umbilicalis
— ex ea quidquam effluere nequit 418

Venæ majores ſanguine vel vacuæ, vel majorem partem depletæ, indicant neglectam deligationem funiculi umbilicalis 419
— jugulares externæ cum vulnere aſperæ arteriæ haud profundo curam admittunt 466
Venæſectio præſertim in pede gravidis nocet 15
— repetitis vicibus in pede celebrata quid in gravidis poteſt 374
Venena cum oleribus venduntur 89
— ſimilis effectus a bile oriri poteſt 287
— accepti indicatio 328
— eorum non una eſt in corpus agendi ratio 497
— corroſiva & ſtupefactiva cito occidunt 498
— corroſivorum ſigna quæ ſunt 498
— abſolute lethalia an exiſtant 504
— metallica ſunt efficaciſſima 504
— ſtupefactiva aut narcotica quæ ſunt 510
— ſunt quæ adſtringendo & vaſa ſanguifera coarctando mortem inferunt 513
Venena quædam non occidunt ſed enervant 516
— eorum, quibus amor conciliari poſſe dicitur, magna eſt futilitas 518
— ex malo humorum habitu ſubito enaſci poſſunt 520
— lenta quæ ſunt 513
— poſſunt ſumma cute immitti 516
— nulla animam in conſenſum amoris abripere poſſunt 622
Veneni accepti accuſatio debet eſſe cauta & cur 521
— deglutiti infallibilis nota, quæ 522
— ad illud inveniendum contenta ventriculi exploranda ſunt 523
— experimenta, quæ cum eo ſunt inſtituenda 523
Veneno non omni enecta corpora intumeſcunt 527
Venenum quid 495
— differt modo applicandi 497
Ventris inſpectio quid eſt 19
— quando ad eam deveniendum 19
— fœminis arte claris committitur 19
— ſola non ſufficit 22
— tumor ſignum graviditatis 16. 21

Ventriculus plenus innocentius fert vulnera & venenum, quam si vacuus fuerit 352
— ejus vulnera sunt lethalia 496
Veritatis eruendæ media 583
Vertebrarum primordia minutis intra cartilaginem punctis comparent ossels 237
Vestes
- - qua ratione sani pestis tempore instruere debent 162
— peste mortuorum sunt comburendæ 165
Vidua quo usque privilegiis uteri frui possit 186
Vinum
- - potus meracioris vini pestem profligare potest 160
- secundarium flatulentias &c. causat 77
- - crudum est noxium 77
- - ejus corruptores inter percussores atque veneficos sunt numerandi 74
Vir adhuc uno testiculo gaudens eviratus non est, sed ejus matrimonium subsistit 615
Virgo lac sibi comparare potest 186
Virtus plastica quando incipit vigere 239
Viscera animalium sunt inspicienda 92
Vita in quo consistat 471
Vitales qui dicuntur 368
Vitriolum atrox est venenum 508
Vivere quo usque quis potest 232
Vnguiculi fœtuum immaturorum sunt membranei 319
Vomitoria gravidis maxime nocent 15
Vopiscus qui ita dicitur 207
Vrachus, quid 229
- - de illo nihil certi constat 225
Vterus
- - ejus privilegia 178
- - non pleni ab Hippocr. descriptio 184
- - eius conniventia quid 22
- - ejus ostium internum est explorandum 22
- - descriptio 215
- - situs 216
- - forma 218
- - statio 218
- - vacuus si vulneratur, lethale est 560
- - plenus an innoxie vulnerari potest 560

Vulnera magna quæ cava ſubeunt, diu ſuſpecta manent 361
— quæ muſculum crotaphitem diſſecuerunt, ſunt periculoſa 434
— quæ pericranium auferunt, periculum afferunt 435
— capitis, quæ duram matrem tangunt, cenſentur mortifera 447
— cerebri an mortem neceſſariam faciunt 450
— ſigna quæ declarant, curando nihil profici potuiſſe 454
— arteriarum ſublingualium & palatinarum mortem neceſſario inferunt 467
— cervicis ſunt abſolute lethalia 464
— chordæ ſpermaticæ cur lethalia fiunt 559
— colli colliſa ſunt ambigua 471
— colli lateralia cenſentur lethalia 470
— cordis inevitabilem mortem faciunt 476
— inter coſtas unius lateris nec periculoſa, nec per ſe lethalia ſunt 489
— cyſtidis felleæ ſunt lethalia 542
— diaphragmatis ſunt periculoſiſſima & quandoque abſolute lethalia 492
Vulnera ductus thoracici ſunt lethalia 473
— faciei colliſa aut profunda poſſunt eſſe lethalia 458
— gulæ ſunt lethalia 470
— hepatis profunda ſanari nequeunt 540
— hepatis ſuperficialia excuſari poſſunt 540
— inteſtinorum quædam curari poſſunt 533
— juguli aliquando per ſe ſunt lethalia 464
— lienis mortem afferunt 545
— medullæ ſpinalis & ea quæ truncis nervorum majoribus inferuntur, mortem reddunt inevitabilem 459
— meſenterii mortem inferunt 550
— muſculorum non ſunt lethalia 574
— nervorum eo periculoſiora ſunt, quo majores nervi læſi ſunt 572
— paris vagi atque intercoſtalis ſunt lethalia 470
— omenti ſunt ſuſpecta 540
— penis mortem afferre poſſunt 560

Vulnera pericardii ſunt lethalia 478
— pulmonum ſunt lethalia 481
— renum ſanari poſſunt 552
— ſcroti in ſe ſunt innoxia 559
— teſticuli non abſolute ſunt lethalia 559
thoracis lata & ampla abſolute ſunt lethalia 481
— vaſorum lymphaticorum mortem afferre poſſunt 571
— vaſorum majorum, quæ per baſin abdominis ambulant, ſunt abſolute lethalia 562
Vulnera venarum non ſunt lethalia 568 ſq.
— venarum jugularium in collo ſunt lethalia 464
— venæ azygos ſunt lethalia 474
— ventriculi ſunt lethalia 496
— ventriculi quando curam recipiunt, & quando minus 531
— veſicæ urinariæ quædam poſſunt ſanari, quædam minus 556 ſq.
— uteri quando ſunt lethalia 560
Vultus eſt animi index 271

FINIS.

S. D. G.







OVIDIVS

Libr. Triſt. III. 5. 31.

Quo quisque eſt major, magis eſt placabilis ira
Et faciles motus mens generoſa capit.


ɔTANOX
2012

